ANNALES

ACADEMIAE LOVANIENSIS

MDCCCXXIII—MDCCCXXIV.

VOL. VII.

ANNALES
ACADEMIAE LOVANIENSIS

ANNI SEPTIMI

A DIE V OCTOBRIS MDCCCXXIII AD DIEM IV OCTOBRIS MDCCCXXIV

RECTORE MAGNIFICO

FRANCISCO JACOBO GOEBEL

ATQUE

ACADEMIÆ GRAPHIARIO

JOANNE MARIA BAUD.

LOVANII,
APUD VANLINTHOUT ET VANDENZANDE, ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.

MDCCCXXV.

INDEX

EORUM QUAE HOC ANNALIUM VOLUMINE CONTINENTUR.

I

NOMINA PROFESSORUM

QUI

A DIE V OCTOBRIS MDCCCXXIII AD DIEM IV OCTOBRIS MDCCCXXIV

IN ACADEMIA LOVANIENSI

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

NOMINA PROFESSORUM

QUI A DIE V OCTOBRIS MDCCCXXIII AD DIEM IV OCTOBRIS MDCCCXXIV

IN ACADEMIA LOVANIENSI

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

Rector Magnificus.

FRANCISCUS JACOBUS GOEBEL.

Academiae Actuarius.

JOANNES MARIA BAUD.

I. *Ordinis Disciplinarum Mathematico-Physicarum.*

F. J. GOEBEL.
J. F. SENTELET.
J. B. VANMONS.
F. J. ADELMANN.
} Prof. Ordinarii.

II. *Ordinis Jureconsultorum.*

H. F. DECOSTER.
J. P. DEBRUYN.
F. M. BIRNBAUM.
A. C. HOLTIUS.
} Prof. Ordinarii.

III. *Ordinis Philosophorum.*

G. J. MEYER.
F. J. DUMBECK. } Prof. Ordinarii.
G. J. BEKKER.

F. A. AB REIFFENBERG, Prof. Extraordinarius.

IV. *Ordinis Medicorum.*

J. M. BAUD.
G. J. VANGOBBELSCHROY. } Prof. Ordinarii.
C. F. JACMART.
A. VAN SOLINGEN.

Lector Literarum Gallicarum.

J. JACOTOT.

II.

SERIES LECTIONUM

IN ACADEMIA LOVANIENSI

A DIE V OCTOBRIS MDCCCXXIII AD DIEM VI OCTOBRIS MDCCCXXIV

HABITARUM.

SERIES LECTIONUM

IN ACADEMIA LOVANIENSI

A DIE V OCTOBRIS MDCCCXXIII AD DIEM IV OCTOBRIS MDCCCXXIV

HABITARUM.

TEMPORE HIBERNO.

I. IN ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

F. J. Goebel, Prof. Ord. *Mathesin Elementarem*, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII; scilicet diebus Mercurii et Veneris *Geometriam* (secundum *Elementa Geometriae* quae hoc anno edidit), diebus vero Martis et Jovis, *Arithmeticam Universalem* demonstravit. In commodum autem studiosorum, qui in Mathesis Elementis satis erant versati, die Lunae horis VIII et IX *Mathesin Sublimiorem* tractavit.

J. F. Sentelet, Prof. Ord. *Physicam Generalem et Applicatam*, diebus Martis, Jovis et Saturni, hora XI; diebus autem

Mercurii et Veneris eadem hora *Astronomiam* (tempore aestivo *Oeconomiam Ruralem*) explicavit.

J. B. VAN MONS, Prof. Ord. *Chymiam Generalem et Specialem*, diebus Martis, Jovis et Saturni, hora X, diebus Mercurii et Veneris eadem hora *Pharmaciam*, insuper diebus Martis et Veneris, hora IV pomeridiana, lingua Belgica, *Horticulturam Theoreticam et Practicam* docuit.

F. J. ADELMANN, Prof. Ord. *Historiam Naturalem Animalium cum Anatomia Comparata conjunctam*, diebus Martis, Jovis et Veneris, hora IX; *Botanices elementa et Physiologiam plantarum* iisdem diebus, hora II, die autem Mercurii, hora IX *Mineralogiam* exposuit.

II. IN ORDINE JURECONSULTORUM.

H. F. DECOSTER, Prof. Ord. sexies per septimanam hora IX, *Jus Civile Hodiernum*, diebus Martis et Veneris hora III, *Jus Publicum* docuit.

J. P. DE BRUYN, Prof. Ord. sexies per septimanam hora X, *Pandectas*; diebus Lunae, Mercurii et Jovis, hora III, *Jus Naturae et Gentium* explicavit.

F. M. BIRNBAUM, Prof. Ord. diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII, *Jus Criminale Hodiernum*, diebus Mercurii et Jovis, hora XI, *Juris Encyclopaediam et Methodologiam* docuit.

A. C. HOLTIUS, Prof. Ord. *Institutiones Juris Romani* enarravit, diebus Lunae, Martis et Veneris, hora XI, Mercurii vero

et Jovis hora V, *Historiam Juris Romani*, diebus Lunae, Mercurii et Jovis hora pomeridiana IV; *Leges de Mercatura* interpretatus est diebus Lunae et Saturni, hora VIII.

Alternatim Professores *Exercitationibus Disputandi* semel per septimanam institutis praefuerunt.

III. IN ORDINE PHILOSOPHIAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

G. J. MEYER, Prof. Ord. diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni hora II, *Linguae Belgicae Grammaticam* explicavit, simulque *Exercitationes Belgice Scribendi* instituit, cum profectioribus autem *Praecepta Stili Belgici* tractavit. Diebus Martis et Veneris eadem hora *Historiam Patriam* exposuit et subinde tempore opportuno *Literarum Belgicarum Historiam Praeceptaque Eloquentiae* tradidit.

F. J. DUMBECK, Prof. Ord. praemissa *Introductione longiori* diebus Lunae, Martis et Mercurii hora X, *Historiam Universalem Antiquam*, ducibus suis *Tabulis Ethnographico-Periodico-Synchronisticis* enarravit. Quinis prioribus septimanae diebus, hora V, *Encyclopaediam Philosopham* sive unius scientiae disciplinarum quarumvis nexum absolutum, juxta *S. Erhardti Compendium a se Latine versum* cujuslibet Ordinis studiosorum usui gratificatus est, eaque terminata diebus Lunae et Martis hora V, Jovis vero hora X *Antiquitates Romanas* explicuit. Diebus Mercurii, Jovis et Veneris hora V, *Historiam Europae Politicam* (per integrum annum) tradidit et cum ea *Exercitationes Disputandi* conjunxit.

G. J. BEKKER, Prof. Ord. explicavit *Terentii Eunuchum et Heautontimorumenon*, cum iisque conjunxit *Exercitationes Latine Scribendi*, diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora III. Iisdem diebus hora IV interpretatus est *Xenophontis Memorabilia*. Qui ad Antiquas Literas unice se applicuerunt, eorum moderatus est exercitationes tam in Graece scribendo et in interpretando *Isocratis Panathenaico*, quam in elaborandis *Commentationibus Criticis et Antiquariis*, die Lunae ac Jovis hora III.

F. A. AB REIFFENBERG, Prof. Extraord. post *Encyclopaediam Philosophiae*, praemisso quoque *Anthropologiae Conspectu* diebus Martis, Mercurii et Jovis hora IX, *Logicam et Metaphysicam* exposuit; diebus Veneris et Saturni eadem hora Lectiones super *Criticismo*, *Ethica et Historia Philosophiae* habuit, cum iisque de *Platone et Tullio disputationes* conjunxit.

J. JACOTOT, Lector, *Literas Gallicas* tradidit diebus Martis, Jovis, Veneris et Saturni, hora V.

IV. IN ORDINE MEDICORUM.

J. M. BAUD, Prof. Ord. omni die, hora VIII, Lectiones *Chirurgiae practicae* in Nosocomio Civili habuit, diebus quinis septimanae posterioribus, hora III, *Anatomiam*, diebus Martis et Veneris, hora XI, *Chirurgicas Operationes* demonstravit.

F. J. HARBAUR, Prof. Ord. hoc tempore Rei Medicae in omni regno regundae causa e Cathedra evocatus, scholas non habuit.

G. J. VANGOBBELSCHROY, Prof. Ord. diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XI, *Physiologiam*; diebus Jovis et Veneris eadem hora *Pathologiam Generalem* explicavit.

C. F. JACMART, Prof. Ord. omni die hora IX, *Clinicis Exercitationibus* in Nosocomio Civili praefuit, et tirones ad *Praxin Clinicam* instituit. Diebus Lunae, Martis, Mercurii et Saturni hora XI, diebus Jovis et Veneris hora pomeridiana II, *Therapiam Generalem et Specialem* tradidit.

A. VAN SOLINGEN, Prof. Extraord. diebus Martis, Mercurii et Saturni hora II, *Artem Obstetriciam et Morbos Mulierum tam Gravidarum quam Puerperarum* explanavit; hora IX et dimidia *Praxi Clinicae* praefuit, quoties puerperae in Nosocomio Civili decubuerunt. Auditoribus theoriae peritis aditus quoque ad institutiones Clinicas in Nosocomio Obstetricio concessus est.

TEMPORE AESTIVO.

I. IN ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

F. J. GOEBEL, Prof. Ord. *Mathesin Elementarem*, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII, scilicet diebus Mercurii et Veneris *Geometriam* (secundum *Elementa Geometriae* quae anno 1823 edidit), diebus vero Martis et Jovis, *Arithmeticam Universalem* demonstravit. In commodum autem studiosorum, qui in Mathesis Elementis satis erant versati, die Lunae horis VIII et XI, atque die Saturni hora VIII, *Mathesin Sublimiorem* tractavit.

J. F. SENTELET, Prof. Ord. *Physicam Specialem* diebus Martis, Jovis et Saturni, hora XI, diebus autem Mercurii et Veneris eadem hora *Oeconomiam Ruralem* explicavit.

J. B. VAN MONS, Prof. Ord. *Chymiam Generalem et Specialem*, diebus Martis, Jovis et Saturni, hora X, diebus Mercurii et Veneris eadem hora *Pharmaciam*, duce *Pharmacopoeia Belgica*, insuper diebus Martis et Veneris, hora V pomeridiana, lingua Belgica, *Horticulturam Theoreticam et Practicam* docere perrexit.

F. J. ADELMANN, Prof. Ord. diebus Martis, Jovis et Veneris, hora IX, *Zoologiam*; iisdem diebus, hora II, et inde a mense Maio hora VII matutina, diebus Jovis, Veneris et Saturni *Botanicam*, die vero Mercurii, hora IX *Mineralogiam* exponere perrexit, et diebus opportunis excursionibus *Botanicis* praefuit.

II. IN ORDINE JURECONSULTORUM.

H. F. DECOSTER, Prof. Ord. sexies per septimanam hora IX, *Jus Civile Hodiernum;* diebus Martis et Veneris hora III, *Jus Publicum* continuavit; diebus Lunae et Mercurii, eadem hora *Diplomaticam* docuit.

J. P. DE BRUYN, Prof. Ord. sexies per septimanam hora X, *Pandectas;* diebus Lunae, Mercurii et Jovis, hora III, *Jus Naturae et Gentium* explicavit.

F. M. BIRNBAUM, Prof. Ord. diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII, *Jus Criminale Hodiernum;* diebus Mercurii et Jovis, hora XI, *Juris Encyclopaediam et Methodologiam* continuavit.

A. C. HOLTIUS, Prof. Ord. *Institutiones Juris Romani* enarravit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis hora X; *Historiam Juris Romani*, diebus Lunae, Mercurii et Jovis hora VIII.

Alternatim Professores *Exercitationibus Disputandi* semel per septimanam institutis praefuerunt.

III. IN ORDINE PHILOSOPHIAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

G. J. MEYER, Prof. Ord. diebus Lunae et Jovis hora II, *Linguae Belgicae Grammaticam* explicavit, simulque *Exercitationes Belgice Scribendi* instituit; diebus autem Mercurii et Saturni, eadem hora *Praecepta Stili Belgici* tractavit. Inde a mense Majo, hae Scholae hora VII matutina, ha-

bitae sunt. Diebus Martis et Veneris hora II *Historiam Patriae* exponere perrexit. Tempore opportuno *Literarum Belgicarum Historiam Praeceptaque Eloquentiae* tradidit.

F. J. DUMBECK, Prof. Ord. diebus Lunae, Martis et Mercurii hora X, *Historiam Universalem Antiquam*; diebus Mercurii hora XI et Jovis ab inde hora X ad XII *Antiquitates Romanas*; diebus Lunae, Martis et Veneris hora V pomeridiana, aestate vero provectiori hora VI matutina *Historiam Europae Politicam cum Statistica* continuavit.

G. J. BEKKER, Prof. Ord. diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora III et inde a mense Majo hora VII matutina scholas Graecas continuavit. Qui ad *Antiquas Literas* unice sese applicuerunt, eorum moderatus est exercitationes tam in Graece scribendo et in interpretando *Isocratis Panathenaico*, quam in elaborandis *Commentationibus Criticis et Antiquariis*, die Lunae ac Jovis hora III. Iisdem praeterea enarravit *Antiquitates Graecas* binis per septimanam horis.

F. A. AB REIFFENBERG, Prof. Extraord. diebus Martis, Mercurii et Jovis hora IX, *Logicam et Metaphysicam* continuavit; diebus Veneris et Saturni, eadem hora, Lectiones super *Criticismo*, *Ethica et Historia Philosophiae* habuit, et cum iis de *Platone et Tullio disputationes* conjunxit.

J. JACOTOT, Lector, *Literas Gallicas* tradidit diebus Martis, Jovis, Veneris et Saturni, hora V.

IV. IN ORDINE MEDICORUM.

J. M. BAUD, Prof. Ord. omni die, hora VII, Lectiones *Chirurgiae practicae* in Nosocomio Civili habuit; diebus Martis et Veneris, hora XI, *Medicinam Forensem;* diebus Mercurii, Jovis et Saturni hora III pomeridiana *Theoriam Chirurgiae* tradidit.

F. J. HARBAUR, Prof. Ord. hoc tempore Rei Medicae in omni regno regundae causa e Cathedra evocatus, scholas non habuit.

G. J. VANGOBBELSCHROY, Prof. Ord. diebus Lunae, Martis et Mercurii hora IX *Physiologiam;* diebus Jovis et Veneris, eadem hora *Pathologiam Generalem* explicavit.

C. F. JACMART, Prof. Ord. omni die hora VIII, *Clinicis Exercitationibus* in Nosocomio Civili praefuit, et tirones ad *praxin Clinicam* instituit; hora IX, *Diaeteticam et Materiam Medicam* docuit.

A. VAN SOLINGEN, Prof. Ord. diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis hora II, *Artem Obstetriciam et Morbos Mulierum tam Gravidarum quam Puerperarum* explicavit, simulque cum hac Institutione doctrinam *Pathologiae Generalis* conjunxit. Diebus Lunae hora III auditores suos *Encheiresibus Obstetricis* instituit. Horis praeterea opportunis, *Praxi Clinicae* praefuit, quoties puerperae in Nosocomio Civili decubuerunt. Medicinae denique Candidatis, Theoriae peritis aditus quoque ad institutiones Clinicas in Nosocomio Obstetricio concessus est.

Alternatim Professores, *Exercitationibus Disputandi* semel per septimanam institutis praefuerunt.

III.

ACTA ET GESTA

IN SENATU

TAM ACADEMICO QUAM AMPLISSIMO.

ACTA ET GESTA

IN SENATU

TAM ACADEMICO QUAM AMPLISSIMO.

DIE X OCTOBRIS MDCCCXXIII.

Recitatae sunt Literae Collegii Curatorum, quibus communicatur Regium Decretum, quo Vir Exp. A. VAN SOLINGEN, jam Medic. in Academia nostra Professor Extraordinarius, in eodem Ordine creatus est Professor Ordinarius.

DIE XVIII OCTOBRIS.

Praelectae sunt Literae Ill. Curatorum, quibus Senatum participem faciunt edicti Viri E. Principis Reipublicae Literatae Moderatoris de futura statutorum Academicorum recognitione.

DIE IV FEBRUARII MDCCCXXIV.

Auditis singulorum Ordinum Decanis, et re accuratius diligentiusque perpensa, majori sententiarum numero statutae sunt adnotationes quae statutis Academicis addendae videbantur.

DIE XXVI MARTII.

Ex Commendatione Ordinis Medicorum, et omnium consensu, Diploma Med. et Chir. Doctoris, in virium omnium doctrinarum genere Cl. JOAN. CAR. FRID. HAUFF, Philos. Doctorem et in Academia Gandavensi Physicae et Chymiae Professorem ex art. XXX Cod. Academ. conferri Senatui placuit.

DIE XII MAJI.

Recitatae sunt Literae Viri E. summi rerum internarum in Regno Praefecti, quibus Senatus certior factus est, summam administrationem Disciplinarum et Artium Regio Decreto cum ministerio Rerum Internarum esse conjunctam, atque Viro Ampl. et Consult. D. J. VAN EWYCK hoc Administratoris munus esse confisum.

EODEM DIE.

Sex electi sunt Candidati, e quibus ab Aug. Rege sumatur, qui anno proximo Academiam sit recturus.

DIE XXI JULII.

Praelectum est Regium Decretum, quo Rector Academiae Magnificus in annum proxime sequentem designabatur Vir Cons. F. M. BIRNBAUM, cui Rector Magn. et suo et omnium Collegarum nomine de illa dignitatis accessione gratulatus est.

EODEM DIE.

Rogante Ordine Philosophorum atque omnibus ad unum assentientibus, Diploma Doctoris Philos. Theor. et Magist. AA.

LL. Viro Ampl. FRID. ROUVEROY, Academiae Leodiensis Curatori, ob insignia ejus merita, honoris causa deferendum esse decretum est.

Denique sex electi sunt ex art. 194 Cod. Acad. diversorum Ordinum Professores, muneris Senatus Actuarii in annum proximum Candidati.

DIE XXIV JULII.

Publice habita est Oratio Inauguralis a Viro Exp. A. VAN SOLINGEN : *De Facultate Sentiendi et Cognoscendi celeri et temporali in factitanda Medicina.*

DIE VI OCTOBRIS.

In Senatu Amplissimo, ex Ordine et Lege, Rectoris Assessores electi sunt,

Ex Ordine Phil. et Lit. Hum. G. J. BEKKER.

Ex Ordine Medico, A. VAN SOLINGEN.

Ex Ordine Discipl. Math. Phys. F. J. GOEBEL.

Deinde Senatus Actuarius renunciatus est J. B. VAN MONS V. Cl. Quibus peractis Vir Cl. F. J. GOEBEL, habita Oratione, praemiisque Studiosis optime merentibus solemniter distributis, Magistratu Academico se abdicavit, et Vir Cons. F. M. BIRNBAUM, praestito ex lege Juramento, munus ipsi delatum in se recepit.

IV.

ADRIANI VAN SOLINGEN

ORATIO

INAUGURALIS.

IV.

ADRIANI VAN SOLINGEN

ORATIO

INAUGURALIS.

VII.

ADRIANI VAN SOLINGEN

A. L. M. PHILOS. ET MED. DOCTORIS

ORATIO INAUGURALIS

DE

FACULTATE SENTIENDI ET COGNOSCENDI CELERI ET EXTEMPORALI IN FACTITANDA MEDICINA;

PUBLICE HABITA IX. KALEND. SEXTIL. MDCCCXXIV;

QUUM ORDINARIAM MEDICINÆ PROFESSIONEM

IN ACADEMIA LOVANIENSI

SOLEMNI RITU AUSPICARETUR.

L. S.

Cum quæ sentimus exprimi verbis vel explicari nequeant, illius sensus, qui vulgo tactus medicus *vocatur et in quo explicando haec mea Oratio versatur, fontes tantummodo quosdam, unde is existat, demonstrare potui: quapropter putavi præcipua facta pathologica, quæ celerem illum et extemporalem Medici sensum excitent, obiter quidem me persequi et spectare oportere, cum eorumdem et gravitas et multitudo amplitudinem postularent longe excedentem terminos orationis, cujus tantummodo partes vel effigiem quasi deminutam publice dicens proposui.*

Perillustres Academiæ Lovaniensis Curatores! Viri Amplissimi!

Magnifice Rector!

Quarumlibet Artium Disciplinarumque Professores! Viri doctrinæ fama Conspicui, Clarissimi!

Divinæ Mentis Interpretes, Viri plurimum Venerandi!

Artium liberalium Magistri et Doctores Eruditissimi! Expertissimi!

Cives Academici! Florentissima juventutis corona! Patriæ spes! Parentum gaudium! Noster amor!

Quotquot præterea adestis Cives, Hospites, cujuscumque loci atque ordinis Auditores Spectatissimi, Exoptatissimi!

Ingenii humani facultas, quamvis magna et excellens, tamen ad artes quasdam penitus percipiendas recteque exercendas per se sola haud quaquam sufficit. In artibus enim quibusdam, quanquam certis illae naturae legibus, velut firmis veritatis fundamentis innituntur, multa reperias, tam varie inter se connexa et implicata, simulque communi naturae normae ita absona et ut videntur ita adversa, ut vel acutissimae mentis acies haereat et confundatur. Animi ingeniique indolem cum universa corporis forma tum maxime vultus orisque lineamenta tam evidenter indicant ut dubitari non

possit, quin Physiognomiae observationes rationem aut artem aliquam suppeditent cognoscendi non solum, quam quisque interiorem corporis naturam, verum etiam quam animi ingeniique indolem habeat. Ejus rei exempla veteres historici diligenter memoriæ prodiderunt. Titus, deliciæ illæ generis humani, qui diem, quo nemini beneficium præstitisset, se perdidisse judicabat, forma fuisse egregia legitur. Vespasiano in forma corporis multum erat auctoritatis. Caligula autem, monstrum illud horrendum, enormem habuit corporis staturam, oculos concavos, vultumque prorsus horridum ac tetrum. In Tiberii vultu severitatis indicia jam priusquam ingenium ille exercere posset ac fovere, ita elucebant, ut Augustus ea apud Senatum excusare conaretur, naturae vitia esse, non animi professus. E Caesaris adhucdum juvenis ore ac vultu Syllam accepimus prædixisse, in eo multos Marios inesse. Vultus et oris lineamenta sunt indicia pathognomica, ut vocantur, quæ singulis insunt populis ac familiis sub diverso coeli tractu viventibus, quorum notae aliorum animos mutuo tactu quam celerrime afficiunt. Plerumque enim vel primo hominis ignoti adspectu, ad sensus vel benevolentiae vel fastidii trahimur. Sic Principem aperto ac generoso vultu nitentem venerari ac diligere solemus, cum refugiamus ab ore et oculis tectum et suspicacem animum prodentibus. Sed imagines ejusmodi non tantum animos nostros tangunt, verum omnes, si non lapides sumus aut trunci, ad adspectum Apollinis illius Belvederii velut igni quodam coelesti inflammamur et ad divinitatis societatem adspirare audemus, cum in humana figura tam coelestem naturae elationem oculis

propositam videmus. In omni rerum natura nihil pulcrius certe invenitur quam hominis, maxime mulieris forma. Jam harum imagines aliæ aliter nos afficiunt. Venus illa libidinosa brutos corporis sensus excitat, cum mater infantem suum spectans vultu tenero simul et flagrante lacrymas nobis ex oculis elicit. Gravis atque severa Minerva venerationem quidem jure suo postulat, sed imago mollis ac tenera, cujus arguti oculi leniores mansueti animi virtutes cum robore mentis conjunctas significant, hæc illa est, quæ amoris ac desiderii faces in animis accendat.

Corpus autem humanum instructum est magna multitudine organorum atque contextuûm, qui singuli suo modo vivunt, quorum operationibus concentuque normali, ut dicitur, omnis vitæ summa continetur; itaque contextus illi suam quisque vim habent in oris vultusque habitum, unde fieri necesse est ut lineamentorum compositio multis modis ita commixta sit, ita perplexa, quin etiam, ut nostrae quidem mortalium aciei videtur ita perturbata, ut eorum implicationem oculorum vel judicii acumine discernere et extricare non possimus. Quæ cum ita sint in sanitate corporis, quam multiplices censebimus esse implicationes istas, atque adeo perturbationes, quandocumque contextus illi sint morbosi atque corporis habitum vultumque ratione pariter abnormi afficiant? Quo magis est quod miremur observationes ejus generis perturbationum tamen a periti viris in formam doctrinae, quam Semioticam dicimus, esse conclusas.

Quemadmodum Physiognomia in sanitate corporis indicia quævis notat, docet, explicat; quamquam eorumdem compositionem recte discernere hominum sæpe mentem oculosque fugiat: sic Semiotica singula morborum indicia cognoscere, discernere, ponderare docet.

Jam Semiotica illa, de qua loquimur, quam saepe fit ut nos ad aegrotantis lectum prorsus destituat ac deserat, ut indicia ipsa quorum illa cognitionem tradit, vel peritissimum et observandis aegrotis exercitatissimum Medicum sæpenumero confundant; ut aliud ab alio disturbetur et illud quasi certamen aut controversia Medicos inducat ad præscribendi agendique rationem sibi invicem plane contrariam.

Quod si qui tamen cum idonea artis Medicae scientia judicii subtilitatem et observandi exercitationem usumque conjunxerit, is, inquam, Semioticae præceptis adjutus magna valebit facultate sedes et causas morborum investigandi et discernendi; ad cujus facultatis fastigium is accessisse videtur qui, præter ceteras boni Medici artes, tanta recte judicandi et celeritate et firmitate excellat ut, nullis cogitandi deliberandique rationibus usus, statim videat et sentiat etiam ut sese res habeat, æque ac rerum, quæ oculis spectantur, pulchritudinem ac venustatem uno adspectu percipimus : vel quemadmodum omni humano generi natura ejusmodi instinctum ingeneravit ut a malis prius refugiamus, quam qui dolores inde exorirentur, cogitaverimus; sic in Medica arte exercenda si qui simili sensu abdito, tam celeri tam extemporali instructus reperiatur, is demum artis hujus princeps esse cognoscetur; hic enim totam

artem uno quasi prospectu complectitur et absque ulla meditandi ratiocinandive mora sensu illius interioris impetu cum quæ qualis sit res videt aut sentit, tum quid quoque tempore faciendum sit e vestigio intelligit recteque decernit.

Haec, quam diximus, facultas prudenter adhibita cum ad medicinam in temporibus dubiis et ancipitibus exercendam eximium adjumentum et summam utilitatem adferat, non alienum neque a mea persona, neque ab hujus diei locique opportunitate judicavi si de illa facultate dissererem, et vobis A. A. H. H. ob oculos ponere anniterer Medicum illum præstantissimum, qui adeo in aegri causam et locum se cogitationibus transfert, ut quæcumque illi accidant ipse sibi sentire videatur atque in curatione morborum, artem quamdam divinandi, non falsam eam sed verissimam, sequatur; dicam igitur : *De facultate sentiendi et cognoscendi celeri et extemporali in factitanda Medicina.*

In principio autem Orationis duae vel molestiae vel pericula, quibus illa facultas, de qua nobis erit exponendum, obnoxia est, commemoranda videntur. Primum, si qui homo non tam artis suæ peritior aliis, quam arrogantior temere putet hoc se sensu in primis excellere, cum inflatione tantum inani intumescat; deinde si is, qui hoc quidem abdito sensu instructus est, caeca ductus fidentia eum ut divinum inflatum sequatur neque severæ rationis disciplinaeque judicationi, quam primum poterit, submittat; sed his vestro ipsorum judi-

cio relictis, in ipso orationis limine in scopulum multo difficiliorem superatu incidimus.

Sensus ipse neque definitione aut verbis explicari, neque ratione aut argumentis doceri potest. Itaque in ejusmodi conatibus frustra sudare supersedentes, Vobiscum tantum observationes aliquas communicabimus, unde via monstrabitur, qua sensum illum abditum vel consequi vel excitare possimus: vocabimus igitur mentes vestras ad aegrotantium lectos, et in triste illud miseriarum humanarum theatrum oratione nostra usque reducemus, ut tempora ibi gravissima spectemus et præsertim qua ratione sensus ille celer et extemporalis adficiatur, consideremus.

Jam initium faciamus A. A. H. H. a communi omnium morborum caussa sive origine observanda, quæ a sola nervorum irritatione est repetenda.

Omnes omnium corporum motus per universam rerum naturam efficiuntur attrahendi et repellendi vi, quæ cunctis ubique rebus insita est. Etenim quæcumque sunt in rerum natura, vivunt; vel metalla non crescunt ea solummodo, verum illis etiam suæ vitæ genus est: quæ alia quæso, quam vita ejusmodi causa sit quod metalla chymica arte modo dissolvi modo coagmentari possint, tum etiam quod omne genus plantarum crescat et vigeat. Affinitas illa vitalis, ut vocatur, maxime apparet in animalium natura victuque: quædam eorum consensu aliquo ad se invicem adplicantur, cum alia ab aliis ita refugiant ut impetu naturali ducta se invicem devorent: An-

guilla electrica omnes tum homines tum bestias electrica adfectione a se repellit, præter alipam, cum qua una velut amicitia intercedit. Eadem, quam diximus, proprietas reperitur in operationibus contextuum omnium animantium : nimirum est vegeta quædam causa motus illius activi, quo fit ut organa liquores alios secernant, absorbeant alios. Quod autem magis etiam mirum videtur, affinitas illa vitalis intercedit quoque inter animantia et res inertes. Velut aves, eas solum, quibus vescantur, sibi legunt res, quæ naturæ suae, organis sint congrua sive affinia. Anas autem in aquam se audacter immittet. Et nos ipsi spiramus et movemur in circumfusis, quorum alia nostræ sensibilitati amica sunt, alia eidem inimica semper et infesta. Quolibet attactu rerum externarum organa moventium (qua dictione non solum aër, victus, potus aliaque ejus generis significantur, verum etiam vox et scriptio aliorum animos motu aliquo sive jucundo sive tristi adficiens) quolibet igitur attactu earum commoventur et stimulantur fibræ vegetæ, qui motus rationi ejus sensibilitatis vel convenit vel cum ea discordat. Si dissonus est, *irritatio* vocetur, atque eum intelligamus attactum rerum externarum, qui vel propter quantitatem vel qualitatem haud congruit rationi sensibilitatis quæ cuique fabricae animatae est tributa. Jam ut motus quilibet sive sensatio, ut vulgo dicitur, sic etiam irritatio illa fit nervorum ductu : idcirco omnis irritatio aegram aliquam nervorum adfectionem, nervosin in sermone doctorum dictam, efficit (a).

(a) Modus quidem aut ratio, qua nervi illi irritationis duces operentur, nostram tam oculorum quam mentis aciem prorsus latet et utrum ipsi vibrentur nervilematum opera, (par

Omnium autem quas in nervorum operationibus fieri videmus, nihil est mirabilius neque a ceteris actionibus animatis discrepantius, quam exinanitio illa nervorum, qui instaurari nequeunt nisi quiete sola; hæc enim opportunitatem iis præbet partim ex aëre circumfuso, partim e contextibus corporis subsidia inbibendi: sic lacertum diutius extentum tenere aut alium quemlibet, quamvis facillimum statum aliquod tempus, ne in quiete quidem, servare possis: similiter naturæ frustra adversaretur, si qui cogitandi vires perpetuo intensas habere vellet: quin etiam moriatur necesse est, qui almo somni fructu per vim perpetuo fraudetur.

Jam si in statu integræ valetudinis ista enervatio influxus nervosi inopiam adfert, facile intelligitis quanto major esse debeat exinanitio illa, quando irritatio vires nervorum immodice consumserit. Hæc exinanitio nervorum est illa debilitatio sive metuenda ista adynamia, quam multi Medici tantopere timent atque abhorrent ut eam scilicet avertere studentes ir-

autem 1 et 2 nervilemate carent,) an eodem modo ac columna Voltae motum efficiant per fluidum quoddam inponderabile quod fluido electrico prorsus est analogum, id ignoramus; Confer *Tract.* M. ROCHOUX *de l'altération des humeurs. Nouv. Bibl. Méd.* 1re *année*, *T. III. pag.* 25. Sed tamen certo cognovimus eos cujusvis attactus sensum cum cerebro communicare. Inter doctos pariter constat nervos omnibus motibus, tam animalibus quam organicis præesse, eosque vim et sentiendi et movendi, quorum *utrique suum* esse organum videtur, interdum separatim, utrumque plerumque una simul exercere. Cl. autem MAGENDIE in Diario Phys. exp. et Pathol. de pluribus experimentis commemorat, summa cautela factis, ut probaret ramos posteriores nervorum rachidicorum sensui et anteriores motui esse dicatos. *Journ. de Phys. Exp. et Path. T. II. p.* 276 *et* 366. Quam sententiam, inscio Magendie, cum amicis suis jam communicaverat CH. BELL. Conf. *Tract. ibid. p.* 370. *cit. Idea of a new Anatomy of the Brain, submitted for the observations of his friends.*

ritationem, usque grassantem remediis tonicis ac corroborantibus, aeque ac incendiarii magis etiam inflamment et augeant, atque adeo letalem exitum ipsi concitent vel certe accelerent. Alii contra exinanitionis et malorum, quæ eam sequuntur, vel ignaros vel immemores se præbent, cum ancipiti temporis articulo, ubi texturarum dissolutio et gangraena vel immineat vel jam adsit, cessant vires activas nervorum confirmare et hac via partibus corporis adfectis vitam restituere. Medicus autem ea, quam ante diximus, facultate instructus, ut aegrotantis statum non tam lentæ rationis auxilio discernat quam celerrimo mentis motu sentiat, is igitur ex oris vultusque habitu aegrotantis, tam ejus, qui morbo acuto jactetur, quam qui lentione tabescat, primo statim adspectu defectum influxus nervosi persentiscet. Intuetur vultum aegri rigidum, torpidum, immobilem, cujus forma et lineamenta neque alloquio, neque quæstionibus, neque admonitionibus vel nihil prorsus mutantur vel eatenus tantum, quoad fieri necesse sit in brevissimis responsionibus; observat habetem aciem oculorum in eumdem locum defixorum, nullum plane animi adfectum, sed torporem et apathiam indicantium; et jam continuo intelligit quanta hic prudentia sit contra irritationem illam pugnandum: quæ prudentia in hoc malo debellando omnino periti est Medici: ex simili vultus glaciati indicio notisque, cui perniciosa illa adfectuum vacuitas item conjuncta est, agnoscit puellam chlorosi laborantem, cujus facultas nervosa assiduis digestionis perturbationibus vehementer est exhausta. In gravida quoque muliere, ut primum eam adspexerit, sermonem de rebus communibus exorsus, animadvertit statim letiferam illam apathiam, quæ

nullis, nec amicitiæ nec amoris nec pietatis curationisque sedulæ tormentis convelli labefactarive potest: quo aegrotantis statu cognito summam sibi cautionem esse adhibendam intelligit, præsertim cum exinanitionem ejusmodi nervorum in gravidis mulieribus interdum sequatur suicidium et post partum haud raro delirium perpetuum, eum rabie subinde conjunctum: ex qua re manifeste apparet facultatem nervosam, quæ in amentia irritatione continua fuerit exhausta, instauratis deinde viribus activi sui roboris incredibilem vehementiam saepe summamque quasi mensuram exhibere.

Haec observatio nonnullis ansam præbuit suspicandi vires quasdam in vita animali velut in subsidio esse relictas, quae non moveantur ad actionem nisi in certamine intentiore sive exaltatione, ut Medici loquuntur (a). Sic maniaeus saepe ex tranquillo statu derepente in vehementem rabiem erumpit, et jam periti est Medici, ejus videlicet, qui primo oculorum obtutu ut aegri res sese habeat persentiat, prævidere accessionis ejus generis furiosas ex fulmineis scintillis quas oculi micantes emittunt.

Nevrosis autem cum indole et magnitudine sit diversissima, jam nobis disserendum est, quomodo illa diversitas sensu illo abdito et celeri statim observata dignoscatur.

(a) Vid. J. LORDAT, *Exposition de la Doctrine médicale de P. J. Barthez. Paris* 1818, *p.* 217. Doctrinam Professoris hujus Montpeliensis fusius exposuit Cl. BERARD in eadem schola Prof. Med. Pract. opere cui titulus est: *Doctrine médicale de l'Ecole de Montpellier et comparaison de ses Principes avec ceux des autres écoles de l'Europe, Montpellier* 1819, cui epigramma modestiae plenum adscripsit: *Olim Coüs nunc Montpeliensis Hippocrates.*

Interdum quidem cuncta nervorum compages irritatione labefactatur, ut sæpenumero fit in externa corporis læsione : plerumque tamen ea vim suam exercet separatim in aliquam corporis animalis texturam et proin in peculiarem quemdam nervorum contextum, qui mox adfectionem illam incommodam et aegram propagans cum cerebro communicat. In nevrosibus igitur ut morbi sedes detegatur, omnino scire oportet, utrum idiopathica sit an deuteropathica nevrosis : porro si est idiopathica, quærendum est activitasne nervosa in exaltatione sit an exhausta; unde discerni solent nominibus activae et passivæ nevrosis.

Nevralgiae, quarum intermissio et periodus exinanitione et instauratione activitatis nervosæ, me judice, non incommode explicatur, non solæ inter nevroses ideopathicas sunt referendæ, sed omnes omnino adfectiones dolorosæ, quæ quidem inflammationis vel febris sunt expertes vel non mixtæ, indicant nevroses essentialis (a), quas cum indicia vulgo

(a) Quæ ita sunt intelligenda ut ad primam nevrosium invasionem inflammatio et febris absint. Hæc enim haud raro, quin etiam plerumque nascuntur post insultum nevroseos, quemadmodum illud fit in affectionibus arthriticis et rheumaticis, in quibus dolor semper præcedit. Ad nevroses essentiales referendæ quoque sunt illæ adfectiones, quas vehemens terror vel perturbatio mentis sæpe pariunt, unde irritatio secretoria alios profert morbos absque inflammatione vel febri; quod ipse expertus sum cum magnum terrorem sequeretur icterus universus, qui laudani tantum ope superari poterat. Terror etiam et perturbatio sæpe universum virium collapsum atque adeo mortem præsentissimam effecerunt, quando nimirum nervorum operatio ita supra modum est intenta et exaltata, ut mox vel statim exinanitio subsequatur, quo facto cordis actio vel insigniter minuitur vel prorsus cessat, ita aeger animi deliquio letali percussus vitam amittat. Ejusmodi affectiones ab insultu apoplectico proficisci vulgo creditum fuit : et certe negari non potest, universam

cognita, tum vero sensus ille abditus Medico extemplo denuntiant tam vehementibus cephalalgiis in occipite, quam arida asperaque cute sine febre vel inflammatione : in primis autem quod dolor cæteras adfectiones aegras antecedat et singulare genus anxietatum adsit et agitatio cum horrore vel tremore musculorum conjuncta vehementemque irritationem cerebri prodens et gravi delirio præludens. Præter haec plurima alia sunt quæ in dignoscendis nevrosibus idiopathicis Semiotica commonstrat. Hæc vero recensere, fastidium crearet: quapropter et nunc et deinceps usque oratio nostra iis tantum indiciis immorabitur, quibus sensus celer et abditus excitatur illius Medici, qui extemporali, quam diximus, facultate sentiendi et cognoscendi est præditus.

Quod si nevrosis sive idiopathica sit sive secundaria, alio quodam morbo valde acuto sit mixta, Medici plurimum interest scire in morbi sævitia, utrum nevrosis an irritatio partis adfectæ primum debellanda sit. Jam Medicus, qualem quærimus, tum ex invita retractione linguæ exsertæ manusque prehensae, tum ex aurium sensu, supra modum acuto, statim summam intentionem organi sentiendi cognoscet, quam, nisi tempe-

compressionem nervorum, qui facultatibus animalibus præsunt, ad genus nevrosium esse referendam : labem vero quæ apoplexiam generat, ad morbos organicos pertinere docuerunt observationes Medicorum excellentissimorum, Rochoux et Riobé, (*Considérations et observations sur l'apoplexie. Journ. complement, T. I, pag.* 129 *seqq.*) quibus manifestum est encephalum per congestionem et effusionem sanguinis plurimas subire adulterationes, emolliri et novis ad serosas accedentibus membranis investiri, quæ in cicatrices et in tubercula abeunt, postquam in illis casibus in quibus apoplexia sanatur, humores effusi absorpti sunt ex cryptis et kistis, quæ genitæ fuerant per varia incrementa et accretiones novarum membranarum.

stive illa resolvatur, gravissimam nevrosim, exstinctionem scilicet totius facultatis nervosæ, per insultus apoplecticos secuturam, prævidet.

Eadem autem phaenomena, (tanta est inaequalitas sive anomalia in nervorum actione) diversis temporibus, modo influxum nervosum esse depressum et exhaustum, modo reparatum et valde excitatum indicant: quæ differentia a Medico perito, qui singulari illa sentiendi facultate valet, et animadvertetur diligenter et rite discriminabitur. In morbo chronico lacrymas invitas minime negligit, sed inde exinanitionem nervorum agnoscit, quæ in morbo acuto absque certa causa sæpe erumpunt et respirationem crebriorem efficiunt impetumque intensiorem activitatis nervosæ commonstrant. Observat idem lassitudines spontaneas, quæ in chronicis morbis exinanitionem, in acutis exaltationem activitatis nervosæ significant, quoniam in his irritatio tanto impetu influxum nervosum propellit ad musculorum locomotiones, ut nervalgia universa, antiphlogisticis tantum devincenda, eorum motus prorsus impediat, viresque specie certe opprimat, quæ tamen, irritatione subacta, sponte sua reviviscunt. In eodem morbo primo obtutu depressionem et exinanitionem discernit ab exaltatione facultatis nervosæ, quorum prius in hystericis locum habere minime dubitat propter aphoniam, hoc autem in iisdem dominari statuit, si forte aegra delirans vel in cachinnum erumpat effusum vel modos musicos sublimiores canora voce numerose pronunciet.

Facultas ea, de qua jam dudum agitur, non tam conjiciendi,

verum etiam persentiendi primo obtutu naturam morbi omnemque statum, præsertim tum plurimum habet utilitatis, cum in organis compluribus, et iis, quæ ad vitæ sustentationem sint necessaria, activitas nervosa ita est exhausta, ut collapsio generalis vel immineat vel jam inceperit interea, dum irritatio in unum aliquem aut in plures etiam organorum et nervorum contextus vim suam vehementer exercere pergat. In hoc igitur ancipiti casu, Medici, quem delineamus, est, ex ratione collapsionis ejus generalis statim decernere quanta, quam efficaci medicaminum ope contra irritationem usque pugnare liceat. Haud raro sane accidit ut irritatio usque sæviens magnamque inflammationem excitans quorumdam contextuum pariat dissolutionem: quæ tanta interdum est ut quædam partes sensu jam sint orbati atque mortis statum ingredi coeperint, cum irritatio ne tum quidem fuerit sensa, quemadmodum fit manifestum ex artubus corporis frigore perustis: quin etiam facultas nervosa interdum vel sensu jam caret, antequam inflammatio exstiterit; quod fit in partibus paralysi adfectis: vel eo usque per morbi saevitiam est exinanita ut observationibus cognitum sit iis, qui morbo erant elapsi et jam convaluerant, stuporem aliquando adhærescere.

Collapsio interim fit generalis et compages nervorum perturbata in media irritatione systematis sanguiferi, febribus cum ea conjunctis, exhibet variam inconstantiam et inaequalitatem vel exaltationis vel depressionis: quæ res nosologis, ut vulgo audiunt, ansam et opportunitatem præbuit ad tam varia morborum genera fingenda et variis nominibus signanda: hinc

igitur sunt synochus putreda, febris typhodes, putrida nervosa, nervoso-maligna, nervoso maligna putrida et in inflammationibus chronicis, lente nervosa; quæ nominum varietas, in eodem processu morboso, a variis symptomatibus tantummodo derivata est et in pathologia sane magnam parit confusionem, siquando idem morbi genus, phænomenis modo unâ, modo separatim consideratis, in plura genera distrahatur.

Quod sí jam omnem nervorum texturam systema circulatorium aestu ferventi et fluxu sanguinis incitatissimo commoveat, casus ille admodum anceps et periculosus est, in quo morbi curandi administratio uni peritissimo tantum ac solertissimo Medíco committi potest, cujus erit judicium, utrum irritationi et quousque liceat obsistere et exinanitionem simul augere; an tenues adhuc flammulas ex lucerna vitæ alere debeat atque ea ratíone fovere et vim irritationis intendere : ejus, inquam, erit Medici qui nervorum vel exaltationem, vel depressionem recte discernere ac dein judicium possit constítuere, an tonica aut revulsiva remedia et in quantum sint adhibenda : quorum remediorum ingentem et sane metuendam copiam audacter præscribendam sustinuerunt Italicae Medicorum Scholæ : (a) denique in casu, quem diximus tam

(a) In hac schola evacuantia non solum remedia, eorumque in primís Tartris Potassæ Stibiata, verum etiam Tonica acerrima et Venera irritantia pro antiphlogisticis vel contrastimulantibus ita dictis habentur. Ejus generis sunt Aconitum, Cicuta, Laurus Cerasa, Hyoscyamus, Nux Vomica, Belladonna, Acidum Prussicum, Gummi Guttæ, Zincum, Plumbum pluraque alia. (*Précis de la nouvelle Doctrine Médicale Italienne, par J. Tom-*

præcipiti, ad eum Medicum pertinebit curatio, qui idonea et ingenii sagacitate et artis peritia sit præditus, qua decernat, an is temporis articulus cum maxime vertatur, in quo anceps

massini, Prof. de Clinique dans l'université de Bologne, traduit de l'Italien, par L. V. D. Linden, *Doct. de la même université, p.* 126). Celeberrimi Medicina factitanda viri, in iis Barthez et Stoll Peripneumoniis ope Tartari emetici medebantur. (*Revue médicale, T. IX,* 1822, *p.* 186). Borda, Brera et Magendie, viri clarissimi, contra chronicas inflammationes Acidum Prussicum adhibent et Hufeland ad Scarlatinæ febris curationem Belladonna usus est; quin etiam, ut ex Ephemeridibus accepimus, eodem remedio vici integri ab isto morbo immunes sunt conservati: (*Nouveau Journ. de Méd.* 1822, *p.* 321.) Razorius inflammationem intestinorum curabat ope Gummi Guttæ. (*Tommassini l. c. p.* 65). Hanc denique medendi rationem annales clinicæ attestantur plurimis exemplis, quæ augeri etiam possint et longo annorum usu in nosocomiis Paviæ, Mantuæ, Parmæ et Paduæ (*l. c. p.* 125 *et* 126) ita sunt confirmata ut rei veritas a nemine in dubium vocari possit. Ex omnibus illis contrastimulantibus, quæ ut fortia antiphlogistica vulgo celebrantur, Italicæ scholæ nulla censent esse stimulantia præter Opium, Camphoram, Vinum, Alcohol, Caloricum, Electricitatem, Phosphorum et alia quæ aromaticæ naturæ sunt, quin etiam illa stimulandi vis an Cortici Peruvianæ insit dubitant. Ista igitur cum exemplorum usu confirmata non magis in controversiam adduci possint, quam hodie in contentionem venire valet in Peritonitide inflammationem a celeberrimo Professore v. d. Zande, Mercurio adhibito ad glandulas salivales derivari; nunc haec exsistit quæstio quo pacto illæ curationes mirificæ efficiantur. Quoniam autem nobis cognitum est, quam revulsivorum potestas sit salutaris, ubi antiphlogistica frustra sunt adhibita, aut ubi persistere in eodem curationis genere propter collapsum universum non licet, omnes facile intelligunt curationes, quas diximus, revulsione sola inflammationis explicari posse, ad quam Itali statim ab initio morbi se conferunt, cum venena gravissima et tonica irritantia hic illic nova inflammatione primitivam phlogosin aliorsum deducunt; sæpe quidem felici successu, tamen, nostro judicio, non sine summo periculo: profecto ecquis Medicus generosa indole negaverit, in inflammatione, si qui collapsus universalis et dissolutio partis primitive inflammatæ ostendantur, omnino necesse esse ut vita ipsa sustentetur: cujus rei exemplo est inflammatio gangrænosa et scorbutica cum putredine dicta nosocomiorum; (*pourriture de l'hôpital*). Resolutio quoque et suppuratio processus sunt pathologici, qui idoneam vis vitalis quantitatem exquirunt in parte ipsa affecta. Ad hoc corruptio humorum per inflammationis vehementiam interdum tam prope imminet ut prudentem Medicum summa cautela uti oporteat; in primis si irritatio pro-

remedium melius esse nullo remedio, recte præcipitur, in quo igitur extrema coactus est experiri, atque adeo sive tonicis, sive revulsivis, quæ aliis contra stimulantia dicuntur, instantis mortis accessionem oppugnare debeat.

Ex iis, quæ adhuc disputavimus, facile patebit Medicinae difficultatem eo esse majorem, quo majore ingenii sagacitate et usu opus sit ad stimulantia in phlegmasiis præcipue acutis adhibenda (a): jam in tam præcipiti rerum periculorumque statu Medicus noster non tantum exaltationem facultatis nervosæ depressionemque cognoscet, verum etiam uno sensus impetu depressionem et exinanitionem distinguet et persentiet. Illum autem minus movebunt oris distorsiones variaeque ejus figuræ modique, ex quorum conjunctione exsistit, quæ vulgo dicitur, facies Hippocratica: earum enim perversionum multiplex varietas modo exalta-

fecta ab exhalatione miasmatum in nosocomiis, castris, carceribus, locis palustribus et humilibus, tam celeriter et tam brevi post morbi accessum talem partium resolutionem efficit, ut vix aut ne vix quidem tempus supersit ad antiphlogisticam curationem tentandam: usus etiam tonicorum externorum in ophthalmiis demonstrat subtilem texturam partium docere, ut totius partis interitus caveatur, vim vitalem necessario esse sustentandam: quemadmodum infra nobis dabitur opportunitas admonendi in chirurgia ad putredinem cavendam gravissimas irritationes incisionum in anthracibus et vesicantium in centro erysipelatis requiri.

(a) In casu difficillimo et ancipite versatur Medicus, quando signa inflammationis proserpentis conjuncta sunt cum iis, quæ dissolutionem partium et universam virium defectionem denunciant. Ratio sane quam difficilis dispiciendi decretorium illud momentum, quo vel perseverandum est in antiphlogistica indicatione vel remedia revulsiva aut tonica sunt adhibenda, monstrata est magna cum subtilitate et longi usus prudentia ab J. VAN ROTTERDAM, cl. Viro, in disputatione *De Sanguinis missione in febribus intermittentibus et continuis*, quæ præmio coronata est ab Academica Societate Parisiensi, in certamine literario anni 1812.

tionem, modo depressionem nervosae activitatis et exinanitionem indicat, et quarum magna series in observationibus autopsiæ præmitti solet : idem pulsu non prorsus confidet, qui in febribus putrido-nervosis, quas dicunt, durus, debilis ac celer est, qui semper autem fallax est et præsertim in adfectionibus nervosis supprimitur spasmo : sed primo oculorum obtutu facultatis nervosæ constitutionem universalem perspiciet ex diversa phaenomenorum ratione et omni aegrotantis habitu. Atque duo sunt genera rerum contrariarum quas accidere videbit; omnes scilicet magnae irritationis effectus simul ostenduntur cum iis, qui pertinaci debilitationi adhaereant. Haud multo post morbi invasionem exterior corporis cutis accipit colorem cinereum et lividum, qui rubrum vividumque colorem inflammationi proprium excepit. Sentiendi audiendique acies jam est obtusa, quod in morbi principio pessimum signum est. Ceterum facultatem nervosam esse consumtam mox videt ac sentit Medicus, de quo disserimus, ex oculis torpidis et vitreis, ex facie contracta et rigida, quæ subdelirium et coma somnolentum comitatur ; quorum omnium phaenomenorum congregatio eidem statim primoque oculorum adspectu morbi diagnosin suppeditat : aegrum autem expergisci cum stupore quodam, seu apathia, præsertim etiam expergisci cum horrore et admiratione si videat, animadvertet atque agnoscet in his signis quasi mortis præcursionem. Morbi natura ac status rursus, si forte irritatio in alium locum fuerit translata, multo minus periculosa illi videbuntur. Audierit vero altum illud suspirium, quod verbis describi non potest, sed ab exercitatis tantum percipitur et dignoscitur, exspiratione illa profunda et

quodammodo sonora, euphoriam indicante, pulmonum resolutionem adesse laetus observat.

Hac autem facultate omnem morborum rationem habitumque celerrime sentiendi tum cum maxime Medico opus est, cum periculum urget summum et præsentissimum, quemadmodum illud incredibili celeritate exoritur, quando irritatio accensa sit miasmatibus vel xenodochii vel carcerum vel strage cadaverum in acie caesorum vel evaporationibus vegetabilium et animalium putrefactorum vel exhalatione terræ humilis, humidæ, palustris. In his enim casibus Medico, vix aut ne vix quidem ullum superest tempus ad irritationis vim comprimendam vel sanguinis missione vel revulsivis, quandoquidem resolutio contextuum et exhalatio putridæ, quæ inde oritur, corruptionis paucis horis incipit: quapropter simulac phlogoses cum febribus, quas lues illa parere solet, apparuerint, extemplo imminentem corporis interitum magna tonicorum medicaminum vi, quantum fieri potest, arcere debet, licet magnum sit periculum ne irritatio simul increscat.

Quanta et quam salutaris ea sit medici facultas, quam tractamus, qua vel exauctas vel imminutas nervorum vires activas discernat, vel hac re fit manifestum, quod fieri potest ut vehementissima irritatio vitam seu vigorem partis alicujus intenderit, cum idem in alia parte jam sit extinctus collapsione paene universa; tum maxime, quod haud raro accidit, ut exaltatio illa et depressio nervorum uno tempore exsistant: convulsiones quæ, exhausta sæpe facultate nervosa partis affectæ

sive in infantibus, sive in puerperis magno longoque dolorum cruciatu defatigatis et in aegris morbo exhaustis monstrant encephalum ad aequilibrium conservandum receptivitatem nervorum alibi concitare: idem fieri videmus in morbis caducis sive epilepticis, quando activitate sentiendi subpressa, movendi activitas augeatur et in paralysi ejus partis, quæ parti adfectæ sit opposita, ubi hominis dextri ac sinistri aequilibrium sit interruptum (a). Hisce igitur probe cognitis, Medicus noster sola mali intentione mox dijudicabit, utrum irritatio symptomatica, quæ in allatis exemplis convulsio est et epilepsia, an exinanitio nervosa, quæ per influxum nervosum, in aliam partem delatum, ejusdem convulsionis et epilepsiae causa exsistit primaria, primum sit debellanda.

(a) Convulsiones et adfectiones paralyticæ quæ observantur in illa parte corporis, quæ adfectæ parti opposita est, prorsus pendent ab exaltatione et ex inanitione vis nervosa. Si encephali alterutrum hemisphærium sit læsum, fieri tamen potest ut ab utraque parte systema nervorum turbetur, unde convulsiones in utraque parte exsistant, et systema nervosum mox exaltatione illa nimis intentum et exhaustum ab utroque etiam latere in partibus quibusdam paralysin patiatur. Distributio nervorum in altera parte exaltata, in altera exinanita esse potest: hinc, ubi illud locum habet, convulsiones, et ubi hoc, paralyses nascuntur. Sæpe tamen fit ut pars contraria læsæ parti sola convulsionibus vel paralysi adficiatur. In priore casu *receptivitas* nervosa in parte læsa mox vehementi irritatione est exhausta, ita ut in partem oppositam eo majori vehementia transferatur: in posteriore casu affluentia vis nervosæ ad partem læsam tanta est, ut aequilibrium in parte non læsa penitus disrumpatur; unde paralysis partis non læsæ nascatur necesse est. Ex his omnibus apparet non tantum singulos nervorum contextus suam sibique propriam vivere vitam, in quorum alio sit exaltata et in alio, eodem tempore, exinanita vis nervosa, verum etiam corpus animale, cum vasorum nervorumque systema sit dextrorsum et sinistrorsum dispersum, in duo systemata particularia esse divisum, quorum functiones modo concordent, modo discrepent; quæ magna copia observationum pathologicarum, quos morbi semi hominis suppeditant, illustrata sunt et probata a Viro cl. M. S. DEPUI, in disputatione doctissima et diligentissime elaborata *De Homine dextro et sinistro. Lugd. Bat.* 1780.

Eadem facultas Medici illius, qui quid quoque tempore sit agendum primo sensus impetu statim cernat ac statuat, tum maxime elucet, cum parturientis mulieris cubiculum ut primum ingressus est, e vestigio naturam perturbationum, quibus affecta est activitas nervosa, ex habitu perspicit mulieris, quæ res quasvis manibus prensans musculorum principia mobilia commutat in puncta fixa : quibus ille visis, mox veros partus dolores ac nixus adesse haud cunctanter pronunciat : dolores, quos contractiones uteri expellentis efficiunt, uno vocis sono distinguit ab iis, qui spasmo vel inflammatione moventur; in illo enim ejulatus est expellentis, in hoc est acutus et ferus : quando denique in muliere, quæ valida et extra paroxysmos quidem hilaris videbatur, extorpescente stupore hæmorrhagiam uteri et syncopen terribilem, sine præsentissimo auxilio mortiferam, esse futuram non solum prævidet, sed, quod maximum est, tempestive præcavet.

HACTENUS singularem illam abditi sensus facultatem vidimus, qua Medicus noster primo adspectu nevroses tam essentiales quam alii morbo adjunctas persentire ac discernere soleat; nunc rerum ordo caussaque postulat ut eamdem facultatem in ipso processu inflammatorio observemus et perscrutemur, quæ tractatio eo brevior poterit esse, quod nevroses implicatas inflammatione supra jam copiosius persecuti sumus.

Rarissime accidit ut irritatio in unam nervorum compagem malam suam vim exerceat : plerumque perturbationem quoque excitat in contextu systematis Angiologici : leviora quæ-

dam valetudinis genera tantum sunt excipienda, quæ per irritationem secretoriam a distillationibus catarrhosis, aut rheumatibus, perspiratione obsepta, oriuntur, vel quorum causa est repetenda ab ingestis, quæ in intestinis vel indurata vel sola et libera quasi nidulantur: quod genus morborum torporem et gravitatis sensum concitat, quamvis humorum fluxus libere per vasa commeat: ejusmodi phaenomena tamen negligere est periculosum; plerumque enim morbi alicujus adventum prænunciant; et quælibet vitæ aetas multa potest proferre exempla eorum, quos neglectæ fluxiones catarrhosæ ex hac vita sustulerunt.

Irritatio cum primum accreverit, accumulat sanguinem in contextu aliquo, simul cum tumore, rubore et aestu: quæ omnia parti irritatione adfectæ dissolutionem minantur et proprio nomine inflammationis designantur. Iste, quem dicimus, status plerumque dolore vexatur, nisi forte in parte inflammata, ut fit in resolutione nervorum sive paralysi et congelatione, sensibilitas animalis prorsus sit exstincta. Fons ex hoc malo exoritur uberrimus morborum in vita tam animali quam organica, qui ingentem numerum effert morborum deuteropathicorum ita, ut non injuria pro causa primaria habeatur plerorumque morborum. Interea dum ista inflammatio hunc illumve contextum vel organum infestat, in parte vitiose adfecta vita insigniter exaltatur, ita ut morbi isti deuteropathici pro variis ejus partis functionibus summopere inter se differant. Ex inflammatione et infestatione viscerum abdominalium nascitur hypochondria, ex inflammatione eorumdem

viscerum diarrhoeae, quæ haud raro in colliquativas abeunt et terribilium lienteriarum naturam consequuntur : ex inflammatione duodeni, præcipue per proserpentem phlogosin, icterus, ex uteri autem hysterismus, ex gutturis et bronchorum morbus scarlatinus et rubeoli nascuntur. Denique, ne plura malorum deuteropathicorum ab inflammatione profectorum exempla proferamus, adjiciemus tantum hæmorrhagias, quæ ab irritatione contextus affecti et exaltato motu vasorum exhalantium oriuntur, et hydropem per interruptum horum vasorum aequilibrium cum vasis absorbentibus, si quidem ejusmodi systema vasorum exhalantium vere esse reperiatur, neque omnis exhalatio et infiltratio per poros tantummodo fiat (a).

Ex his, quæ jam sunt exposita, satis intelligitis, A. A. H. H. quanta in Medico requiratur cognitionum facultatisque multitudo, qua, delectu subtiliter una acutissimi judicii ope facto, certo sciat, tum in quantum antiphlogisticorum medicaminum rationem adhibere liceat, tum etiam, quando, iis valere jussis, ad revulsiva se conferre debeat. Phlogisticam enim irri-

(a) M. FODERA, Med. Doct. in Academia Catanensi, multis se experimentis probare posse putat decipi eos, qui esse vasa exhalantia et absorbentia statuunt : contendit nimirum illa in corpore humano a nemine usquam detecta esse, nedum probata : hæc autem vasa absorbentia apparatum vacui, qui nusquam inveniatur, ostendant necesse esse. Multa experimenta doctissimus vir adfert ad demonstrandum exhalationem et absorptionem tantummodo fieri transsudatione et imbibitione, itaque exhalationem et absorptionem per poros esse generales functiones, quæ in omnibus partibus corporum animalium inveniantur. *Rapport lu à la Société Médicale d'Emulation, suivi de considérations sur l'absorption et l'exhalation, par* M. FODERA, *Paris chez Ballière*, 1822.

tationem morbi secundarii non solum, sed omnino organorum resolutio interdum sequuntur: hinc hypertrophiæ per nimium fibrinæ adfluxum et hepatisationes, aneurismata, hæmorrhoides et varices, pseudomembranæ et kistae per exsudationem, anthraces, carbones et pustulae malignæ; inde humorum resolutiones, cachexiae et effusiones lympharum anomolarum, quæ pro varietate contextuum irritatorum et pro vario inflammationis ipsius gradu tantopere diversæ esse videntur. Etenim in sano corporis statu cum humores secreti differant ratione instrumenti, quo sunt confecti, minime mirandum est quod in morbis succi effusi vel accumulati inter se discrepent pro varia membrorum inflammatorum textura: ut textura cellulosa effertur pus et eadem penitus adulcerata lardaceae concretiones, et circa articulos tophi enascuntur; quae degenerationes diversæ sunt pro diversis commutationibus, quas albumen et gelatina subierunt, quando sanguinis serum est resolutum: huc denique referri debent omnes ecchymoses, ulcerationes, postremum exstinctio contextus læsi.

Quæ sinistra phaenomena cum pendeant ab impetu, progressu, vehementia morbi, magnus sane ac felix prædicandus est Medicus, qui ea abdita sensus facultate valeat, ut aegro cubante adspecto morbi naturam et rationem continuo perspexerit, atque adeo quam curandi viam ingredi oporteat, absque omni dubitandi deliberandique mora decernat. Sequamur eum cogitationibus nostris ad lectum aegrotantis, videt ibi faciem nitentem ceu ceream, trementes musculos cutaneos,

habitum cubantis supinum, collo contracto; animadvertit lacrymas nulla causa manantes, cernit labra colorem habentia ex rubro subnigra, linguam autem aridam, scabram cum marginibus rubentioribus notulisque rubris interspersam; jam statim vehementem inflammationem instare prævidet : oculos extumescentes, linguamque palpitantem et humidam observet, mox apoplexiam et paralysin imminere suspicatur : tussis vero sibilans cum verbis mussatis et interruptis et nigro sedimento urinae morbum illi letalem prænunciat. Idem ex sudore præmaturo caloreque majori in morbi principio, sinistra quaeque augurabitur : contra autem maculæ petechiales et sanguinis profluvia ex solitis officinis, quæ morbo ingravescente sunt periculosa, nunc incipiente parvam timendi causam habere videntur, quandoquidem illa initio quidem morbi ex inflammatione, non vero ex corruptione exsistunt : hæc etiam morbi tempore, quod diximus, inter bona signa sunt referenda. In primis autem Medici nostri sensus commovetur euphoria, qua aegri habitus statim post rem aliquam gestam graviorem adfectus est, quando irritatio in partes minus generosas per metastasin est translata, quam crisin dixit Hippocrates. Diarrhoeas quoque cum levamine et febrim post apoplexiam lubens exsistere videt. Quod si autem irritationem eam non tam metastasi, quam impetu vehementiore in complures texturas simul vim exercuisse observet, ut in Scarlatina aliisque eruptionibus; phlogosin vehementem adesse e vestigio intelligit. Maxime vero omnium movetur spiritu aegrotantis, qui certissimus est index vehementiam morbi monstrans, quoniam in morbis inflammatoriis exiguus, debilis,

spasmo suppressus pulsus sæpius observatur, ideoque fallax præbet indicium. Nunc igitur, si spiritus cum dolore et e profundo trahitur, si brevis est et inæqualis, minime dubitat quin etiam in morbis deuteropaticis ab inflammatione natis eadem inflammatio grassetur adhuc aeque vehementer, ita ut Medicus a sanguinis missione deterreri non debeat, etiamsi aeger hydrope laboret (a).

Inflammatione autem crescente et augescente multa et varia simul phaenomena Medici mentem quasi obruunt; idem morbus, qui adhuc Synochus inflammatoria vocabatur, mox prodit magnas perturbationes et actiones nervorum abnormes, quibus illi a fonte ipso sunt læsi : unde ataxiae nomen ortum est, quod in adynamiam mutatur, si vita animalis dissolutione et corruptione est infecta. Itaque pro varia diversorum morborum commistione, similiter ac factum esse supra observavimus, quum de nevrosibus sermo erat, varia morborum genera finxerunt, cum tamen sint processus ejusdem morbi : hinc febris ataxica, ataxica maligna, adynamica, aliaeque, in quibus typhus malignus in primis recensendus est, quando pestiferi vapores locorum palustrium et lutosorum aërem adeo corruperunt ut extemplo morbus inde epidemicus progignatur.

Itaque in morbi curatione cum Medicus pro vario ejus habitu modoque variam agendi rationem sequi necessario debeat, omnes facile videbunt, quanta sit ea facultas eximia, quo uno oculorum obtutu omnes varietates ejus generis modosque,

(a) Stoll. *Rat. Medendi*, T. VI. *Vien.* 1790. p. 51. § 170.

quamprimum prodeunt, distinguat. In sincera quidem inflammatione indicatio Antiphlogistica nihil difficultatis habet; sed nervorum ratio si simul sedanda est, curandi via est impeditior, quia Antispasmodica irritant atque inflammationem augent. Crescit vero vehementer ea difficultas, quando corruptio vel dissolutio alicujus contextus vel proxime instare vel jam adesse videtur, interea cum inflammatio una cum universo virium collapsu et exinanitione influxus nervosi continuatur et infestam suam vim exercet : quo temporis articulo remedia antiseptica et corroborantia inflammationem accendunt : tunc cum maxime, inquam, acutus ille Medici sensus, per indicia, quæ commemoravimus, judicatorium et opportunum momentum animadvertet et observabit, quo oporteat eum, quamvis invitum, ut vita conservetur, ad casum periculosissimum et ancipitem uti remedio præcipiti salutis mortisque aleam habenti.

Quod si jam encephalus inflammatione adeo est lacessitus ut origo nervorum graviter sit læsa, (nunc enim A. A. H. H. accedimus ad contemplandam illius proserpentis morbi conditionem, quam pro diversi generis morbo habentes Nosologi ataxiam dicere solent); Medicus, igitur, qualem delineamus, illa indicia statim agnoscit, et de morbosae affectionis natura protinus sententiam fert. Somnus anxius cum oculis semiclausis et angoribus illi adfectiones soporosas denunciat. Luctuosum vero mortis præsentissimae signum ducit, si campanam assidue sonantem aeger sibi audire videatur : confusio

et inaequalitas phaenomenorum, artuum tremor, cogitationum distractarum volutatio, vox interrupta illi indicant cerebri reactionem esse læsam; vultus si videatur mirantis et stupentis, in aegro mortem esse propinquam sciet. Idem ex inaequalitate et perturbatione cum micantibus et ferocibus oculis cognoscit morbi violentiam : albumen oculorum prænuntiat corporis dissolutionem instare. Linguam autem si aeger ex ore exsertam habeat et dentibus frendat, plenam ataxiam, quam dicunt, agnoscit. In primis indicium illi erit indicatorium tremor musculorum, quorum motus tam feri sunt et violenti ut videatur natura virium copiam in subsidium quasi reservasse contra summum interitus periculum; e quibus motibus vehementioribus assiduum illum evadendi conatum pro mortifero signo habebit. Ad postremum nervorum vires consumtæ fallacem speciem præbent tranquillitatis, cum omnis tumultus se remittere videtur, sed istam sedationem esse infidam perspicit ex delirio illo quieto, quod periculosius etiam est vehementi alienatione mentis, si aeger usque manibus floccos legit et membra obriguerunt, si tetano, si episthotano corripitur, qui convulsiones vehementes denunciant; donec tandem nervorum vires per tranquillitatem illam infidam restauratæ et adauctæ eruptiones concitant vehementissimi furoris, qui omnibus observationibus finem imponit et omnem salutis spem prorsus præcidere solet.

Summus autem proserpentis morbi gradus ille est quo universa virium functionumque collapsio, quam adynamiam

putridam Nosologi dicunt, atque inflammatio gravissima, eaque in contextu aliquo vehementius aucta, una cum ipsa partium dissolutione præsentissimum vitæ periculum minantur : quæ dissolutio cum per putridam corruptionem fiat pedetentim nunc exhalatur gas infestissimum, quo irritatio magis magisque crescit et corruptio partis adfectæ jam vere adest : ita ut morbi status similem habeat speciem ac regnum quoddam, quod vires exhaustas celare studet magno belli apparatu. Hoc tempore, si quo alio, munus Medici maxime est anceps et difficile. Etenim inflammatio et corruptio si concurrant, tam vehementer se invicem oppugnant, ut omnibus artis peritis sit fatendum, utrique simul indicationi satisfieri non posse sine summo vitæ discrimine : ad hanc difficultatem magnopere augendam accedant etiam implicationes quæ a Nosologis ataxicæ dictæ sunt, quod obiter attigimus disserentes de nervis in ipsa origine læsis : tanta autem periculorum congregatio si terrores suos concitaverit, omnes facile perspiciunt, in tam præcipiti casu quanto sit pretio habendus ille Medicus, cujus sensum primo statim adspectu indicia pathognomica ita feriunt ut et phaenomenorum naturam et aegri statum e vestigio discernat, atque adeo ne minimum quidem pretiosissimi temporis momentum perdere cogatur ad deliberandum, rationibusque subactis constituendum quam agendi viam in tantis angustiis sequi debeat.

Instantem denunciari corruptionem videt, ubi jam invadente morbo universa est virium defectio, musculorum debilitas et exstinctio sensibilitatis animalis. Quando etiam

præter faciem contractam alba lingua anaemicam rationem systematis mucosi indicat. Dissolutionem autem et contextuum et liquorum jam vere adesse et exinanitionem inde redundantem sentit ex oculis humore obductis, ex palpebris dilatatis, dentibus, gingivaque nigrescentibus; adhæc lingua jam nigrante et crustacea et meteorismo abdominis. Petechiæ initio morbi non periculosæ, similiter ac bubones et parotides, tum boni etiam ominis, nunc una cum anthracibus pessima quæque prædicunt : plumbeus color cutis cum calore mordace, præsertim cum calor iste inconstanti vicissitudine frigoris et aestus corporis artus permeat, permagnam morbi gravitatem declarant : deinde ex sudore colliquativo, dejectionibus viridibus caruncularum, excretionibus furfuraceis et foetiditate spiritus exspirati corruptionem jam horrendos fecisse progressus intelligit: ad quæ phaenomena quamvis luctuosa, tamen animo non despondebit, quamdiu spes quidem adhuc relinquatur inflammationem usque progredientem ope revulsivorum prudenter adhibitorum posse coërceri. Postquam vero mortifera signa, et quæ generalem resolutionem denunciant, apparuisse tristi mente sentit, qualia sunt lutea et deducta narium foramina, tremor labii inferioris, meteorismus detumescens, maculæ rubræ circum articulos, sudor guttatus, hæmorragiæ, nulla sitis, singultus, deglutitio interrupta, quæ in stomacho resonat, ad postremum exspiratio sibilans, tunc invitus moerensque intelligit finem vitæ terrestris jam adesse : ista autem phaenomena, nisi omnis quidem spei scintillula prorsus sit exstincta, cum auxilia celeria, fortia, heroïca postulent, ingens excellentia

insigniter elucet ejus Medici, qui sensu illo pollet acutissimo et celerrimo, ut quolibet signo sensus statim ita adficiatur ut e vestigio optimum in tali tempore et unicum fortasse remedium dispiciat.

Quandocumque autem per salutares fibræ viventis reactiones et salutaria artis nostrae auxilia aeger morte non affligatur morbique violentia jam videatur aliquantum esse diminuta, atque species etiam sanationis apparuerit, organa tamen tenuioris quidem texturæ multum sunt labefactata: variae inde oriuntur inflammationes deuteropathicæ et chronicae; quæ cum sint ejusdem naturæ atque in morbo acuto, vehementia tantum differre reperiuntur. Verum cum omnis irritatio singularem aliquem contextum, ante reliquos omnes infestet, ille contextus in malis etiam chronicis præ caeteris omnibus graviter adfectus fuit, atque adeo in dignoscendis tam contextu læso, quam phaenomenis ex hac læsione enatis, Medici nostri animum eadem signa pathognomica advertent et commovebunt, quibus morbi acuti indolem sagaciter recteque cognovit. Systema lymphaticum saepenumero valde est adfectum; glandulæ factæ sunt scrophulosae: glandularum abdominalium functiones nutritionis et hæmatopoiesis deficiunt: tabes mesenterica generat atrophiam, marasmum et diathesin hecticam universalem: glandulæ pulmonum resolutæ et consumtæ fiunt tuberculosæ, exulcerantur et saniem effundunt, quæ mortis est germen. Si inflammatio systema cellulosum corripuerit, in quo gelatina et albumen prævalent, tum materiae illae effunduntur in areolas et cryptas texturæ cellularis, quæ materiae,

eodem modo atque in sanitate humores secreti, indole inter se differunt pro ratione diversitatis organorum adfectorum. Hinc steatomata, melicerides, encephaloïdes et melanoses : hinc encephalus in pulmamentarium conversus, et in glandulis indurationes scirrhosae, quarum exulceratio terribili carcinomati originem præbet. Lympharum harum infiltrationes multiplices omnes cavitates corporis occupant, præsertim debiliores infantium encephalos; quæ lymphæ effusæ, cum adulterationem efficere possint in succis, qui primi digestione fiunt, et copiosiores sint quam quæ absorberi possent, penitus irritant extremitates et peripherias texturæ fibrosae, qua irritatione scorbutus foetidus et saepenumero letalis gignitur. Aliquando inflammatio albumen corruptum diffundit in cutim, et complures eruptiones concitat, quæ item inter se discrepant pro ratione organi primum læsi. Nam, ut hoc obiter moneamus, quoniam systema dermoïdeum est unum et homogeneum, omnes quoque eruptiones necessarie essent unæ et homogeneæ, si proprietates earum a cutis structura penderent.

Hae autem perturbationes, quæ sæviente quidem morbo nascuntur, tamen grassari pergunt, quando, irritatione deminuta, inflammatio evasit chronica, quæ, cum generis est ejusdem atque acuta inflammatio, tum etiam eamdem curandi rationem postulat : atque in ea regenda Medico magna solertia est adhibenda : serpenti usque phlogosi medicaminibus antiphlogisticis ita prudenter obsistere debet, ut pars adfecta neutiquam irritetur et tamen ab interitu salva conservetur.

Si morbi ratio ejusmodi est ut consistat tantummodo in exaltatione sensibilitatis adfectæ partis, unde tali aegro eam irritandi vim habeat, quæ sanis stimulum modo naturalem admoveat, tum austera hygiene multa saepe mala avertet; verum tamen si quae phlogosis quasi radix resideat, quæ sensim occulteque serpens omnem vitam animalem labefactat; tum fieri solet ut tarditas mali gravitate compensetur.

Sentio equidem, A. A. H. H. orationem nostram in tristi contemplatione morborum omnis generis diutius immorari et veniam ejus rei a vobis esse petendam, cum argumenti nostri causa non aliam nisi horridam illam dicendi viam insistere jubeat. Sensus autem abditus ille, ut initio orationis jam diximus, definiri aut describi verbis non potest; itaque singularis illa Medici facultas, quam quærimus, spectari nequit, nisi producatur quasi in eam scenam, ubi sensus ille agendi copiam inveniat. Profecto si non contigerit Medico primum morbi impetum avertere (quod quidem ut omnium est optimum, ita raro sane continget) ubi phlogosis non rite fuerit animadversa, vel ipse sero fuerit vocatus, postquam germen ejus jam egerit radices; tunc, inquam, acutus ille Medici nostri sensus discernit singula phaenomena, casu illo ancipiti indicantia hinc serpentem irritationem, quæ coërceri, hinc exitium texturarum, quarum vita sustentari debet. Atque hic est scopulus ille tam difficilis superatu Medicis; ne minimum quidem temporis momentum perdere licet; phaenomenon quodque statim perspicere ac sentire et irritationem quamque statim oppugnare oportet. Sic, ut e multis hoc uno eoque gravissimo

exemplo utamur, phtisis pulmonalis, quae rectius appelletur peripneumonia chronica, tonicis remediis, quæ numquam non irritant, sanari non potest; sed una ejus comprimendae, atque adeo vitæ ad provectiorem aetatem usque propagandae, ratio consistit in remediis lentis quidem, sed extemplo et sensim adhibitis, quæ prudens indicatio antiphlogistica suppeditet.

Porro si particularis irritatio contextus cujusdam aliquando fuerit vehementior, quæ nervorum systema perturbavit et illius irritationis perceptio fortiorem in encephalo reactionem creavit, nervorum vis augetur et efficacia in viscera maximeque in cor, cujus contractione intensiore fluxus humorum acceleratur, interea cum calor, efficacia in peripheria attenuata, in centro et texturis propinquis insigniter augetur : quod phaenomenon febris appellatur (a), quæ

(a) Si concedatur, quod nobis videtur negari non posse, in febre frigus inde exsistere quod irritatio, fluxu humorum accelerato, caloricum in centro et visceribus auget, cum in peripheria idem minuatur; frigus non causa febris est, verum effectus; febris autem ipsa effectus est irritationis, quæ unam pluresve texturas laesit. Hoc etsi verissimum est, tamen fieri potest ut frigus graves inflammationes concitet; siquidem illud, quamvis post ardorem inflammatorium jam exortum sedatorum sit optimum, habendum est pro acri stimulo, qui nervorum actionem perturbat simul et auget : hoc igitur in casu frigus primum causa est, deinde effectus, ut in morborum cursu sæpe fieri solet: itaque longe abest ut frigus pro adfectione aliqua deprimente sit habendum : et omnino nullis adfectionibus morbosis deprimentibus, meo quidem judicio, credendum est, cum primaria illarum operatio ratione explicari nequeat. Tristia quævis, ægritudo et anxietates animi continuæ nervorum fabricam tam vehementer irritant, ut ista exaltatione mox eorum vis sit consumta, unde lapsus universalis et dementia etiam oritur, si nervorum omne systema penitus sit irritatum atque læsum.

non nascitur nisi ex irritatione nervorum; quæque inflammationis comes est inseparabilis. Symptoma autem hoc aberrationibus plerumque innumeris et indiciorum fallacia premitur, quæ tamen sensum celerem Medici acutissimi non effugiunt.

Febres licet in multa genera dividantur, unius tamen sunt generis. Febris enim continua remittens non exsistit nisi insultu febris novae, cum prior typum suum nondum absolvit, sive ut aliis verbis dicam, cum nervorum systema exhauriatur; quoniam omnis actio nervorum tam in sanitate quam in morbo efficitur per exinanitionem, quæ virium instaurationem desiderat. Systema igitur nervorum interea cum priore febre exhauritur, priusquam hoc factum sit, ad novam reactionem impellitur vi irritationis. In febri rursus intermittente irritatio vel minus vehemens vel diversi generis nervis spatium exinanitionis concedit; donec vis perceptiva atque adeo irritationis perceptio in encephalo sit, restituta ac renovata; quod plerumque fieri solet inaequalibus intervallis. Interdum febris in certa tantum parte versatur neque per totam vitam animalem est dispersa: quapropter ex topica hacce febri evidenter, ut opinor, apparet suam singulis partibus propriamque esse vitam tributam: similiter inde fit manifestum, sanguinis cursum non solis contractionibus cordis esse obnoxium, verum iis etiam contractionibus, quæ pendent a vasis minimi ordinis: periculosissima denique est febris illa larvata, quæ interea cum irritatio, etsi minor esse videatur, encephalum parvis phaenomenis, comatosis potissimum,

lacessit; quæ a Medico nostro statim dignoscuntur et primum torporem leviorem, mox autem stuporem universum celeremque vitæ interitum pariunt.

Arteriarum pulsus, quamvis fallax, tamen pro communi habetur indice, quo et totius morbi et præcipue inflammationis violentia denuncietur. Ejus igitur varios, subtiliores cognitionemque aliorum fallentes modos unus persentit Medicus, quem diximus uno sensus ictu et omnem rerum statum percipere et ad intimos recessus penetrare. Plenus pulsus et paululum acceleratus indicat illi inflammationis accessionem; durus vero itemque acceleratus jam incepisse eam monstrat; vibrans docet generosiores partes esse læsas; durus vero, qui simul parvus est et admodum acceleratus, denunciat prima corruptionis germina; calor mordax ad tactum pulsus morbum ad summum gradum pervenisse significat; tenuis autem et filiformis justam mortis adventantis suspicionem movet. Verum tamen indicia illa valde sunt fallacia: nervorum enim perturbatio in cursu humorum, ideoque in pulsu etiam arteriarum, varias concitat inaequalitates, quæ vix aut ne vix quidem dignoscuntur, nisi sagacissimi Medici acumine subtilissimo : in chloroticis, hystericis et debilibus puellis et mulieribus arteriarum ille pulsus sæpenumero durus, celer et renitens est : quam saepe ejus intermissiones, quæ alias periculosissimæ et indicia habentur collapsionis universæ, e spasmo tantum arteriam supprimente nascuntur ! sed quod est omnium periculosissimum, quam saepe pulsus est omnino mollis et tenuis, digitumque effugiens, quamvis

grassans interea inflammatio pergat metuendam vastationem efficere, et cursus sanguinis vitaeque distributio perturbata omnes vires vitæque actionem plane opprimat! Haec est illa debilitas apparens, qua non animadversa aut non bene cognita, multi immatura sunt morte interemti. Is autem, qui in signis commemoratis continuatam inflammationem agnoscit, non movebitur pulsu contracto, raro vel debili, verum sanguinis missione audacter facta, ex parte inflammata vitam accumulatam diminuet et per ceteras corporis partes disperget: quo facto pulsus ratio restituta erit collapsioque falsa prorsus evanescet.

Jam cum suam quisque contextus vitam habeat et in sanitate suis quisque functionibus utatur, in valetudine etiam suos patiatur dolores, cum omnium denique vitarum conjunctione universa vita contineatur, efficitur ut irritatio in aliquo contextu singulari perturbationes concitet neque umquam morbi universi caussa exsistat. Itaque permagni interest ut Medicus recte discernat, qui contextus vel ipse per se, vel aliunde sympathiæ ratione sit concussus: nimirum præterquam quod in vita animali pulcerrimus omnium partium concentus est, quo arcto et amico vinculo omnes inter se sunt copulatæ, partes insuper quaedam reperiuntur, a se invicem longe dissitæ, quarum singularis agendi consensus ex continuitate vel propagatione texturæ explicari non potest, verum ex ea nervorum ratione intelligitur, qua arboris instar ramos suos late per universum corpus diffundunt. Istam sympathiæ rationem probe cognoscat Medicus omnino necesse est. Sæpissime enim accidit ut irritatio major sit in

parte, per sympathiam tacta, sensibilitate ejus exaucta, quam in ea in qua primum illa excitata est: ita ut si adfectio illa secundaria in partem aliquam generosiorem serpat, periculum crescat; in minus generosam autem si devertatur, velut crisis quaedam, bonam spem præbeat. Medicum igitur nostrum indicia læsionis particularis cujusvis contextus feriunt, quo quidem sensu, eoque solo adfectiones idiopathicas a sympathicis distinguit. Sympathiarum autem harum, sive communis illius agendi concentus multi epigastrium, in quo Helmontius (a) archæum suum collocabat et in quod omnes impressiones vitales repercuti volebat Grimaldus (b), pro centro habent communis illius agendi concentus: quæ opinio his temporibus adeo invaluit ut Broussais, auctor ille hujus diei celebratissimus, sibi firmiter persuaserit plerosque morbos nasci ex inflammatione stomachi et intestinorum sive primaria sive secundaria ratione laborantium. Quod ad istam commemorationem evagatus sum facile mihi ignoscetis, A. A. H. H. cum propter magnam rei utilitatem tum etiam propter arctam ejus cum argumento nostro necessitudinem. Hanc autem opinionem multi cupide sunt amplexi, cum alii eam vehementer oppugnarent, usi hac observatione in multis morbis ne ullum quidem inflammationis abdominalis apparere signum et Morgagnium (c), summum industria virum, et Bonetum (d) multa cadavera

(a) J. B. V. Helmont, *Ortus Med. Amst.* 1648. p. 226. 6.
(b) Grimaud, *Cours complet de fièvres*, *Montpellier*, 1791. T. IV. p. 119.
(c) J. B. Morgagni, *De sedibus et causis morborum*, Lov. 1766. Ep. XXII. 10. XXX. 8. XXXVIII. 16. XXXIX. 33. XLIX. 14. LXX. 5.
(d) Th. Boneti *Sepulcretum*. Genev. 1700. T. II. obj. XX. p. 174.

conspicatos esse quæ nullum inflammationis abdominalis nec documentum nec speciem præ se ferrent : in iisdem contra intestina post graves alvi fluxiones prorsus contracta fuisse et extenuata, ut nihil nisi fibræ aliquae perpallidæ et instar aranearum inter se connexae reperirentur. Hoc tamen argumentum mihi quidem parum grave videtur, cum nullam mihi, ne cogitatione quidem, fingere possim dissolutionem sine inflammatione prævia. Quod autem omnium maxime hanc rationem urgere arbitror, illud est, quod autopsia, qua scilicet una fere nititur ista opinio, nihil aliud demonstrare possit, quam mortuum phlegmasia abdominis laborasse; nullo autem modo inde conficiatur eos aegros, apud quos illa inflammatio non observata fuerit, quique in sanitatem sint restituti, Gastro-enteritide fuisse tactos. Huc denique accedit, eamdem illam autopsiam plurima tamen cadavera ab hac labe immunia comperisse. Quod autem vir ingeniosissimus in iis contendit inflammationem ex intestinis in alium contextum demigrasse, nihil demonstrat : nam licet fieri possit ut illud verum sit, neutiquam tamen poterit hinc evinci gastro-enteritidem malum esse universale; et omnem refutandi disputandique rationem hoc modo esse sublatam facile intelligitur.

Ut ut hæc sunt, omnes, qui sine studio aut opinione præjudicata rem perscrutati sunt, facile concedent in plurimis certe morbis manifestum fieri epigastrium suam habere sympathiæ societatem cum cæteris texturis. Etenim contextus ille, an non perpetuo quibuslibet ingestis adficitur; unde fit ut sensibilitas ejus usque exaugeatur; quapropter in omnibus

prope morbis austeram servare diaetam plurimum interest? Præterea quid, si in hac re dijudicanda ne stomachi quidem auxilio indigemus? Nonne multiplices conjunctiones et plexus innumerabiles paris vagi cum omnibus ramis nervorum ganglionariis societatem illam et concentum vitae animalis cum vita organica evidenter declarant? Hi enim, quos diximus, plexus per omnia viscera ita sunt fusi, ut ad quamque irritationem cor vehementius contrahatur, pulmones aegrius spiritum ducant, jecur majorem bilis copiam secernat, omnes denique functiones in intestinis irritatis exaltentur. Quæ cum ita sint, num mirum nobis videatur, cum nervi iidem conjuncti plexus tam insignes et tam multos in stomachum, in mesenterium et in intestina omnia penitus diffundant, quod in inflammationibus plerumque phlogoses abdominales sympathicae agant partes tam conspicuas? Hæc igitur omnia cum diligenter et ad amussim consideraverimus, abunde quidem patebit viscera abdominalia irritatione phlogistica persæpe infestari, minime vero eamdem irritationem in iisdem visceribus vel idiopathicam semper nidulari, vel ab alio quovis contextu ad encephalum delatam, per consensum sympathicum ad abdomen transmitti et morbum fere universalem exinde gigni, qui hodie gastro-enteritidis nomine cum maxime celebratur. Qualecumque tandem judicium aut sententia feratur de hac opinione celeberrimi apud Parisinos Professoris Broussais, hoc certe constat eum perniciosam rationem medicorum incendiariorum, ut audiunt, præclarum in modum oppugnasse, habita simul prudentissima ratione exinanitionis nervorum texturarumque resolutionis, et causas morborum ad

irritationem a contextu laborante sagaciter revocavisse: itaque enthusiasmum suum gastro-entericum si aliquantum quidem remiserit, merito dicatur artis terminos laudabiliter protulisse.

Verumtamen ad propositum, unde deflexit oratio, revertamur. Dicebamus igitur illud maximae esse utilitatis Medico, ut probe discernat qui organorum contextus vel ipse per se vel alienae caussæ sympathicæ societate male sit adfectus; quippe quod curandi ratio, quæ multiplicem habeat varietatem in utroque casu, a se invicem sit diversissima. Postquam autem illa phaenomena, quæ percussione et auscultatione in inflammatione thoracis dignoscuntur, diligentissime observavit, non tantum systematis mucosi adfectionem corysa, spumate, sibilo et strepitu distinguet, sed sensus ejus abditus statim movetur cognito sensu gravitatis post sternum viscera prementis, cephalalgia juxta orbitas proserpente, quæ exoritur ex inflammatione membranæ mucosæ, quæ sinus frontales investit, maxime autem dolore illo obscuro et vago, prorsus discrepante a dolore pungente, qui systema serosum male esse adfectum denuntiat. Idem continuo sentiet diversam rationem qua parenchyma et systema serosum male se habeant. In hoc acrem, in illo lentum altumque dolorem animadvertet: in hoc aridam, in illo humidam tussim cum striis sanguineis: in hoc observabit aegrum in latere male adfecto cubare non posse, quod contra in illo fieri debet: in hoc denique pressum quemdam hypochondriorum et in illo sensus augentis suffocationis. In abdominis inflamma-

tionibus primo statim adventu dispicit, quodnam systema male sit adfectum; quamquam multo illud difficilius est propter varias ejus implicationes. Systema autem serosum esse adfectum intelligit non tantum intolerabili sensu compressionis et gravitatis, sed in primis celerrima propagatione inflammationis ad systema serosum thoracis. Mucosum vero systema aegre se habere sentit nausea, vomituritione, cardialgia, anxietatibus et fervido quodam madore, qui in sudorem prorumpere nequit; cum tandem systema fibrosum esse irritatum suspicetur ardore intolerabili, perturbationibus sensorii et in universum signis illis omnibus, quæ dicuntur ataxica. Itaque Doulcetus, vir celeberrimus et de arte nostra optime meritus, se Medicum præstitit celeri illo abditoque sensu in primis præditum, cum in xenodochio Parisiensi epidemiam, quæ superioris sæculi anno quarto et septuagesimo variis intervallis vehementer inter puerperas grassabatur, unus coërcuit et penitus exstinxit adhibita ipecacuanha ad primum impetum vomitus, qui temporis articulus si semel esset neglectus, ut usu venit nonnullis, quæ hanc rationem denegarunt et eam pertinaciam morte luerunt, idem remedium sero admotum carebat salutari suo effectu (a).

(a) Hæc ratio igitur prorsus est prophylactica ad inflammationi occurrendum et ab ea præcavendum, ejusque successus totus pendet a recta observatione momenti, quo morbus initium cepit, et vomituritio se ostendit; 15 gr. ipecac. sesqui horæ intervallo dantur, parte nimirum dimidia duabus vicibus, sive phaenomena minuantur, sive eadem sævitia exsistere pergant: si phaenomena maneant; eadem portio ter quaterque repetitur. In intervallis efficacia Ipecacuanhæ intenditur usu duarum unciarum olei Amygd. unius unciæ Sir. Liquirit. et duorum granorum Kerm. Min. Potio ordinaria constat decocto sem. Lini et Sir. Liquirit. et octavo vel septimo die purgatio mitis præscribitur, quæ ter vel

Jam si sagacissimus ille Medici sensus statim percutiatur ad primum adspectum tot phaenomenorum et signorum, quæ tamen propter innumerabiles eorum diversitates pro certis non habebit; is igitur unus optime poterit in præcipiti tempore, quid sit agendum dispicere, et delectu sagaciter et vero quam celerrime facto rationum curandi, quas principes dicimus, antiphlogisticam puta, revulsivam et tonicam, in recta medendi via fortiter progredi, in qua brevissime adhuc, ut temporis sunt angustiae, Medicum nostrum oratione prosequemur.

Inflammatione primum exardescente ante omnia curam quidem antiphlogisticam admovebit; quoniam tamen plerorumque morborum caussa ab inflammatione est deducenda, temere putes hujus remedii cognitione et usu censeri solertis Medici peritiam: immo vero ex indiciis pathognomicis cognoscat oportet, in quantum quoque tempore HIPPOCRATIS præceptum sequi, et missionem sanguinis ad animi deliquium ipsum,

quater est repetenda. *Rapport par ordre du gouvernement sur un mémoire contenant la méthode employée par feu Mr.* DOULCET, *dans le traitement d'une maladie, qui attaque les femmes en couche et que l'on connaît sous le nom de Fièvre Puerpérale, lu dans la séance de la Société Royale de Médecine,* 6 *Septembre* 1782. Puerperæ quæ in epidemiis 1774, 1775, 1776 et 1782 hac febre correptæ sunt ad ducentarum numerum sunt servatæ, præter sex, quæ medicamento uti noluerunt. *Litteræ a cl.* l'HÉRITIER *de morbo, quem patiuntur puerperæ in magno Nosocomio Parisiensi datae ad doctissimum* J. P. ERMERINS, *Méd. Doct. Mediob.* in cujus præclara Dissertatione *De Febre vulgo dicta Puerpérali pro singulari specie non habenda Lugd. Bat.* 1782. quam GARDIENUS merito magnis laudibus prædicavit; *Traité d'accouchemens.* T. III. p. 410. illa quæ diximus documenta maximae utilitatis reperiuntur, p. 50 et 58. seqq.

si aeger sufficiat, urgere et reactionem fibræ viventis resolutioni admodum necessariam suffocare liceat; quando rursus in ejusmodi morbis, in quibus nervi perturbati non tantum maximas turbas concitent, sed etiam dissolutio jam corruptioque partium solidarum et liquidarum exstiterit, interea cum vehementissima est comprimenda inflammatio; quando igitur, contractis quasi velis, leniorem cursum curationis persequi debeat : atque ad hanc quasi obrussam Medici excellentis illa ac singularis facultas probatur et cognoscitur. Hic videlicet ab altera parte inflammatio celeriter usque increscens, ab altera collapsio virium, vel jam incepta vel certe imminens, ancipiti eum cura et metu movent et sollicitum habent. Itaque licet diaeta absoluta alioqui prorsus sit necessaria, saepe cogitur jam maturius virium tuendarum rationem habere eisque consulere cibis materiae valentioris, quæ inflammationem incendere nequeant. Ad revulsiva quoque tempestive, præsertim in iis casibus ubi phlogosis curationi antiphlogisticae pertinaciter restitit, confugiendum erit, tanquam ad optimum et unicum præsidium, quo, inflammatione quin etiam aliarum partium dissolutione concitata, irritatio a parte aegra deducatur.

Vesicatoriis, quæ præcipue in hæmorrhagiis et in corporibus anaemicis sunt saluberrima, primus in revulsivis locus est tribuendus : illa autem sequuntur emetica et purgantia, quarum hæc summae sunt utilitatis in delirio phrenitico, in inflammationibus systematis mucosi, quibus annumeratur mercurius in peritonitide, dummodo hæc simplex sit nullamque

phlogosin viscerum abdominalium habeat adjunctam (a): cum interdum, ut plura recensere omittam, quaedam vehementius irritantia comperta sint esse salutifera, cujus generis sunt cauteria, setacea et moxa, præcipue in peripneumoniis pertinacibus. Sensus illius subtilis et celeris summa utilitas in his casibus maxime omnium elucet, quando inflammatio a primo initio statim cum ipso ortu dissolutionem partium et corruptelam humorum creavit; quod fieri solet ubi pestiferi miasmatum vapores mortifero suo veneno texturam vitæ animalis corrodant; tum Medicus ille, quem quærimus, tum, inquam, is solus poterit decernere, utrum ullum adhuc temporis momentum concedatur ad curationem antiphlogisticam adhibendam an revulsiva cum cortice Peruviano cum cautione conjungere possit; an denique, quamvis invitissimus, cogatur aegri vitam, ut præsentissimam scilicet corruptelam et interitum propulset, remediis tonicis, quæ dicuntur, in discrimen vocare. Revulsivorum usus in omni casu quodammodo periculosus et anceps habetur ab iis, qui irritandi vim in iis semper inesse neutiquam dubitant: quapropter Sydenhamius, vir summus, post sanguinis missionem demum dari purgantia

(a) Usum hujus remedii summis encomiis prædicavit cl. Prof. Antverpiensis J. B. VAN DEN ZANDE, *Considérations pratiques sur la Péritonite Puerpérale. Anvers* 1821. Quanta tamen cautela in adhibendo hocce medicamento opus sit, patet ex iis quæ cl. Prof. Viennensis L. J. BOER et Obstetricans Leidensis A. POTGIETER conscripserunt *de Putrefactione uteri*, quæ post invasionem morbi citissime exorta sæpius observata fuit. Vide *Over de putrefactie van den Bezwangerden Uterus, naar het Hoogduitsch van* L. J. BOER, *Hoogl. in de Verlosk. te Weenen, door* A. POTGIETER, *Heel- en Verloskundigen te Leyden. Leyd.* 1824.

jubebat : sed alii aliter de hac re judicant : in eo videlicet nostræ aetatis Medici inter se differunt et in duas partes fere distrahuntur, ut utrique revulsivorum quidem usum adhibeant; alteri autem timentes ad ea confugiant, utpote irritantia remedia, quæ utilia non sunt, nisi quantum irritationem inflammationis ab ipsa parte læsa deductam in alia parte concitent; jam irritationem hinc propellere, istic fovere curatio videtur in primis esse periculosæ aleæ : cum alteri eadem revulsiva, pro antiphlogisticis habeant specificis, quæ quamvis virium evacuandi, quæ in iis insunt, nulla ratio habeatur, ipsa per se vere antidota dicuntur adversus inflammationem, ideoque initio phlogoseos satis copiose præberi debeant, et nomine contrastimulantium insigniuntur, ut quæ maxime valeant ad stimulum quemlibet exstinguendum. Magna multitudo exemplorum, in quibus compertum est, id genus remediorum felicissimo eventu esse adhibitum, tantam nonnullis fiduciam inspiravit ut ingentem copiam istorum contrastimulantium dare haud veriti sint et vehementissa etiam venena in numero illorum remediorum collocaverint. Magnam quidem seriem ejus generis recensere possem; at si phosphorum, arsenicum, acidum prussicum, belladonnam et nucem vomicam commemoraverimus, cæteris adnumerandis facile supersedere possumus : omnia denique amaricentia ad idem genus sunt referenda : ab altera parte firmiter alii contendunt violenta illa remedia sanationem hoc uno modo posse adjuvare, quod inflammationibus gravioribus concitatis irritatio a textura prius læsa aliorum derivetur, qua ratione tamen aegri vitam in summum semper pericu-

lum conjici, et non paucos morte mactari sit necesse. Utcunque hæc sunt, illud pro certo obtinebimus sensum illum abditum et subtilem Medici, cujus imaginem jam absolvimus, varias eorum notas probe internoscere, quæ indicia discriminant earum inflammationum, quas auxilio tonicorum sive extrinsecus admotorum sive intus adsumtorum, ut in miasmatibus pestiferis, indigere negari nequit; nimirum hoc ita esse evidenter nos docuerint multæ ophthalmiæ, et in primis ejusmodi inflammationes, quæ mox gangrænam efficiant et mortificationem partis adfectæ : cui malo occurrendi unum gravissimumque temporis momentum observatur, quando pustulæ malignæ cauterio exuri, anthraces alte incidi, centroque erysipelae phlegmonodæ. vesicatorium adfigi debeat.

Quantacumque autem excellentia est Medici, qualis a nobis est adumbratus, hoc tamen, in fine hujus orationis, non dissimulare, sed potius ultro profiteri volumus, eumdem pariter ac caeteros laborare adhuc et impediri certo defectu scientiae, cum quibus rebus materia quaeque remediorum constet parum liquido sit exploratum. In materia quorumdam heroicorum, ut vocantur illa medicamina, Chymici perscrutando et excutiendo res invenerunt, quæ in eodem medicamento non solum sunt diversissimæ, sed etiam sibi invicem contrariæ: quorum remediorum usus quam sit dubius et anceps ecquis non videat? quapropter votis ardenter est optandum fore ut viri docti quam studiosissime investigare pergant et inquirere in naturam rerum, quibus singulis cujusque medicaminis materia sit composita: vel sic tamen, hac ignoratione superata,

restabit ut, quandoquidem suam quæque pars corporis animalis sibique propriam vitam habeat et a singulis corporibus alienis singulari modo adficiatur et irritetur, multæ item inquisitiones de vi et operationibus medicamentorum in fibram viventem sint instituendæ, quæ saeculo nostro observandi et inveniendi studio tam insigni, si rite factæ sint, medendi disciplinæ magnam lucem adferent.

Jam A. A. H. H. habetis exemplum ejus Medici, qui interiore illo subtilique sensu ad primum aegri adspectum phaenomena et indicia diagnostica statim ita mente cernat aut animo persentiat ut sine ulla mora et qui sit aegri status et quæ curandi via, quam ingredi oporteat, constituere possit. Turbas et vastationes deinceps adumbravimus, quas concitent irritationes variae pro varia earum natura phlogistica, adynamica vel ataxica; quarum nos commistionem pro uno tantum processu inflammatorio esse habendam duximus: jam ad istas Medicum illum scenas produximus, ut quantum præsidii et præstantiae habeat in abdita illa et singulari facultate sentiendi, longo usu et diligentibus observationibus quærenda, manifestum fieret. Is enim quantumvis phaenomenorum, quorum alia ab aliis protruduntur et adulterantur, magna turba velut obruatur, probe tamen scit distinguere symptomata pathognomica et essentialia ab accidentalibus, in quibus observandis naturam implicationum videt et ponderat. In aegri habitu, vultu, gestibus notas ubique et indicia perspicit, unde rationem modumque ejus sensibilitatis, exaltationis aut collapsionis nervorum cognoscat; quæ res universæ eum doce-

bunt, quæ quantaque sit sperandi et metuendi causa ab ista conjunctione deducenda : quibus bonis si præsentiam animi et constantiam adjunxeris, Medici præclari et vere magni perfectam imaginem habebis expressam, qui ad tantam artis et facultatis excellentiam pervenit assiduitate studiorum in artis suæ fundamentis; accurata denique universæ, quanta est, Medicinae doctrina cum cognitionibus subsidiariis conjuncta; postremum, de quo dici potest idem, quod olim in doctissimum Abeillardum est dictum « Non homini, sed scientiae defuit, quod nescivit. »

Jam peroratum esset, A. A. H. H. nisi grati animi sensus me hortaretur atque stimularet, ut hoc temporis articulo, cum munus, concordi multorum benevolentia mihi commissum, sum auspicatus, omnibus publice gratias agerem, qui in hoc negotio conficiendo de me bene meriti sunt.

Primum igitur omnium coram hac frequentissima concione sancte testificor summam et immortalem me gratiam habere Augustissimo Regi, qui hanc muneris amplificationem suo decreto mihi mandandam curavit.

Vir autem Excellentissimus qui artibus ac literis Regis Minister modo præfectus, nunc ad alias res publicas avocatus

est, perspicua suæ in me benevolentiæ signa dedit. E cujus propensæ erga me voluntatis significatione eo majorem percepi lætitiam et voluptatem, quod honore mihi adaucto superiores meas vigilias ac labores testimonio quasi suo comprobare videretur. Sed interea dum ego lætabar de tanta tanti viri in me benignitate ac favore, omnes ubique in patria Academiae dolebant desiderio generosissimi sui Patroni, qui artium studio flagrans non tantum Academiarum saluti et commodis diligentissime invigilabat, verum etiam et ingenii elegantia et doctrinæ copia in primis erat idoneus ad recte prudenterque iis rebus consulendum. Hujus desiderii nostri, magni et justi, acerbitatem duo sunt, quæ leniant. Alterum quod Falckio illi, omnium civium existimatione et caritate dignissimo viro, alia est commissa provincia, ubi tanta, quanta is valet ingenii prudentia rerumque publicarum scientia opus est ad regni nostri utilitates et commoda foris tuenda. Altera solatii ratio nobis inde exsistit quod cum Augustissimo Regi sapienter visum sit summam Academiarum curam mandare Ministro suo Rerum Internarum, qui eximiis animi virtutibus et civili prudentia in rerum publicarum procuratione probatus et Regis fiducia et civium existimatione se dignissimum præstitit: tum ei viro Excellentissimo Administrum dare placuit Ewyckium, virum et ingenii solertia et universa literarum artiumque doctrina præclarum, cujus procuratio prudens et salutaris in Patriæ nostrae Academias plurimum contulit utilitatis, cujus fructus saluberrimi abunde percipiuntur.

Vobis in primis Academiae Curatores, Viri Illustrissimi, gratias agere gestio magnas quidem, ingentes, tantas quantas oratione exprimere potero; verum mihi credite, majorem etiam gratiam omni vita vobis habebo pro vestra honorificentissima in me benevolentia. Vos enim diligenti vestra et exquisita (ut mihi credere licet) commendatione apud Ministrum Regium perfecistis, ut Ille, Vobis auctoribus, hanc mihi muneris honorisque amplificationem deferret. Itaque meos qualescumque in Vestra Academia labores vobis quidem esse probatos re ipsa manifestissime declarastis. Quam vestram meæ industriae comprobationem hoc pluris aestimo quod Vos, Viri Amplissimi, artium literarumque patroni estis cum voluntate studiosissimi, tum judicio iidem scientiaque intelligentissimi. Velit, jubeat, opto ardenter, Deus Optimus Maximus, ut salus ac gloria Academiae, vestra jam procuratione vestrisque auspiciis firmiter stabilitæ, permaneat salva, incolumis, integra, in longam, perennem, haud interruptam annorum seriem.

Vobis quoque, Celeberrimi Professores! plurima commoda vitæque suavitates acceptas refero. Gratissima in me humanitatis et benevolentiae officia contulistis, qui me recens advenam humanissime excepistis et domorum ac familiaritatis vestrae usu liberaliter concesso vitæ jucunditatem insigniter mihi auxistis, et, quod non minimi faciendum censeo, qui doctrinæ vestrae copia et laudibus eximiis animum meum

excitavistis et Vestris ipsorum exemplis meum studiorum ardorem inflammastis mirifice. Vobis igitur pro tantis in me meritis vestris lubentissimo animo et hodierno die maximas gratias ago et omni me tempore plurimum adhuc debere profiteor. Liceat nunc mihi simul cum observantiæ meæ et venerationis publica testificatione hanc meam cupiditatem non inhonestam ac votum pronuntiare, ut vos vestram mihi amicitiam semper conservetis integram, ut ipsi in bonorum sapientumque comprobatione et vestræ virtutis conscientia fructus laudum egregiarum uberrimos ac dulcissimos percipiatis.

Vos autem Nobilissimæ Facultatis Medicæ Professores, quibuscum arctiore studiorum necessitudine conjunctus sum, Vos oro atque obsecro, ut eamdem benevolentiam, qua me adhuc prosecuti estis, conservare non dedignemini, et quæso Vos, Viri Clarissimi, ut patiamini me vobis publice exprimere hanc animi declarationem, Vestræ mihi doctrinæ præstantiam cum esse cognitam tum multis nominibus fuisse utilissimam.

Ad Vos, Nobilissimi Juvenes, oratione mea nunc denique convertor, ad quos animi sensu ac voluntate jam dudum ultro me contuli. Quidni enim animus mihi summa erga vos, egregii juvenes! benevolentia flagret, cum vestri erga me studii et existimationis signa et documenta ita manifesta, ita luculenta, ita perpetua habere mihi contingat, ut sæpe equidem

non tam in scholis discipulorum doctor, quam in coetu amicorum amicus mihi esse videar? Haec autem a vestro illo in me favore profecta animi voluptas, qua non aliam in vita duco majorem, insigniter etiam augetur aliis virtutum speciminibus, quae quanta vos diligentia et ardore bonarum artium studia amplectamini, manifeste declarant. Pergite eadem, quam ingressi estis, via studiis invigilare, et vestros industriae conatus Deus, oro optoque, secundabit. Nimirum ad rerum prosperitatem vitæque adeo felicitatem per virtutis viam certissimam contendatis oportet; virtus sola illustrat et nobilitat artes: absque virtute doctrina quantumvis maxima sordet, quin etiam tantum non inanis est. Hanc quæso, Optimi Juvenes, admonitionem ab amico animo eruptam quasi, boni aequique accipite.

TE Benignissime, omnium bonorum Dator DEUS, precor oroque ut meos in munere, quod auspicatus sum, labores fortunes; ut patriam nostram, ut hanc Academiam, Palladium nostrum carissimum, ut dilectissimum REGEM et fortissimum REGNI HEREDEM, ut omnem Domum REGIAM, salvos, incolumes, lætos quam diutissime florere jubeas.

DIXI.

V.

SERIES DISSERTATIONUM

PRO SUMMIS VARIARUM SCIENTIARUM DOCTORIS

HONORIBUS CONSEQUENDIS

PER TOTUM ANNUM PUBLICE

DEFENSARUM.

SERIES DISSERTATIONUM

PRO SUMMIS VARIARUM SCIENTIARUM DOCTORIS HONORIBUS CONSEQUENDIS

PER TOTUM ANNUM PUBLICE DEFENSARUM.

IN ORDINE JURECONSULTORUM.

MDCCCXXIII, XXIV NOVEMBRIS.

Dissertatio *De Legitimatione ex Jure Gallico*, auctore LUDOVICO VANDERPLAS, Bruxellensi.

XXVII NOVEMBRIS.

Dissertatio *De quibusdam absentiae Effectibus*, auctore ANDREA VAN WILDER, Bruxellensi.

MDCCCXXIV, VII FEBRUARII.

Dissertatio *De Proprietate Rerum Corporalium Actu inter vivos transferenda*, auctore LUD. JOS. DELWARDE, Ninoviensi.

XII MARTII.

Dissertatio *De Negotiis Gestis ex Jure Romano*, auctore MARCO JULIANO DEBY, Bruxellensi.

XIV JUNII.

Dissertatio *De Transactionibus ex Jure Romano*, auctore THOMA JOSEPHO VAN REYSINGEN, ex Gastel.

V JULII.

Dissertatio *De Locatione Conductione ex Codice Civili Hodierno*, auctore AMBROSIO MARÉCHAL, Luxemburgensi.

XX JULII.

Dissertatio *De eo quod metus causa gestum erit*, auctore JOANNE BAPTISTA DE FIENNE, ex Anderlecht.

XXVIII JULII.

Dissertatio *De Exceptione rei venditae et traditae*, auctore JACOBO CAROLO FRANCISCO VAN ERTRYCK, ex Etten.

II AUGUSTI.

Dissertatio *De quibusdam ad art.* 2134-2140 *Codicis Civilis spectantibus*, auctore LAMBERTO JOSEPHO HENRICO HEUSKIN, ex Saive in Hasbania.

III AUGUSTI.

Dissertatio *De eo quod desideratur ut possimus disponere juxta Jus hodiernum cap. II, tit. II, lib. III, Cod. Civilis*, auctore JOANNE FRANSMAN, Ninoviensi.

V AUGUSTI.

Dissertatio *De contrahenda emptione venditione, Jure Romano*, auctore CAROLO CROUSSE, ex Houtina.

IX AUGUSTI.

Dissertatio *De Jure Venandi*, auctore ADOLPHO BOSQUET, Bruxellensi.

X AUGUSTI.

Dissertatio *De absentiae effectibus ratione habita Jurium adventitiorum quae absenti competere possunt, Art.* 135-138 *incl.* auctore LUDOVICO JOSEPHO DEPT, Namurcensi.

X AUGUSTI.

Dissertatio *De Meditato delicto*, auctore JULIO D'ANETHAN, Bruxellensi.

XI AUGUSTI.

Dissertatio *De obligationibus quae ex Matrimonio oriuntur*, auctore FERDINANDO JOANNE BATKIN, Antwerpiensi.

XI AUGUSTI.

Dissertatio *De Conditionibus*, auctore GEORGIO GOUVERNEUR, ex Oudenbosch.

XII AUGUSTI.

Dissertatio *De Domicilio*, auctore FLORENTINO JOSEPHO CHARLIER, Nivellensi.

XII AUGUSTI.

Dissertatio *exhibens quaestiones Juridicas varii argumenti, Jure Romano*, auctore XAVERIO DECOCK, Bruxellensi.

XIII AUGUSTI.

Dissertatio *De natura atque forma contractus mandati*, auctore AUGUSTINO CAROLO JOSEPHO VERSLUYSEN, Mechliniensi.

XIII AUGUSTI.

Dissertatio *De legitima sui defensione*, auctore CAROLO DE SMET, Teneramundano.

XIV AUGUSTI.

Dissertatio *De conditionibus quae in testamento scribuntur, Jure Romano*, auctore PETRO ANTONIO CLOQUETTE, Athensi.

XIV AUGUSTI.

Dissertatio *De minuta existimatione ex Jure Romano*, auctore AUGUSTO MARIA JUST. MOLITOR, Mechliniensi.

IN ORDINE PHILOSOPHORUM ET LITTERATORUM.

III JULII.

Dissertatio *De Antipatro Tarsensi, Philosopho Stoico*, auctore PHILIPPO AUGUSTO WUILLOT, ex Paturage in Hannonia.

IN ORDINE MEDICORUM.

MDCCCXXIII, XXXI OCTOBRIS.

Dissertatio *De Cystitide*, auctore JOSEPHO HENRICO RYPENS, Lyrano.

XVIII NOVEMBRIS.

Dissertatio *De Dysenteria*, auctore CAMILLO ALEXANDRO DEFRISE, ex Dour in Hannonia.

XVIII NOVEMBRIS.

Dissertatio *De Pleuritide*, auctore CAROLO BENEDICTO D'HOLLANDER, ex Moerscke.

IX DECEMBRIS.

Dissertatio *De Febribus intermittentibus*, auctore ADOLPHO JOSEPHO VAN HAESENDONCK, Antwerpiensis.

XIX DECEMBRIS.

Dissertatio *De Stethoscopo et hujus usu in morborum diagnosi*, auctore FRANCISCO DEFOUX, Namurcensi.

MDCCCXXIV, II JANUARII.

Dissertatio *De commotione Conbri*, auctore LIVINO GORIS, ex Putte.

V JANUARII.

Dissertatio *De Peritonitide puerperali*, auctore EUGENIO DUBOIS, ex Merbes-lez-Chateau.

XXIX JANUARII.

Dissertatio *De Peritonitide acuta*, auctore JOANNE BAPTISTA JANSSENS, Huldenbergensi.

IV FEBRUARII.

Dissertatio *De Regimine Gravidarum*, auctore FRANCISCO DE MEULENAERE, ex Coolscamp.

XXVI FEBRUARII.

Dissertatio *De Febre sic dicta Scarlatina*, auctore GUILIELMO HENRICO MEDAETS, Lovaniensi.

IV MARTII.

Dissertatio *De Rheumatismo*, auctore BERNARDO DE SAINT MOULIN, ex Houding-Aimeries.

XVI MARTII.

Dissertatio *De Bronchitide sive de Catharro pulmonali*, auctore BERNARDO COUSIN, Rubripontano.

XIX MARTII.

Dissertatio *De Pneumonia acuta*, auctore NICOLAO FERDINANDO JOURET, Lessiniensi.

XXVII MARTII.

Dissertatio *De Variolis*, auctore MARCELLINO JOSEPHO JAMART, ex Folx-les-Caves.

IV AUGUSTI.

Dissertatio *De Viabilitate foetus*, auctore ANTONIO ARNOLDO CORNELIUS, ex Velthem.

VI.

JUDICIA ORDINUM
UNIVERSITATIS LOVANIENSIS
DE
COMMENTATIONIBUS AD QUAESTIONES
PRO
CERTAMINE LITERARIO
IDIBUS AUGUSTIS MDCCCXXIII
PROPOSITAS.

JUDICIA ORDINUM
UNIVERSITATIS LOVANIENSIS
DE
COMMENTATIONIBUS AD QUAESTIONES
PRO
CERTAMINE LITERARIO
IDIBUS AUGUSTIS MDCCCXXIII
PROPOSITAS.

I. JUDICIUM ORDINIS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

Ad quaestionem Mathematicam :

Dantur axes XX′ et YY′ in puncto A sub angulis rectis se transeuntes. In axe YY′ capitur portio $AB=a$ et ex puncto B ad ipsum axem YY′ perpendicularis recta $BC=b$ elevatur, litteris a et b quantitates determinatas significantibus; ex puncto C rectae lineae in axem YY′ emittuntur, ad quas ex punctis intersectionum cum axe YY′ perpendiculares excitantur, deinceps de puncto A ad has perpendiculares perpendicula

alia dejiciuntur, quorum pedes in linea curva jacent, cujus natura auxilio aequationis, inter coordinatas orthogonas x et y exhibitae, primum investigetur, quin tamen auctor rectificationem curvae atque quadraturam indagare debeat; usus denique ejusdem curvae accurate laudetur....

unica tantum responsio oblata est, sententiam ferens

Timide sed confidenter!

Auctor responsi altius in hanc quaestionem indagavit feliciterque sensum ejus percepit, atque licet longior interdum et prolixior, accurate tamen argumentum suum tractavit; omnino summam diligentiam eximiamque disciplinarum mathematicarum familiaritatem probavit. Quod cum ita esset, atque quae Ordo postulaverat ab auctore magna cum perspicuitate exposita esse intelligeretur, eum palma dignum declaravit Ordo. Aperta schedula auctoris nomen exiit

PETRI JOSEPHI SCHMITZ, AQUISGRANENSIS,
Philologiae in Academia nostra studiosi.

Ad quaestionem alteram:

Exponantur anomaliae, quae in phaenomenis hydrostaticis occurrunt, earumque causa explanetur....

duas Ordo accepit commentationes; quarum prior inscripta est lemmate:

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas!

Altera eandem prorsus sententiam in fronte habet, laudato tamen auctore, a priori omisso, VIRGILIO in Georg. Lib. II.

v. 490. Auctor prioris laudabile studium et industriam testatus est; auctor tamen ulterioris, qui quaesitum plenius et adcuratius tractavit, palmam competitori praeripuit et quamvis scriptor juvenilem suam, quam Ordo non probat, opinionem in quibusdam partibus profiteretur, tamen praemio regio condecorandus judicabatur. Aperta schedula atque instituto examine patuit, auctorem esse

JOANNEM DEVYVER BIERBEECKENSEM,

Medicinae in Academia nostra candidatum.

Praeterea tertium Ordo accepit responsum, his verbis inscriptum:

Causas rerum naturalium non plures admitti debere, quam quae et verae sint et earum phaenomenis explicandis sufficiant. NEWTON. Philos. Nat. L. III. p. 357.

Auctor responsi generalia tam hydraulicae, quam hydrostaticae principia lucido ordine exposuit praeclaraque prodidit eruditionis specimina. Quum vero Senatus Graphiarius hoc scriptum non nisi post quindenam a tempore praescripto obtineret, ad certamen literarium admitti non posse videbatur.

Ad quaestionem tertiam:

Petitur I. ut plantae earumque partes enumerentur, quae faeculam caeruleam, Pigmentum Indicum dictam, largiuntur: II. ut describatur, qua encheiresi ex illis ea eliciatur: III. ut exponatur, quae sint ejus principia proxima et remota

et qui usus technici; eadem petuntur de ejusdem faeculae succedaneis, et practice et theoretice quaecunque elucidentur....

Dissertatio una tantum exhibita est cum hac sententia:

Turpe fuit vinci, quam contendisse nec tam decorum est. OVID.

Auctor hujus scriptionis circa omnes quaestionis partes diligenter versatus, diversis ejus postulatis satisfecisse, atque quae antea de hac materia innotuerant, collegisse, examinasse, dilucidasse atque recto ordine disposuisse; plura denique ex iteratis periculis, miro artificio ab auctore institutis adtulisse videbatur. Quapropter eum praemio ornari posse judicatum est. Reclusa vero schedula nomen apparuit

EUGENII WAUTHIER, EX JAUCHE,

Medicinae in Academia nostra studiosi.

ADELMANN,

Ord. ab Actis.

II. JUDICIUM ORDINIS JURECONSULTORUM.

Ad quaestionem ab hoc ordine propositam:

De nullitate quam vocant, eorum quae, lege non servata, fiunt, disseratur, cum ex rei veritate, tum ex codice civili Gallico, quo adhuc utimur....

unam item dissertationem obtinuimus, quae in fronte habuit illud:

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas!

quae praemio digna visa non est. Quod enim priorem scriptionis partem adtinet, ipsius quidem rei tractatio Ordini non displicuit: quod vero attinet ad partem alteram, multa a judicibus desiderabantur, qui praeterea reprehendebant Latini sermonis barbariem, qua tota dissertatio contaminata est.

HOLTIUS.
Ord. ab Actis.

III. JUDICIUM ORDINIS PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM.

Ad quaestionem primam:

Exponantur causae, quibus effectum sit, ut Regnum Judae diutius persisteret, quam Regnum Israël....

Commentationes sex ad Ordinem missae sunt, his lemmatibus insignitae:

Prima verbis:

Si desunt vires, tamen est laudanda voluntas:

Altera:

Non verborum opificem sed rerum acquisitorem decet esse historicum. DUMBECKII Κλειω Dial. II. C. IV. § 36.

Tertia:

Trahimur omnes laudis studio et optimus quisque maxime gloria ducitur. CICERO Orat. pro Arch. poëta C. 11.

Quinta vaticinio illo HOSEAE C. V. v. 5.

Israël et Ephraim iniquitate sua corruent; corruet una Juda cum illis.

Quinta verbis BORGERI v. Cl. Disput. de Hist. Prag. p. 9.

« Cum igitur hoc se agere historia profiteatur, ut rerum gestarum cognitionem hominibus impertiatur; non magis ab ejus munere abesse potest causarum explicatio, quam ab aedium exstructione positio fundamenti. »

Sexta denique loco Hebraïco ex II. Regg. c. 17. v. 7 et 18. petito :

ויהי כי־חטאו בני־ישראל ליהוה אלהיהם וייראו אלהים אחרים׃
ויתאנף יהוה מאד בישראל ויסרם מעל פניו לא נשאר רק שבט יהודה לבדו׃

מלכים ב יז ז יח

Quamvis ipse plurium juvenum in eodem certamine concursus insignem Ordini voluptatem attulit, multo tamen magis ille laetatus est, cum omnes eos qui de palma certaturi in arenam descenderant, juvenes esse cognovisset egregia diligentia et mira ingenii sagacitate excellentes. Neque tamen sibi dissimulavit, quantum haberet difficultatis ex omnibus partibus aeque ferendum de pluribus his commentationibus judicium: in quibus par est haud exiguam reperiri et diversitatem sententiarum et argumenti exponendi ac tractandi varietatem. Quo igitur singulae adcuratius dijudicarentur riteque inter se compararentur, necessarium duxit Ordo, ut momenta potiora, in quibus tota quaestio versatur, tamquam obrussam, qua omnia spectarentur, judicio suo anteponeret.

Primum itaque momentum continetur vera expositione situs Geographici, quo Regnum utrumque natura magis minusve munitum exstitit, tum per se ipsum, tum ratione habita nationum vicinarum: alterum explanatione situs Geographici sigillatim ex eo tempore aestimati, quo populi Asiae potentissimi cum Aegyptiis manus conserebant: tertium explicatione scholae Prophetarum, ratione politica institutae. Denique requiritur, ut tria haec momenta constanter ad legislationem Mosaïcam atque ad eam praecipue illius partem referantur, qua Regni scissio efficiebatur et semel facta continuo persistebat.

Hoc rerum intuitu auctor primae scriptionis minus satisfecisse videtur quam reliqui ejus commilitones. Hic enim in disponendo toto argumento parum felix exstitit, leges Moïsis multas quidem attulit, sed quae parum huc faciunt; quae vero gravioris momenti sunt, eas vix tetigit: porro sicca ejus rerum factorumque narratio nullo vinculo politico continetur; causae regni scissi ex superficie haustae, solum ad neglectum Jehovae cultum ab ipso relatae; Samuëlis ac scholae Prophetarum nulla mentio atque vis Geographica ab ipso vix sensa.

Auctor alterius nonnulla acu tetigit, multa bene exposuit ac singulari se diligentia commendavit; sed plurima sine critica ratione conglutinavit, veros rei fontes sive non invenit sive neglexit, in rebus Geographicis vitia haud raro gravissima admisit omniaque oratione dissipata et minus eleganti perscripsit.

Quem vero tertio loco nominavimus, is non solum virtutibus prioris excelluit, sed novas quoque suae scriptioni addidit;

in nonnullis causis inveniendis felicissime egit, e. g. in expositione odii hereditarii tribuum Ephraëmiticae et Judaicae. Sed irrepserunt vitia haud pauca, ab inepta potissimum rerum dispositione orta. Praecipuae reprehendendae sunt repetitiones iteratae, quibus nonnunquam longissime aberravit ab argumento suo, e. g. in ipso statim exordio: Regni scissio leviter tractata est atque causa ejus princeps, idololatria, absque judicio indicata. Porro auctor Religionem a Politia et rursus morum popularium corruptionem ab Idololatria Regum disjunxit: praeponderantiam quoque, quam ab initio tenuit Israel, demonstrare neglexit; unde dubia multa, quae exinde lectori oriuntur, non explicuit; omnia ut theologus tantum pertractans neque Prophetarum neque situs Geographici momentum ponderavit.

Commentatio quarta praeclara multa continet; sermonis bonitate aptaque argumenti distributione se commendat. Sapienter perspexit auctor duplex principium in legislatione Mosaica, separationem nimirum ab aliis nationibus atque unionis tribuum duodecim. Non minus sapienter causam Judae crescentis per transfugas Israelitas ex neglecto apud hosce cultu Jehovae repetiit, legitimamque Regum Judae successionem populique in eos amorem, unitatem et independentiam Judae a populis barbaris ex communi meditullio et capite templi Jehovae Hierosolymitani firmissimum hujus Regni fulcimentum aestimavit. Quum vero altera ex parte neglectum cultum Jehovae, licet ille in utrumque Regnum caderet, unicam causam interitus crederet; scholas Prophetarum solum-

modo ut *Hierarchicum* elementum, quocum Politia nihil haberet commune, memoraret; quum denique dissensionem Ephraimitarum et Judaeorum parum recte judicaret, rebus etiam. Geographicis exiguam tantum curam tribueret, aliter evenire ipsi non potuit, quam ut quae bene auspicatus fuerat, non item bene exsequeretur.

Nunc vero perventum est ad Commentationem quintam, cujus auctor tanta laboris, diligentiae, eruditionis specimina dedit, quanta vix expectare ab adolescente licet. Sermonis elegantia, disponendi Ordo, exponendi sagacitas rerumque ubertas, ingenii acumen, critica in res dubias inquirendi ratio, causarum investigandarum facilitas, judicii veritas, hae sunt virtutes quibus auctor egregiae hujus dissertationis claret; qui nisi habuisset acerrimum victoriae aemulum, praemium sine dubio reportasset, quum omnia fere quae ab Ordine postulata erant, ab ipso essent praestita. Sed praeterea quod nonnumquam nimis abundaret, e. g. in describenda extera utriusque Regni conditione, quae dimidiam totius operis partem complectitur; atque plura quae ad rem non pertinent, licet perite, adderet, ut tota Prolegomena de Fontibus, quae non minus magnam scriptionis partem efficiunt; nonnulla, in quibus vis inerat maxima, obiter tractavit, ut res Ephraimitico-Judaicas; alia modo tetigit, ut momentum illud gravissimum regni Judae, quod in cultu Prophetarum cernitur. Tota ceteroquin operis ratio indicia minime dubia exhibet, adolescentem egregium temporis brevitate pressum non potuisse omnes argumenti sui partes aequabiliter pertractare.

Omnium autem, quae in his Commentationibus Ordini reprehendenda videbantur, nihil cadit in auctorem scriptionis illius, quae Hebraïco symbolo insignita est; omnia quae in illis laudabantur singulis, in hoc uno inveniuntur; omnia denique, quae in illis sive desunt sive leviter tanguntur, ab hoc uno doctissime exponuntur; qui intactum nihil reliquit, leviora scite tetigit, graviora luculenter elaboravit, omnia in probationem vocavit, sermone non elegante illo quidem, sed simplici, emendato, facili usus, circa rem suam versatus, cum certitudine et veritate eam dominabatur. Nexum nationum politicum, in moribus, legibus situque terrarum innixum breviter quidem, sed dilucide eruit atque, quod ipsum palma dignissimum reddidit, *politicum* prophetarum momentum, *politicam* totius legislationis Mosaïcae religionem, cum ingenio populari comparatam atque ex eo depromtam altius repetebat et ut causam principem sistebat, qua Regnum Judae Israëlitico diuturnius esset. Quapropter eum praemio prae ceteris ornandum esse censuit Ordo. Aperta schedula atque observatis iis quae lege Regia praescribuntur, victor renuntiatus est

CAROLUS CHRISTIANUS SIGISMUNDUS BERNHARDI, OTTRAVIA-HASSUS, *SS. Theol. Licentiatus, Philologiae in hac Academia studiosus.*

Ne vero tantae virtutes, quantis excelluit vir juvenis ille victori proximus, suis laudibus carerent, sed potius ut praestans omnibus proponerentur exemplum, Ordo ipsi secundos honores publice tribuendos decrevit ejusque Commentationem in Annalibus Academicis typis exscribendam curare duxit, si-

quidem hujus rei veniam impetrasset. Quae cum ita essent, auctorem publice invitavit, ut si vellet, nomen suum profiteretur. Quod cum fecisset, auctor cognitus est

THEODORUS GUILIELMUS JOANNES JUIJNBOLL, HAGAE-COMITANUS,
in Academia Lugduno-Batava Theologiae studiosus,

ingeniosus juvenis, de quo Academiae Lugduno-Batavae ex animo gratulamur. Gratulamur item patriae nostrae, quae ejusmodi juvenes et procreat et alit, de quibus summa quaeque ei sperare licet.

Ad ceteram quaestionem:

Exhibeatur Commentatio Historico-Critica de Archontibus Reipublicae Atheniensis...

una solummodo Ordini exhibita est Commentatio, in qua elaboranda quamquam plura ad quaestionis argumentum minus pertinentia fusius tractavit auctor et graviora interdum leviter attigit nec in disponenda materia delectum ubique ac judicium adhibuit; ita tamen et diligentiam suam et doctrinam Ordini probavit, ut praemium ei adjudicandum esse videretur. Schedula autem resignata et instituto examine hujus Commentationis auctor repertus est

PHILIPPUS BERNARD, ARLONENSIS,
Philosophiae et Literar. Antiquar. in hac Academia studiosus.

Ad tertiam denique quaestionem:

α. Postulatur Descriptio Historico-Geographica Comitatus

Flandriae eo tempore, quo Margaretha, Ludovici Maleani filia, Philippo Audaci, Burgundiae Duci, nupsit »

nullum omnino responsum exhibitum est. Quocirca eam pro certamine Literario anni insequentis denuo proponendam esse censuit Ordo.

BEKKER,

Ord. h. a. ab actis.

IV. JUDICIUM ORDINIS MEDICORUM.

Ad quaestionem ab hoc Ordine propositam :

Determinentur dispositiones cranii infantis quibus tempore puerperii ad usum forcipis obstetriciae confugiendum est; indicentur deinceps illae, quibus summopere ab illo instrumento abstinendum est. Legitima demonstrutione corroboretur utraque determinatio; eodem deinde modo indicetur usus vectis obstetricii eliciaturque ex allatis demonstrationibus summa illa differentia, quae inter usum horum adminiculorum intercedit, ita ut intelligatur, quodnam sit peculiare utriusque officium.....

unicum responsum exhibitum est, his verbis *Hippocrateis* symboli loco munitum :

Ὡς γὰρ εἴ τις ἐς λήκυθον μικρόστομον πυρηνᾶ ἐμβάλλοι οὐκ εὐφυὲς ἐξελεῖν πλαγιεύμενον, οὕτω δὴ καὶ τῇ γυναικὶ χαλεπὸν πάθημα τὸ ἔμβρυον ἐπειδὰν λοξωθῇ· καὶ γὰρ χαλεπὸν ἐξελθεῖν...

ΙΠΠΟΚΡ. *γυναικ. πρῶτ., τμῆμ. ε.*

in qua scriptione Medicorum Ordo eas cognovit doctrinae et diligentiae virtutes, ut auctorem ejus dignum judicaret, qui praemio decoraretur. Aperta schedula institutoque examine praescripto auctor inventus est

JOSEPHUS ANTONIUS LEROY, ANTVERPIENSIS,
in Academia nostra Medicinae Candidatus.

JACMART,
Ord. ab actis.

VII.

PROGRAMMA QUAESTIONUM

AB

ACADEMIA LOVANIENSI

ACADEMIARUM ET ATHENAEORUM REGNI BELGICI

CIVIBUS STUDIOSIS

PRO CERTAMINE LITERARIO ANNI MDCCCXXV,

E DECRETO REGIO XXV SEPTEMBRIS MDCCCXVI,

ART. CXL AD CIL

PROPOSITAE.

QUAESTIONES

AB

ACADEMIA LOVANIENSI

ACADEMIARUM ET ATHENAEORUM REGNI BELGICI

CIVIBUS STUDIOSIS

PRO CERTAMINE LITERARIO ANNI MDCCCXXV,

E DECRETO REGIO XXV SEPTEMBRIS MDCCCXVI,

ART. CXL AD CIL

PROPOSITAE.

I. AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

I.

Colligantur atque exemplis illustrentur idoneis rationes, quarum auxilio objectorum, ac meteororum intervalla a superficie terrae, quantum potest, accurate mensurentur.

II.

Inquiratur de verisimiliori azotis indole, et explanentur composita proxima cuncta et remota praecipua quae cum aliis corporibus azotes sistit, allatis rationibus ponderatis et, pro re nata, mensuratis, juxta quas composita illa perficiuntur.

III.

Detur accurata descriptio plantarum officinalium et venenatarum, tum phanerogamarum, tum cryptogamarum, in hac regione sponte crescentium, addita earum historia. Indicentur characteres praecipui tam familiarum quae, nostra aetate, naturales appellantur, quam classium Linnaei, quo referuntur : deinde ostendantur proprietates, loci natales, inflorescentiae tempus, usus medici et oeconomici ac denique doceatur, quibus illae notis differant a plantis, quibuscum facile possunt confundi.

II. AB ORDINE JURECONSULTORUM.

Quaeritur qua via et qua ratione ducti Galliae legumlatores pervenerint ad constituenda ea, quae Codicis poenarum, quo adhuc utimur, articulo secundo constituta reperiuntur? Quae sit hujus articuli vera sententia, et quatenus cum hac sententia ipsa verba congruant? Quantum denique illa praecepta et a ratione juris criminalis et ab aliorum populorum legibus discedant?

III. AB ORDINE PHILOSOPHIAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I.

Postulatur descriptio historico-geographica Comitatus Flandriae eo tempore quo Margaretha, Ludovici Maleani filia, Philippo Audaci, Burgundiae Duci, nupsit.

II.

Exhibeatur disputatio de vita et scriptis Heraclidae Pontici, Philosophi et Historici.

III.

Instituatur Censura Doctorum virorum qui, apud Belgas, ante saeculum XVII, in philosophia Aristotelica aut illustranda aut immutanda elaborarunt.

IV. AB ORDINE MEDICORUM.

Designentur exacte differentiae singulae, quae sunt inter foetum et hominem aliquo tempore natum, cum expositione rationum, quae ad diversitates istas pertinent.

Responsa oratione Latina, manu aliena, nitide scribenda, una cum schedula, nomen auctoris occultante, cui eadem sit quae responso inscriptio, ad virum Cl. qui tunc Senatui Academico ab actis erit, ante Kalendas Junias MDCCCXXV, mittantur ut victores ex decreto Regio, justo tempore, praemiis ornari possint.

Lovanii, Kalendis Sextilibus MDCCCXXIV.

VIII.

FRANCISCI JACOBI GOEBEL

ORATIO.

FRANCISCI JACOBI GOEBEL

ORATIO

PUBLICE DICTA IV NON. OCTOBR. MDCCCXXIV

QUUM

ACADEMIAE REGUNDAE MUNUS

DEPONERET.

Curatores amplissimi, Viri illustrissimi, gravissimi!

Collegae spectatissimi, amicissimi, clarissimi!

Juvenes ornatissimi, dilectissimi!

Cives et Hospites, suo quisque loco, Honoratissimi!

Quis est, a quo vituperari possim, si me timide in hunc locum amplissimum escendisse confitear, quem qui annis elapsis a Rectoris Academiae nostrae munere fungendo discesserant, omni laudum honestarum genere, applausu frequentissimo, atque honore amplissimo relinquebant: unde ad vos, Spectatissimi Auditores! ex quo tempore quae mihi meo ipse labore pepereram, in hoc augustissimo Musarum sacrario aliis tradere coëpi, hodie primum verba facturus sum? Profecto tum loci amplitudo, Auditorum dignitas atque frequentia, celeberrimus hic conventus, tum hujus diei solemnitas, officiique mei gravitas perturbationis aliquid afferre, meque ad timorem traducere possunt.

Altera vero ex parte summa de vestra singulari humanitate ac benevolentia spes concepta me cohortatur, ut officium dicendi confidenter suscepturus, nihil mihi magis esse honorificum credam, quam ut a vobis me petere liceat, ne mihi res gravissimas brevi oratione comprehendere meditanti exigui temporis attentionem denegare velitis. Ac mihi quidem, de qua re ad vos dicturus sim in animo reputanti, prorsus ita visum est, nullo in argumento meam commodius oratiunculam posse versari, quam si exponam: *Quae sint incitamenta efficacissima, quibus adolescentum studiosorum animi atque studia ad discendam et colendam Geometriam, quam descriptivam dicunt, potissimum vocari et concitari possint.*

Omnium autem quae unumquemque, ipsa natura instigante, ad studium et tractationem scientiarum artiumque liberalium adducunt et alliciunt, bina haec inprimis afferre audemus. Ac primum quidem invincibilis ille impetus ponendus esse videtur, quo ad salutem summam, utilitatem et gloriam Patriae atque totius humani generis quantum quisque pro sua parte potest, tribuere impellimur. *Unum enim*, ait Cicero, *debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas uniuscujusque et universorum* (1).

Alterum locum sibi vindicat, voluptas honestissima, quam nobis parant fructus quos percepimus, aeque ac progressus,

(1) Cic. de leg. III, 6.

quos discendo paulatim fecimus. Quae cum ita sint, in id inquirere contendimus, utrum huic disciplinarum Mathematicarum parti, de qua disserere nobis proposuimus, aliquid insit, quo quodammodo ad ipsius studium, intelligentiam et tractationem adolescentum animi compelli queant. Quamobrem ea primum ratio nobis ineunda est, qua quae ex nostra disciplina ad utilitatem communem commonstrandam depromuntur, summa salus et gloria reipublicae, hominumque universorum societatis augeatur et ad summum perfectionis gradum advehatur. De illis deinde illecebris, quae nostram disciplinam tractanti contingunt, disserere nobis licebit.

Cum autem qui alicujus rei magnitudinem, gravitatem, pulchritudinem, utilitatem perspicere ac penitus cognoscere cupiunt, non satis sibi esse ducant, illam uno obtutu contemplari, sed singulas etiam sibi partes accurate perlustrandas ac seorsim considerandas putent: nostrum esse potissimum videtur, priusquam nimirum disceptationem argumenti nostri aggrediamur, pauca de ipsius Geometriae descriptivae, quam vocant, significatione monere. Arduum fortasse fuerit, ac periculosae plenum aleae argumentum, vobis tamen H. H. A. A. et iis omnibus, qui disciplinas Mathematicas studio aut amore aliquo prosequuntur, ut puto, optandum maxime, ingenuis vero adolescentibus, qui disciplinarum earumdem studiis initiati sunt, opportunum illud omnino fore confido.

Geometria haec sibi subjectas habet rerum in spatio constitutarum constructiones ac descriptiones, quibus punctorum

et positiones et formae linearum, superficierum corporumque limitatorum intelliguntur. Quoniam vero spatium secundum omnes dimensiones est infinitum, atque mens humana eo quod res in infinito collocatas cum iis, quae sibi sunt propiores comparat, ipsasque disquisitioni subjicit, ut hae descriptiones et constructiones mente concipi et artificio delineari queant: Geometrae recentiores immensum spatium planis sibi ipsis perpendicularibus in infinitum porrectis in partes dirimere, et ut situs, quem quaelibet res in spatio occupat, subsidio horum planorum inveniatur, de singulis ejusdem rei punctis perpendiculares rectas ad eadem plana dejicere, atque puncta, ubi istae normales lineae iisdem planis occurrunt, *projectiones*, ipsasque normales *coordinatas*, sive etiam *lineas rectas orthogonaliter projicientes* nuncupare consueverunt.

Priusquam autem usum projectionum ad determinandum situm cujusvis rei in spatio collocatae ostendamus, nobis ratio, ope coordinatarum cujusvis puncti locum in spatio determinandi, exemplo dilucidanda esse videtur. Quo in consilio planum horizonti parallelum ducamus, quod et ipsum in posterum *horizontale* vocabimus, cui illud sub angulis rectis insistat, ac propter positionem hujus plani respectu horizontalis, hoc alterum plane *verticale* appellabimus. Tertium denique planum, ad priora duo perpendiculariter insistens, actum esse accipiamus, quo *angulus triedrus* enascitur *tri-rectus*. Ad haec plana nunc alicujus sphaerae centrum ita refertur, ut intervallum ejus a plano horizontali ternis aequetur pedibus. Vix monendum esse videtur, infinite multas exsistere sphaeras

ejusdem radii, quarum centra totidem pedes a plano horizontali sint remota. Cujus igitur centri ut situs melius atque accuratius figatur, alia res in subsidium est vocanda, cujus vi centrum ejusdem sphaerae a plano verticali sex pedes distare ponatur; qua restrictione consequens est, ex infinite multis sphaeris, eodem radio descriptis, quarum centra, ut modo diximus, tres pedes a plano horizontali distant, eas secerni, quarum centra contineantur linea recta, quae tamquam intersectio binorum planorum, quorum alterum ad horizontale, alterum ad verticale planum, in distantiis ante acceptis, parallelum cogitatur, in situ parallelo excurrit. Nemo autem profecto non videt, hac ratione haud quaquam sphaerae centri positionem plane esse cognitam. Quod autem ut postremum ab innumeris aliis centris, in eadem intersectionis planorum linea versantibus, disjungatur, illud ipsum intervallo quinque pedum ab altero plano item verticali distare accipiatur; ex quo intelligitur, omnia quidem puncta plani, quod in tanta distantia ad hoc alterum planum verticale in parallelo situ refertur, vicem centrorum multarum ejusdem radii sphaerarum gerere; cum vero eidem rectae, quae plano perpendiculariter insistit, unum solummodo punctum cum ipso plano sit commune; unicum modo exsistere punctum, ubi nempe linea intersectionis ante obtenta hoc ultimum planum pervadit. Centrum igitur hoc tres pedes a plano horizontali, sex pedes a plano verticali primo, atque quinque pedes ab altero plano item verticali distat, neque aliud reperitur centrum, quod cum hoc, respectu situs nostri anguli triedri, cujus hedris coordinatae perpendiculares dejiciuntur, prorsus non coinci-

dat. Innumeris autem aliis modis idem centrum ad hedras alius anguli triedri sive item tri-rectanguli, sive etiam obliquanguli, referri potest, quandoquidem primum hujus novi anguli vertex ad hedras primarii anguli triedri, ipsumque deinde centrum eo quo prius factum est modo, ad hedras, novum angulum triedrum, constituentes refertur, quod transformatione coordinatarum satis cognita efficitur.

Neque autem hoc unicum punctum coordinatis suis in immenso spatio designatur; sed alia etiam eidem legi obedire debent, quae numero infinite multa in qualibet linea, seu recta, seu curva, in superficiebus innumeris qualicumque modo accipi possunt. Quoniam vero idem punctum non minus infinite multis lineis quam etiam superficiebus commune esse potest; aliae insuper res ad determinandam linearum ac superficierum in spatio positionem in auxilium vocandae sunt, quae angulis, quos aut linea recta, aut plana vel curvas continentia, vel in diversis punctis superficies tangentia, cum ipsis coordinatarum planis constituunt, necessario exhibentur.

Relatione igitur inter coordinatas et angulos plano-lineares (quibus quidem inclinatio rectae ad planum quodvis denotatur), vel inter angulos diedros (sub quibus nempe bina plana sibi inclinantur) situs rerum in spatio collocatarum investigantur; cumque quaevis relatio inter quantitates cognitas et incognitas aequatione assignari queat: tota disciplina, quae circa situs atque formas earumdem rerum in spatio versatur, calculo et negotiis analyticis accommodari potest. Quocirca hanc totius

Geometriae partem ad *Geometriam analyticam* adnumerare solent. Quanta autem hujus disciplinae studii vis atque utilitas in excolendis et exercendis animi facultatibus per omne tempus habita sit, atque etiam nunc habeatur, ab omnibus fere Analystis ac Geometris certatim demonstratum est. Est enim in hac parte rerum Mathematicarum aliquid, quo nihil praestantius cogitari potest; quam partem non immerito Mathesin speculativam appellare licet. Vires enim mentis animique inprimis hac admirabili doctrina exercentur in rebus percipiendis et cognoscendis, comparandis et discernendis, in rerum causis et effectibus indagandis et percipiendis, in rebus reconditis, abstrusis et obscuris detegendis et illustrandis, in ignotis inveniendis et explicandis, in novis et notis scite copulandis et commiscendis. Quam Geometria analytica ob processus ei prorsus peculiares sit idonea ad suppeditanda subsidia universalia, quae problemata proposita primo obtutu resolvere, formas figurarum et proprietates expiscari et ostendere optime juvent; quanta ejus vis in rebus physicis, mechanicis (1) et astronomicis (2) explicandis, quis ignorat? Cujus rei testes sunt quicumque in hanc disciplinam omnem curam, omnia studia constanter et diligenter contulerunt. Quo etiam factum est, ut eamdem scientiam, nunc ad summum perspicuitatis evidentiaeque gradum provectam tanto fructu et successu docere valeamus.

(1) LAGRANGE, *Mécanique analytique*.

(2) LAPLACE, *Mécanique céleste.* — De aliis commodis hujus disciplinae in resolvendis aequationibus conf. KRAMP, *Elémens de Géométrie, pag.* 243.

Verum haec non est unica ratio, qua rerum in spatio situs, formas, et magnitudines experiri discimus; alia potius methodus ad hoc consilium a Geometris excogitata est. Loco enim trium coordinatarum planorum duo tantum plana horizontale et verticale sub angulo recto sese secantia, in quae ipsas res Geometricas, quas in spatio ponunt, projicerent, adoptare consueverunt. Projectionum vero eapropter tanta est utilitas, quia earum usu unicum modo planum ad delineandos rerum situs, formas, magnitudines sufficit. Disciplina ideo ea, in qua beneficio projectionum, in uno eodemque plano descriptarum, res ipsas in spatio constitutas, quales sunt, constructione modo graphica, repraesentare edocemur, ut denuo ex hac eadem constructione descripta rerum ipsarum situs, formae et quantitates recognoscantur, *Geometria descriptiva* vocari solet, quae succinctius etiam ita definiri potest, ut sit ea disciplina, in qua regulae quantitates geometricas adcurate exhibendi, atque in has quantitates omnes constructiones graphicas apte applicandi suppeditantur.

Definitionem hujus rei in animo solerter ac diligenter reputanti facile apparebit, binas praecipue partes in ea esse distinguendas, quarum in altera ratiocinando tantum positiones punctorum, linearum, superficierumque, quibus quaevis Geometrica res limitatur, examinari, atque inter se summa cura comparari debent.

Haec de prima parte. Altera regulae illius artis continentur, qua projectiones graphice describuntur, ut inde mens humana sibi formas rerum geometricarum veras rursus in-

sinuet, indeque omnes veritates, quae ex earum formis et positionibus necessario nascuntur, deductas intelligat beneque perspiciat. Haec Geometria, ex sententia *Mongei*, est quasi ratio loquendi necessaria, qua homo, ingenio acuto praeditus, in meditandis rebus ingeniosissimis utitur; qua ii diriguntur, qui eas res perfici curant; quae iis denique inservit, qui ipsi singulas rei delineatae partes tractare suscipiunt. Quae cum ita sint, tota Geometriae descriptivae disciplina in duas commode partes *rationalem* vel *scientificam*, et *artificialem* dividi potest. Quae ut bene intelligantur, hoc exemplum illustrandi causa ante oculos sibi posuisse neminem pigebit.

Hunc igitur in finem graphice intervallum brevissimum binarum linearum rectarum A et B projectionibus suis datarum delineare suscipiamus. Easdem autem rectas nec adinvicem parallelas, nec sese secantes accipi posse vix monendum esse videtur. Quoniam vero hoc intervallum brevissimum nil aliud est, quam linea recta, utrique rectae datae sub angulo recto insistens; necessario sequitur, eamdem potissimum perpendicularem rectam projectionibus suis esse exhibendam. Quod ut efficiatur, probe tenendum est, ipsas lineas A et B, in spatio constitutas, cum neque in parallelo situ, neque se secantes, vi positionis nostrae, exsistere queant, haud quaquam in eodem plano esse versaturas; binae enim lineae rectae in uno eodemque plano contentae aut parallelae tantum, aut satis productae angulum linearem constituentes concipi possunt.

Quae igitur cum ita sint, fieri potest, ut per alterutram rectam A planum ad reliquam rectam B parallelum ducatur, cujus positio respectu planorum projectionum ex situ rectarum, secundum quas ipsa projectionum plana a plano, rectam A involvente, intersecantur, prorsus noscitur. Quodvis punctum rectae parallelae aequali intervallo ab hoc plano distat; si igitur per ipsam rectam planum perpendiculare ad alterum planum dejicitur, ab hoc perpendiculo plano recta altera secatur, atque hoc intersectionis punctum est pes perpendicularis, cujus ope intervallum brevissimum mensuratur. Expositio atque investigatio linearum et intersectionum ad rationalem vel scientificam pertinent partem; unde manifesto apparet, has intersectiones, ut plani ducendi positio innotescat, construi debere. Neminem autem latet, planum si quod amplectatur unam saltem rectam, quae ad aliam in spatio constitutam, sit parallela, ipsum ad eamdem rectam, in sublimi collocatam, prorsus in parallelo exsistere situ. Cum igitur binae rectae, sub angulo arbitrario constitutae, in eodem penitus versentur plano, atque ab eodem plano auxiliario plana projectionum una cum rectis lineis, in isto plano ductis, intersecentur, binarumque praeterea rectarum invicem parallelarum projectiones et ipsas esse parallelas necesse sit: per aliquod punctum projectionum lineae A ad projectiones alterius rectae B aguntur parallelae, quibus recta linea in spatio et ad rectam B parallela, et cum recta linea A in eodem prorsus plano auxiliari versans efficitur. Quod planum quia ex ratione allata ad rectam B est parallelum, ejus intersectiones in planis projectionum ita delineantur, ut rectarum A et illius rectae,

quae ad rectam B parallela est ducta, transitus (puncta transituum) per plana projectionum investigentur. Qui jam ut describantur, hoc unicum esse afferendum videtur, projectiones punctorum, quae in planis tum horizontali, tum verticali accipiantur, cum axe projectionum, hoc est, cum intersectione planorum, in quae projicitur, confluere. Ipsa autem projectio verticalis puncti, ubi quaedam recta planum horizontale perforat, in projectione lineae rectae verticali jaceat necesse est; unde facile intelligitur, transitum horizontalem cujusvis rectae, projectionibus suis propositae, tam certe obtineri, ut e puncto intersectionis axeos et projectionis verticalis productae ad ipsum axem in plano horizontali perpendiculum emittatur, quo projectio horizontalis aliquando intersecatur, atque hoc intersectionis punctum pro transitu horizontali rite est considerandum. Eodem quo factum est modo in plano verticali invenitur punctum, ubi eadem recta linea ipsum planum verticale pervadit. Inventis igitur more memorato punctis transituum linearum rectarum A ejusque, quae ad rectam B in parallela ducitur situ, iisdem ope linearum rectarum copulatis, ita tramites describuntur, secundum quos ipsa projectionum plana a plano subsidiario secantur. Positione hujus plani, ad rectam B paralleli, determinata, reliquum est, ut denotemus, cujusvis puncti in linea B accepti brevissimum intervallum a plano, cujus situm modo construximus, perpendiculari recta a se ipsa ad idem planum dejecta suppeditari; ultro igitur apparet, istius perpendiculi projectiones esse exhibendas, quod rectae lineae A occurrat. Quae igitur ut delineentur, nobis praesertim perpendendum est, projectiones perpendiculorum ad aliquod pla-

num sub angulis rectis plani ipsius vestigiis insistere. Perpendicularibus itaque de aliquo projectionum rectae B puncto ad intersectiones plani, rectam A involventis, demissis, projectiones perpendiculi ad planum lineae rectae A efficiuntur; quodsi ejusdem perpendiculi transitus per planum, rectam A continens, recta ad rectam B parallela agitur, quae cum ad lineam A ex positione paralleli situs esse nequeat, ipsi rectae A tandem obviam erit; quamobrem hoc concursus puncto altera extremitas brevissimi intervalli quaesiti exhibebitur. Altera nunc extremitas, ut inveniatur, parallela recta tantum ad rectam, plano lineae A jam perpendiculariter insistentem, ducenda esse videtur, qua ipsa distantia brevissima denotatur, cujus autem projectiones construere contendimus.

Tota earum constructio eo redit, ut projectiones illius puncti describantur, ubi perpendicularis arbitraria planum lineae rectae A transit. Hujus autem puncti projectiones projectionibus et perpendiculi et illius rectae, juxta quam planum rectae A a plano, ipsam perpendicularem sive horizontaliter, sive verticaliter projiciente, secatur, simul contineri debent. Sponte autem liquet, projectionem horizontalem hujus rectae intersectionis cum projectione perpendicularis rectae horizontali plane coalescere; verticalem vero projectionem binis punctis effici, quorum alterum illud est, ubi perpendicularis ex confluxu projectionis horizontalis et axeos ad axem erecta sectioni verticali planitiei lineam A complectenti occurrit; hic enim est transitus verticalis lineae rectae projiciendae, quae ut manifesto patet, cum plano lineae A simul verticale

planum secat. Alterum autem punctum nil aliud esse intelligitur, quam projectionem verticalem puncti illius, ubi perpendiculum ad planum lineae A, planum horizontale transit. Copulatis demum hisce punctis, projectio verticalis ejusdem rectae intersectionis exhibetur, secundum quam planum lineae A a plano perpendicularem rectam arbitrariam horizontaliter projiciente secatur. At hac projectione verticali sectionis lineae ipsa projectio verticalis puncti continetur, ubi perpendicularis ad planum rectae lineae A hoc planum permeat; eadem autem projectio transitus in projectione verticali perpendicularis rectae jaceat oportet : unde consequens est, projectionem puncti transitus enasci, ubi utraeque projectiones verticales modo laudatae se decussatim secuerint. Eodem prorsus negotio et ratiocinio transitus horizontalis perpendiculi describitur. Quibus factis ex his projectionibus transitus rectae ad rectam B parallelae ducantur, ubi ab his parallelis projectiones rectae A secantur, per illa puncta ad projectiones rectae, quam ad planum rectae A sub angulo recto statuimus, aliae agantur item parallelae, quarum partes, projectionibus rectarum A et B propositarum interceptae, et ipsae sunt projectiones brevissimi intervalli, cujus vera longitudo est hypotenusa trianguli rectanguli, pro cathetis alterutram projectionem et differentiam perpendiculorum habentis, quae de extremitatibus reliquae projectionis ad axem projectionum demittuntur.

Quae hactenus de solutione problematis nostri tractabantur, ad partem Geometriae descriptivae rationalem pertinent;

accurata autem constructio ac delineatio projectionum partem constituunt graphicam, seu artificiosam, quae recto oculorum judicio, manum habilem, facilem, exercitatam poscit, ita ut regula, norma, atque circinus, sicuti res postulat et locus, cum opportunitate et habilitate adhibeantur. Atque haec quidem Geometriae descriptivae pars artibus liberalibus, picturae, sculpturae statuariae, architecturae tam civilis, tam militaris praecepta universalia largitur.

Supra vero observatum est, in Geometria descriptiva doceri, instituendas operationes et constructiones in unico tantum plano pertractari, describi, conjungi lineis, quarum directio sive punctis indigitata, sive ex integro exarata designatur. Verticale enim projectionum planum circa axem projectionum mobile ponitur; depressione hujus plani in planum horizontale facta, ut ipsum cum parte horizontalis plani posteriore omnino congruat, omnes projectiones in plano verticali descriptae, postea pone axem projectionum, hoc est, altera ex parte lineae rectae intersectionis planorum cernuntur, ad quem prorsus, sicuti in situ vero plani verticalis, easdem habent relationes. Unde perspicuum est, in projectionibus utrisque nihil, quod eorum positionem respectu axeos projectionum spectat, mutari posse.

Quae problemata circa positionem puncti, lineae rectae, planique, atque circa conjunctionem binarum rectarum, unius rectae cum plano, pluriumque planorum suppetuntur, iis aditus ad graviores, pulchriores et subtiliores disciplinas nobis aperitur. Neminem vestrum dubitare arbitror, lineas curvas

tam planas quam duplice curvatura praeditas praeceptis Geometriae descriptivae obtemperare. Quam ingens, propter multitudinem curvarum cujusvis generis immensam, hic est campus, in quo animi vires juvenum, exercitatione non interrupta, ad ardua et subtilia meditanda coguntur; quam amplus orbis harum rerum, quem mente animoque percurrere possumus!

Quum vero ad argumenti nostri amplificationem nullo modo pertinere atque etiam ob temporis nobis ad dicendum concessi angustias fieri prorsus non possit, ut rationes, singulas curvas projiciendi, hic offeramus, ac vobiscum tractemus, cumque nos potius diversarum, quae in Geometria descriptiva generatim pertractari solent, rerum adumbrationem vobis esse expostituras promiserimus; ad expositionem partis ditissimae, ac praeceptis ingeniosis et pretiosis uberrimae properemus. Ut enim ordinem, quo res in Geometria demonstrare consuevimus, servemus, venimus nunc ad ea, quae breviter de superficiebus earumque intersectionibus proferenda esse videntur; quae est pars illa mirifica, quae inter omnes disciplinarum mathematicarum absque tergiversatione principem tenet locum: qua, ut ita dicam, pabulum animorum discendi cupidorum verus praebetur, qua ingenium juvenile vehementer delectatur. Ut enim lectione poetarum suavitate atque insigni oblectamento afficitur animus, ita sane studio hujus disciplinae strenuo nemo est quin sentiat, quanta sit ingenii humani praestantia, sagacitas, atque ubertas, mortalium nobilitas, atque quid quisque industria, assiduitate ac labore assequi possit; quomodo ad veram et solidam eruditionem conducatur, atque

quamquam iter illud arduum sit ac laboriosum, hoc tamen esse cogitandum, nullo modo fieri posse, ut ad excelsa et sublimia veniatur, et labor in studiis summus summa voluptate condiatur. Sed ad argumentum nostrum revertamur.

Ut igitur superficies quaevis projectionibus suis exhibeatur, hoc fieri non posse putamus, nisi superficierum cujusvis generis generatio prius plane intelligatur. Nullam autem superficierum esse familiam, Mongeo viro longe doctissimo et sagacissimo visum est (1), quae non motu lineae curvae sive planae, sive duplice curvatura gaudentis, secundum legem cognitam dirigendo efficiatur. Lex illa generalis, cui motus lineae generatricis obtemperet necesse est, sive nullo modo a forma generatricis dependet, ut ideo generatrix positione tantum varietur; sive ipsa lex quibusdam conditionibus, quarum vi et forma et positio generatricis commutantur, accuratius determinatur. Quae cum ita sint, haec superficierum genera in universum nanciscimur. Primo quidem loco eas ponamus, quae ita describuntur, ut curva quaedam circa lineam rectam tamquam axem circumferatur, quo *superficies ex revolutione*, quas dicunt, oriuntur. Atque hinc efficitur, singulis curvae generatricis punctis circulum describi, cujus planum ad revolutionis axem, quo centrum et ipsum continetur, sit perpendiculare. Quodsi per axem revolutionis planum ducitur, ab eo superficies secundum curvam secatur, cui *meridiani* nomen tribuunt. Praeterea binae aliae exsistunt rationes, quarum auxilio ejusmodi superficies generantur, et quidem cum vel meridianus

(1) MONGE, *Géométrie descriptive* § 12, *pag.* 16.

circa axem revolutionis revolvatur, vel motu semper parallelo alicujus circuli, cujus centrum directioni axis revolutionis obediat, radius autem constanter magnitudine commutetur, atque circuli ambitus vestigia meridiani sequatur. In his generationis modis projectio cujusvis superficiei ex revolutione in projectionum plana nititur, quae quidem eo instituitur, ut axis revolutionis, aliquot circuli sibi in superficie ad invicem paralleli, meridiani et curva praesertim generatrix projiciantur. Quo autem commodius et minus operose hoc projiciendi negotium institui possit, planum horizontale ita collocetur opportet, ut ad axem revolutionis sit ad perpendiculum (1).

Ad aliam superficierum familiam nunc venimus, quae ita generantur, ut superficies jam cognita, e. g. sphaera, quae eumdem radium servet, secundum legem datam moveatur, ut ejus centrum vestigiis curvae datae obtemperet. Ex quo intelligitur, hac ratione aliam generari superficiem, a quo manifesto ipsa sphaera generatrix in singulis suis positionibus involvatur. Quae res facit, ut superficiem generatricem *involutam*, atque superficiem ab hac generatam *involventem* appellare consueverint. Involvens igitur locus est geometricus omnium involutae intersectionum, quarum quaevis *caracteristica* involventis appellatur, quoniam motu hujus lineae curvae ipsa involvens generari potest. Atque hoc singulare circa ejusmodi superficies animadvertendum esse videtur, quod involuta in singulis locis generationis quasi cum involvente coalescit, a quolibet osculante plano ad superficiem evolventem simul evolutam tangi.

(1) VALLÉE, *Géom. descriptive*, *pag.* 74, § 198.

Aliae sunt superficies hujus naturae peculiaris, ut, quin duplicentur, aut rumpantur, in quodlibet planum prorsus extendi possint; quamobrem eas *evolubiles superficies* vocant. Unde etiam generationem ejusmodi superficiei deprehendere valemus, quae quidem ita conficitur, ut planum quodvis secundum legem datam in spatio moveatur. Hinc quoque intelligitur, involventem plani superficiem esse ipsam evolubilem. Leges autem, juxta quas planum, evolubiles generans, progreditur, fere hae sunt, ut vel idem planum generans semper sit normale curvae lineae datae; vel ut constanter binas superficies curvas datas tangat; sive etiam ut ipsum planum generans superficiem datam secundum vestigia curvae lineae, in ipsa superficie descriptae, osculetur. Illud quoque hic adferri meretur, utrum revera superficies more memorato genitae in plano prorsus extendi possint, qua de re autem nemini dubium erit. Prima enim positio plani generantis ab altera proxime succedentes secundum lineam rectam secatur; haec autem altera plani illius positio a situ quoque suo protinus subsequente juxta lineam rectam intersecatur, et sic deinceps. Ejusmodi lineae rectae proxime succedentes binae, cum sibi infinite proxime jacent, sive parallelae, sive angulum constituentes, sine dubio censeri possunt; quae res facit, ut binae rectae se proxime excipientes in uno eodemque plano versentur, quin ternae in eodem sint plano, hincque quodvis superficiei elementum tamquam planum considerari possit. Quoniam autem quodlibet ejusmodi elementum cum proximo rectam habet communem, ab hoc ipso necessarie illud secatur; quae planities vero ubi fuerint extensae, ex natura pla-

norum omnino in unum confluere debent. Idem confluxus hac quoque ratione intelligi potest, ut anguli diedri binorum planorum, quae admodum obtusi sunt, ad binos suppleantur rectos. Unde consequens est, omnia superficiei evolubilis, more supra memorato genitae, elementa sine raptura vel duplicatura in quodvis planum extendi posse.

Neque vero possumus a nobis obtinere, quin hortemur, in ea familia hujusmodi superficierum, ubi binae intersectiones plani generantis sese decussant, his punctis intersectionum lineam curvam duplicis curvaturae effici, quae a clar. Mongeo *acies reflexionis* (1) ad instar puncti reflexionis curvarum linearum appellatur. Uti superficies evolubilis in singulis positionibus a plano generante tangitur; ita curva duplicis curvaturae ab ipsa superficie in singulis suis punctis tangi debet. Atque haec ultima ratio nos ad aliam hujusmodi superficiei generationem traducit. Ubi nimirum secundum aciem reflexionis alicujus superficiei in spatio collocatam quaedam recta ita moveatur, ut in singulis positionibus suis ad ipsam aciem reflexionis sit tangens. Ex quo facile intelligitur, tangentem successive in omnes positiones caracteristicae superficiei evolubilis transmigraturam. Ad hoc superficierum genus *cylindricae* et *conicae* cujusvis directricis adnumerantur.

Praeterea motu lineae rectae aliud superficierum genus generatur; in quo vero binae positiones generatricis in eodem

(1) *Arête de rebroussement.* Conf. VALLÉE, *Géom. desc. pag.* 262.

plano non admittuntur; quas alii superficies *obliquas* (gauches, windschiefe Flaechen) (1), alii *regulatas* (réglées) (2) vocare solent. Huc plurimae superficies referri possunt, quarum usitatiores tantum nominabimus : quem in finem earum generationis modum accuratius indagamus. Quemadmodum in singulis superficiebus generatrix secundum lineam aliquam dirigitur, unde haec linea directrix dicitur : sic etiam in hujus superficierum generis generatione directrices adoptantur, quae vel uno plano, et binis lineis curvis, aut superficiebus, aut una curva linea et superficie praestantur; vel ipsae tres directrices sunt lineares, sive etiam tres superficies propositae. Generatio priori in casu ita efficitur, ut generatrix recta, inter motum ad planum positione datum constanter parallela, binas simul curvas, vel curvam et superficiem, sive duas etiam superficies in spatio utcunque constitutas tangat. Quodsi loco alterutriusque curvarum directricum recta linea, quae verticalis in alteram directricem curvam enitatur, sumitur, *Conoidum genus* (3) generatur. Si vero pro ambabus directricibus curvis item lineae rectae acceperis, *Paraboloides hyperbolicas* obtinebis. Superficies denique, quam recta linea generat, quae simul inter movendum in ternas lineas rectas nititur, *Hyperbolois unius tantum retis* (Hyperboloïde à une nappe) appellari solet.

Constructiones projectionum, quibus formae ac positiones

(1) *Mém. présentés, tom. X, pag.* 509.
(2) HACHETTE, *Géom. desc. pag.* 27.
(3) Id. *Géom. desc. pag.* 78.

in spatio alicujus superficiei suppeditantur, longas, difficiles et complicatas vocari audimus. Non inficiamur : sed opera in his ratiociniis, quibus projectionum constructiones assequimur, posita, vobis ardua visa ita dulcis atque jucunda est, ut nihil supra. Cui argumento esse potest, quod, qui se illi semel penitus tradiderunt, postea nullis unquam vitae jucunditatibus aut voluptatum illecebris ab illa se abstrahi patiuntur.

Ultima pars Geometriae descriptivae est ingeniosissima constructio linearum curvarum, secundum quas binae superficies sese perforant; qua in re tota Stereotomiae doctrina nititur. Qualescumque sunt superficies sese secantes, quarum intersectio communis projici debet, eo semper contendendum est, ut projectiones generatricum singularum superficierum in illa positione construantur, ubi ipsae generatrices sese secant. Quod ut commodius efficiatur, plana, quibus superficies in punctis datis, aut ad datam rectam parallelis tanguntur, plurimum sublevant. Quis ex his non intelligit, quanta sit praeceptorum nostrae disciplinae consecutio, ac nexus necessarius! Fateor equidem cum hujus rei studiosis, quas hactenus enumeraverim partes Geometriae descriptivae, earum multitudine expectationem superari; neque tamen minus verum est, omnia earum impedimenta industria, studio strenuo, et exercitatione continua vinci penitus posse. Tironi quidem, hoc studium aggredienti, haudquaquam suspicari licet, quanta sit voluptas ab ipso exinde aliquando percipienda; quanta oblectatio animi, qui cognitione harum rerum pascitur; quanta earumdem rerum novitas, magnitudo, ubertas. Ad

hanc disciplinam Mathematicam addiscendam qui accedunt, in ejusmodi haud raro difficultates incurrunt, quibus pleraeque aliae Geometriae doctrinae carent; iis ab initio videtur, totam scientiam nil aliud quam consecutiones, necessarias quidem, quibus nonnumquam animi mentisque vires defatigari aiunt, proportiones abstractas, demonstrationes spinosas, descriptiones uti copiosissimas ita operosissimas esse comprehensuram. Multi jam fuerunt, qui a cognoscendo hujus Geometriae ratione vel eam ob causam animum avocarent, quod principio intelligendi difficultate, generosissimo discendi conatu amisso, ab his studiis discedere mallent, quam ea in re ulterius progredi, quae iis tanta obtulerit impedimenta. Sed sententiam Ciceronianam meminisse juvat, *par* nimirum *esse, omnes omnia experiri, qui res magnas et magno opere expetendas concupiverunt* (1). Quod si quem aut natura sua, aut illa praestantis ingenii vis forte deficiet, aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis, teneat tamen eum cursum, quem poterit. Quae qui bene in animo reputaverit; illene eapropter a studio incepto discedere malet, quippe desperatione tantum debilitatus ea nolet, quae se assequi posse diffidat? Deterruitne Aristotelem a scribendo in philosophia amplitudo Platonis, utrum ipse Aristoteles admirabili quadam scientia et copia ceterorum studia restinxit? Praeter Eulerum, Mongeum et alios doctissimos viros, Mathematici magni atque clari et ante fuere multi, nec defuerunt postea, nec nunc deficiunt. Quare non est, cur eorum, qui studio rerum praeser-

(1) Cic. de orat.

tim Mathematicarum se dederunt, spes refringatur, aut languescat industria; nam ne de optimo quidem assequendo desperandum est, et in praestantibus rebus magnae sunt, quae sunt optimis proximae. Quum vero nihil est, quod sedulitate et diligentia non superetur, nihil quod non expugnet pertinax opera, et intenta et diligens cura; nihil quod amore et studio effici non possit : superatis tandem impedimentis, praeceptorum hujus Geometriae gnarus, superficierum, linearum curvarum formas, quae infinite mutantur, quavis opportunitate data, sibi insinuare potest; eas animo menteque construit; earum sectiones, contactus, involutiones itemque evolutiones ex legibus praescriptis sibi succedere cognoscit. In hoc studio tanta est vis, ut ab iis, qui in earum rerum contemplatione reapse versantur, neque laboris taedium, neque avocantium voluptatum blanditiae sentiantur. In medium prodeat Mongeus ille ingenio acerrimus, qui postquam interdiu Geometriae descriptivae praecepta juvenibus addiscendi cupidissimis tradiderat, noctu meditabatur usque et componebat, quae altero die erant prosequenda (1).

Neque vero haec eo a nobis disputantur, ut contendamus, nullas alias exsistere oblectationes, nisi quae contemplatione sola harum rerum suppeditenter; sed hoc asserimus, illo studio mentem humanam eo pervenire, ut praeclare cognoscat, Geometriam sublimiorem praeesse motibus, formis, rationibus corporum coelestium mensurandis, quorum magnitudinem,

(1) Brisson, *Notice historique sur Gaspar Monge.*

positionem in spatio immenso, motus tempora, orbitas planetarum vi applicationis doctrinae admirabilis adipiscitur; labyrinthum motuum cometarum ante Keplerum et Newtonem fere omnino inaccessum nunc ingredi licet; cometae per longum tempus indomiti, vel si devicti videbantur, mox seditiosi et rebelles, frena sibi injici passi, atque ex hostibus hospites redditi, iter suum in tramitibus calculo delineatis prosecuti sunt, iisdem legibus aeternis religiose obtemperantes (1), quibus vel planetae obediunt. In hac regione, quam animi facultatibus dominamur, infinite multa exsistunt subsidia, opportunitates offeruntur innumerabiles, et nascuntur ardentissima studia vires animi ac mentis exercendi, eas ad summum perfectionis gradum excolendi, campum plane novum aperiendi ampliandique, in quo agere, utilia grandiaque efficere conamur. Quales et quot in universo naturae orbe virtutes nobis apparent, patefiunt: quarum licet aliae modo sibi plane adversenter, modo aliis omnia destruentibus nihil quidquam prorsus resistere possit, ad eamdem tamen efficacitatem omnes conspirare coguntur, unde pulchritudo atque felicitas suprema abunde emanat; neque hic aliud quidquam invenitur, quod ad amplificationem et praecipuum augmentum cognitionum nostrarum non contribuat; hic summa contentio ad statum perfectissimum, et ad quietem directa dominantur; omnia mite tranquille et sine ulla interruptione in ordine maxime necessario et sibi perpetuo succedunt, et in aeternum progredientur; hic harmoniam pulcherrimam; con-

(1) GAUSS, *Theoria mot. corp. coelest.* pag. IV et V, praef.

nexum necessarium, convenientiam optimam, leges firmissimas, quibus omnia mirifice reguntur, intueri et admirari debemus; quae res tanto sublimiores nobis apparent, quanto accuratiori eas subjicimus examini, quantoque subtiliore cura eas perscrutari studemus.

Ut vero, unde digressi sumus, redeamus, atque rationes, quare Geometria descriptiva omni studio sit colenda, quas supra instituimus, absolvamus, inter alias easque gravissimas, quibus cogimur, ut disciplinis hujus scientiae summam navemus operam, haec singularis esse videtur, quod ad dignitatem, reipublicae et patriae salutem, qua nihil optabilius cogitari potest, tuendam augendamque neque minus ad bene honesteque vivendum unusquisque pro virili parte sua aliquid addat necesse est. Quibus enim adjumentis magis ad has res confirmandas commoveri, et quo modo honorificentius aditum apud omnes nobis aperire, vim exercere magnam in universorum animos valemus, quam constantia ac perseverantia in difficillimis studiis, cognitionibus laboriosissima quoque ratione acquisitis, in dandis consiliis salutaribus prudentia sapientiaque nostra; quas omnes res ex tractatione disciplinarum nostrarum uberrime percipi nemo diffidebitur? Atque hanc rem, qua efficitur, ut in animos aliorum qualicumque modo influamus, hominumque studia moderemur et ad utilitates nostras et universorum allicere, excitare, atque felicitatem omnium parare possimus, eo efficaciorem ac fructuosiorem exsistere remur, quo majorem alii persuasionem de nostris meritis cum rerum scientia tum humanitate paratis, deque dignitate, vir-

tute et probitate habeant. Quo enim aliquis laboriosius operosiusque virtutum apicem adeptus fuerit, ubi supra ceteros mortales elatus, hominum venerationem, existimationem, admirationem benevolentiamque sibi conciliatam tenet; quo major etiam hujus certaminis subsidiorum inopia, quibus ad exitus optatos promovemur; quo denique magis improbus fuerit labor in impedimentis innumerabilibus vincendis collocatus : homo eo praestantiore laude, honestiore existimatione et admiratione clarebit, atque eo certius principatum ab omni invidia liberum super omnibus tuebitur. Si quis nihil aliud moliatur, quam ut in illarum scientiarum naturam penitius descendat, quae ex omnibus rebus humanis praestantissimae praedicantur, atque beatitudinem efficere posse creduntur; cur ille non de nobismet ipsis, de salute et felicitate patriae bene mereri sit judicandus? Cur non summo honore mactandus is, qui post multas vigilias et lucubrationes absque fructu iteratas tamen id excogitare non desperat, in quod inquirit, sed ulterius meditando, acriori contentione ad rem aegre relictam denuo accedit, donec successus exoptatissimi ipsi arrideant, inceptumque opus ejus laetissimis et uberrimis fructibus coronent? Cujus nomen magis esse celebrandum videtur, quam illius, qui scientias novis inventionibus cupide locupletat, qui alias vias adhuc ignotas monstrat, sive etiam, id quod gravius honorificentiusque per omne tempus est habitum, plane incognitarum veritatum tramitem primus munit; qui disciplinarum scientiarumque fines ulterius porrigit, qua re ad conservandam communitatem humanamque societatem certe plurimum tribuit?

Ubinam vero, Honoratissimi Auditores! nisi in disciplina hactenus exposita frequentior invenitur opportunitas nova detegendi: quae tamen multo tantum labore, magna cura solertiaque, et insigni familiaritate cum illis praeceptis, quae Analysi et Geometria continentur, praestari possunt. Atque ob hanc ipsam causam studium hujus Geometriae descriptivae ardentissimo amore et contentione suscipiendum et sedulo persequendum esse videtur, quia eo nihil magis idoneum et accommodatum ad comparandam variam et insignem eruditionem summasque laudes excogitari potest. Nulla enim alia ratione citius tutiusque veras nanciscimur cognitiones, quam exercitatione et repetitione, quae omnis perfectionis est mater, ac perpetua studiorum omnium socia et adjutrix necessario esse debet. At vero quis ignorat, exercitando ea, in quibus tamquam in firmissimo fundamento disciplina nostra perdiscenda plane nititur, progrediendo in viis jam inceptis mentem humanam tantummodo intelligere et praeclare perspicere posse, in connexu rerum cognitarum necessario atque frequenter defectus quosdam et obscuritates exsistere, quibus nonnumquam ulteriores processus prohibeantur; hancque ob causam illas ipsis scientiis, quoad perspicuitatem et propagationem, perniciosas esse debere. Nemini vero dubium est, quin habilitate et facultate combinandi, aptaque commodissime ad rem adhibendi, labore et contentione pertinace ii defectus expleantur, et quae obscura fuerint, facile dilucidentur. Industria enim est et diligentia, qua animi mortalium mirum in modum excoluntur, et quae a studio bonarum artium honestissimo sejungi ac dimoveri nullo modo potest. Quae res praeter alia

hoc quoque commodum nobis praestat, ut hac contentione, hoc studendi amore multae inventiones longe utilissimae, quibus auctor quisque summam sibi auctoritatem constituit, in lucem producantur; fontes subsidiorum praestantium, sublimium idearum se aperiant, disciplinae scientiarum diversae omnino novae ad summum perfectionis gradum provehantur. Ad confirmandam hanc sententiam satis est, unam rem, Geometriam nempe descriptivam, exempli gratia proferre, ne de eadem plura enumerando defatigemus Auditores nostros. Est enim haec illa disciplina, a celeberrimo Mongeo (1) acutissime a ratione scientiae exposita, quae inter Mathematicas partes amplissima laudari rite potest; quam ex illo tempore ita ordinatam plurimi sequebantur, ut nunc principia hujus Geometriae in omnes fere reliquas disciplinas Mathematicas applicentur. Neque enim investigatio sola formarum cum superficierum diversi generis, quas in spatio collocamus, tum curvarum, quae intersectione earumdem superficierum generantur, considerari debet, operatio speculativa, qua limites scientiarum solummodo amplius protracti fuerint; sed hoc etiam aliud inprimis efficitur singulare, ut cognitionibus formarum cujusvis superficiei curvarumque linearum, quae ex intersectione superficierum nascuntur, fundamenta artium liberalium tutissime constitui Geometria descriptiva doceamur. Sculptor enim et statuarius, quorum opera et voluptatis et admirationis habent plurimum, et qui materiam rudem forma

(1) Anno 1795 in illa schola, quam prius *normalem*, postea *polytechnicam* appellabant.

induere contendunt, in qua decorum, harmonia partium et proportionum fides, idea et vita penitus in unum conspirare debent, nullo modo disciplinam nostram ignorare possunt (1). Neque Architectus civilis et militaris ad construenda monumenta elegantia illa et pulchra se accingere umquam potest, nisi illa subsidia in promtu habeat, iisque sit optime informatus, quorum ope, quae perfici ab aliis debent, in chartam nitide et conformiter graphica delineatione describuntur. Hoc autem loco non est committendum, ut delineationes accuratas fornicum cujuscumque generis aliarumque rerum, quae ad aedificiorum ornamenta pertinent, omittamus; fornices autem nullo alio efformantur modo, quam ut superficies diversi generis sese perforent aut tangant (2). — Tota Perspectiva, quae magis, ut ars tantum, cui praesertim Physica plurimum sit largita, considerabatur, nunc merito ad Geometriam descriptivam adnumeratur. Perspectivae enim praecepta inde colliguntur (3), ut quaedam peculiaria de intersectione superficierum et in plano horizontali et in spatio effecta in usum vocentur. Constructio geometrica umbrarum et penumbrarum prorsus in praeceptis Geometriae nititur, quandoquidem in eo consistit, ut lineae, quibus rerum partes opacae a pellucidis separantur, subsidio planorum, quae corporum hedras tangunt, atque superficierum, quas evolubiles dicunt, projiciantur. Taceam usus disciplinae nostrae singulares in doctrinis mecha-

(1) MONGE, *Géom. desc.*, *pag.* 28, *sqq.*

(2) Id. *pag.* 131, § 130 *et pag.* 159.

(3) HACHETTE, *Géom. desc.*; atque VALLÉE, *Science du dessein*, hac de re conferantur.

nicis; taceam subsidia innumerabilia, quae hac scientia ad construendas chartas geographicas cujusvis generis, ad conficienda horologia solaria suppeditantur; taceam sexcentas applicationes alias, quae promiscue in omnibus fere disciplinis Mathematicis occurrunt (1); temporis enim ratio vestraque singularis patientia, ut vela contraham, me monent.

Disciplinae Mathematicae, H. H. A. A. hoc singulare efficiunt, earumque vis in omnibus vitae rationibus tanta est, ut iis, qui toto animo in eas omne studium omnemque laborem conferunt, non solum ingenium suum acuant, atque ad omnes Philosophiae partes se rite preparent; sed etiam iis, qui in has disciplinas prorsus se abdiderunt, id praestent, ut fieri non possit, quin vitam bene ordinatam atque in omnibus rebus et tempestatibus justam degant; hancque virtutem indere valeant omnibus, quibus cum ejusmodi viris communicare contingit (2). Quam denique tota natura physica animum humanum capit ad admirationem Creatoris O. M.; mathematica vero doctrina, quae sensus perceperunt, et quibus pleni sunt, ad summam evidentiam comprobat, talique modo animi sensa mentis accumine confirmat; ea praesertim est quo vel ad res coelestes et divinas ducimur.

(1) MONGE, *Géom. desc.*, *pag.* 142, leganturque, quae ab ipso Mongeo in lectionibus 21, 22, 23, 24 tractabantur. — HACHETTE, *Géom. desc.* praef.

(2) *Les sciences mathématiques captivent l'ame et l'occupent d'une manière noble, délicieuse et exempte de danger; elles élèvent l'imagination, elles perfectionnent l'esprit, elles remplissent et satisfont le cœur, elles éloignent les desseins dangereux et frivoles, elles procurent sans cesse une nouvelle jouissance.* LALANDE.

Nunc vero vos, H. H. A. A. ad ea deducam, quae superiori anno in hac Academia evenerunt, breviter enarranda. Atque primum quidem occurrit denuo immensa Augustissimi Regis benevolentia, in Academiam nostram collata. Ditata enim est bibliotheca academica libris pretiosissimis, ex amplissima collectione *Meermani*, viri illustrissimi et doctissimi, quorum emendorum copiam fecit Regis illa gratia singularis, et in quibus Byzantinorum historicorum collectio; acta eruditorum Lipsiensium; itinerum per Graeciam descriptiones a Choiseul Gouffierio exaratae; multa praeterea Jureconsultorum et Philosophorum praeclara opera magni pretii habentur. Unde dulcissimo equidem fungor officio, quo ex senatus decreto benignissimo Regi nostro publice gratum animum nostrum testificor.

Alterum est beneficium non minus, quod optimi Regis gratiae debemus, cui placuit, virum nobilissimum D'ONYN DE CHASTRE, jam ante Illustrissimorum Curatorum praesidem, quum ei hujus urbis consulatum prorogaret, vel in posterum Academiae nostrae primum moderatorem et antistitem edicere. Ex animo itaque tibi, vir illustrissime! et nomine totius senatus hunc honorem gratulor, teque rogo, ut pergere velis cum reliquis Curatoribus amplissimis, qua adhuc fecistis cura ac sollicitudine, rebus Academiae prospicere, ejusque et dignitatem et gloriam omnibus viribus augere. Unum tamen vestrum aegre desideramus, HULTHEMIUM, virum abunde clarum deque Academia nostra meritissimum, cujus laudes justissimae tam multis vicibus haec loca personuerunt, et qui nunc a nostra Academia ad Gandavensem avocatus, literis humanissime ad

nos scriptis ultro promisit, se vel in posterum rebus nostris non esse defuturum. Dum vero hujus viri aestimatissimi bonis officiis non privamur, Rex augustissimus alium, non minus excellentem vobis adjunxit socium, illustrissimum Baronem C. L. G. J. VAN KEVERBERG, Regi a consiliis sanctioribus, Ordinis Leonis Belgici Equitem, nuper Academiae Gandavensis Curatorem, cujus fama praecurrens summa omnia nos sperare facit, et qui nunc primum, ex voluntate senatus salutamus nostrum.

Et ut tamquam si prospera omnia concurrant, ad te me convertere possum, collega amicissime ADRIANE VAN SOLINGEN, quem nunc postea quam per triennium jamjam apud nos artis obstetriciae professionem extraordinariam cum summa et artis et civium salute gessisses, operibusque sapientissime, doctissime perscriptis scientiae tuae limites ultra extendisses, Regis optimi voluntas Professorem ordinarium esse voluit. Qua de re cum tibi primum in senatu adparenti ex animo gratulatus essem, atque senatus socii omnes vero et integro gaudio permoti amicissime te accepissent, meum esse duco, ut quem singulari doctrina praeditum atque omni humanitate temperatum Rex augustissimus publico munere remunerare voluit, eumdem ego publice omnibus declarem collegam nostrum suavissimum.

Neque vero laeta solum, sed acerba quoque nobis memoranda sunt. Eripuit enim nobis luctuosa et praematura mors, collegam quondam nostrum experientissimum, F. J. HARBAUR,

Neovillano-Alsatum (1), Philosophiae, Medicinae, Chirurgiae et Artis Obstetriciae Doctorem, Ordinum Leonis Belgici et Wolodimiri Russici Equitem, Regis Archiatrum, nuper rerum medicarum regni totius terra marique administrandarum Summum Moderatorem, plurimarum Academiarum tam indigenarum quam exterarum Socium (2): cui viro, quum binis annis Academiae institutae primis Rectoris munere fungeretur, res nostra literaria plurimum debuit, et cui nos omnes, quum amicitia ejus erga collegas esset et animus singularis, humanitatis vinculo arctissimo obstricti sumus.

Quaecumque vero nunc supersunt A. A. H. H. ea omnia gratissima sunt. Quid enim dulcius esse potest, quam praemia tribuere laudesque juvenibus bene merentibus? Quam juvat, hanc juventutem curae nostrae ac disciplinae commissam, incensam et flagrantem siti literarum, disciplinarum artiumque bonarum, cupidam verae ac solidae laudis et gloriae lectissimorum adolescentum coronam intueri, qui omnia nos summa de alacritate et industria sua sperare jubent! Ac vere quidem spem illam exspectationemque non frustra cepimus,

(1) Natus die 24 Martii anni 1776, die 26 ejusdem mensis an. 1824 Cameraci mortuus est.

(2) Societatum Mineralogicae itemque Physicae Jenensis, Scientiarum naturalium et medicarum ad Rhenum inferiorem, Caesareae Leopoldino-Carolinae Academiae Naturae Curiosorum; — Lid van het Provinciaal Utrechtsche Genootschap van Kunsten en Wetenschappen, van het Genootschap ter bevordering van Genees-, Heel- en Scheikunde te Hoorn, van het Genootschap ter bevordering der Heelkunde te Amsterdam; — Membre de l'Académie de Bruxelles, de la Société médicale d'émulation de Paris, de la Société de Médecine de Louvain, Correspondant de la Société libre d'émulation de Liége, et Membre honoraire de la Société des sciences naturelles et médicales de Bruxelles.

quod testantur progressus, quos in omnibus doctrinarum generibus tam recens inscripti, quam in diversis ordinibus recensiti juvenes ornatissimi fecerunt; et quanta commilitonum omnium aemulatio sit, testantur examina pro obtinendis diversis gradibus exantlata ac disputationes, quibus haud pauci summa cum laude, plurimi autem magna cum laude victores egrediebantur. Multum et laudabiliter contendebatis, juvenes optimae spei: quae a principio vobis ardua ac laboriosa videbantur, ea nunc ipsa difficultate evadunt fructuosissima. Neque vos profecto ignoratis, cognitiones diligentia indefessa atque industria paratas, numquam esse perituras. Quisque vestrum sibi vehementer habet persuasum, hominem ea modo, quae ipse expertus sit, scire, ipsum sibi quae collegerit, habere, eumque successus exoptatos capere, quos recte fontes voluptatum deliciarumque incomparabilium humanaeque felicitatis esse ducendas, nemo quidem umquam dubitavit.

Liberalitas naturae idcirco dotes suas dispertitur, ut excolantur et adhibeantur; qui igitur suis dotibus locupletissimos ac felicissimos lucratus fuerit fructus, is vocatur merito liberalis; qui quo operosius aliquid assecutus fuerit, eo insigniori gaudio oblectabitur; quo altius a natura res ipsa, quam quisque adtigendam sibi proposuit, fuerit posita, eo magis vires exercebuntur, atque in animis nostris gloriae igniculi excitabuntur; quantus in virtute sit splendor, quanta in vitiis deformitas, literarum ac disciplinarum studio docebimur. Nihil quod ad excolendam humanitatem spectat, omisistis; vobis morum honestatem, tranquillitatem ac mode-

stiam, qui per integrum annum et in scholis, quas sine ulla fere interruptione frequentavistis, et in omnibus Academiae solennibus gessistis, obedientiam summamque observantiam tum erga me ipsum, tum erga omnes hujus Academiae doctores, quo possum maxime gratulor. Pergite igitur eo in itinere, quod ad immortalitatem nominis, ad laudem sempiternam, virtutemque fastigium maxime pervium esse solet atque expeditum. Neque enim vereor, ut ex hac vestra discendi cupiditate studioque singulari permultum vobis dignitatis sit accessurum. Nemini autem non est ignotum, semper reperiri, qui praecipuis virtutibus inter aequales emmineant. Cujus rei testificandae gratia ad illos A. A. H. H. adolescentes oculos advertite, qui in arenam descenderunt, atque in certamine literario honorifice contenderunt. Vos itaque, egregii juvenes! magnopere saluto vobisque ex animo gratulor laetissimo, quod numquam relanguescebatis, quod in vobis vetus ille ad honestas artes ardor animorum non relaxabatur; exstinctae non sunt nobiles illae exercitationes, quibus apud antiquos laudabili aemulatione, juvenes inter se invicem de priori loco, de principatu eruditionis ac sapientiae certabant. Ac equidem maxime laetor, quod mihi demandatum est munus jucundissimum et honorificentissimum, publice vos praemiis ornandi, quibus Augustissimus Rex noster victores in certamine literario remunerandos voluit. Quod ut rite fieri possit, rogo Te, Collega praestantissime! qui hodie Senatus graphiarii munus in Te recipere voluisti, ut judicia, de commentationibus lata, perlegere velis.

(*Ab Ordine Mathematicorum et Physicorum praemio ornata est Mathematica Commentatio* PETRI JOSEPHI SCHMITZ *Aquisgranensis.*)

Utinam adesse possit hic egregius juvenis, ut laudes publicas audiat, et a me accipiat hoc aurum ei eo magis debitum, quoniam licet in alio prorsus doctrinarum orbe versatus, ac Philologiae plane operam optimam et felicissimam navans, tamen mathematicas quoque disciplinas a suis studiis non alienas habuit. Luculentissimum enim hac re argumentum edidit, se eorum sententiam sequi, qui recte judicant, artes omnes inter sese indissolubili quodam vinculo connexas esse, et alteram sine altera subsistere nequire. *Etenim omnes*, ait Cicero (1), *artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur.*

(*Ab eodem Ordine Chymico-Botanica Commentatio* EUGENII WAUTHIER *ex Jauche praemio ornata est.*)

Procedas, vir juvenis ornatissime! ut Te quoque dignis laudibus mactem Tibique praemium solenniter tradam. Tu in elaboratione argumenti chymico-botanici tanta studia adhibuisti, ut noctes diebus, diesque noctibus junxisse, cupiditate discendi et vicendi omnem laboris asperitatem contem-

(1) Cic. pro Arch. Poet. 1.

sisse videaris. Quamquam Tu assiduo labore unius anni spatio jam in Medicinam, quae profecto propter multiplices partes suas in eam incumbentem totum occupat sola, omne studium contulisti, in arenam tamen descendisti, qua victor es egressus. Pergito honestissima studia ad acquirendam, conservandam et amplificandam honestam gloriam animum adpellere; gloria enim, ad quam honestissimi quique trahuntur, simul trahit omnes ad res et studia honestissima.

(*Idem Ordo Physicae Commentationi* JOANNIS DEVYVER *Bierbecensis praemium adjudicavit.*)

Cum vero Te! praestantissime DEVYVER! adpropinquare video, summa animi delectatione afficior. Ante biennium enim jam aureus numus solemniter Tibi erat traditus, quem elaborata commentatione botanico-zoologica tanto jure meruisti. Gratulor itaque Tibi hanc novam lauream, novum diligentiae Tuae argumentum: atque rite augurari mihi videor, Te in summis in Medicina honoribus ac privilegiis, quae mox ex hoc eodem loco obtenturus es, non minus futurum esse felicem, quam in duplici victoria, a Te reportata.

(*In Ordine Philosophorum et Literatorum praemium reportavit Commentatio Historica* CAR. CHRIST. SIGISM. BERNHARDI *Ottravia-Hassi.*)

Quibus vero verbis Te alloquar, vir praestantissime? Modestia enim illa Tua et industria et eruditio omnibus notae sunt,

amicissima erga omnes studia, temperatum illud ingenium ac liberalis animus nutritus artibus ingenuis et liberalibus. In utroque vero studio, Theologiae et Philologiae, quorum illud absolvisti laudatissime, hoc vix inchoatum ita jam pertractasti, ut vel inter veteros non ultimum locum jam pridem teneres, in utroque studio, dico, ita versaris, ut difficile sit scitu, utrum magis Tibi placeat, utri plus ipse Tu debeas : sed non haec sunt, quae hodie in Te admiramur. Quod vero in pertractando argumento tuo eum Te commonstrasti, quod in certamine difficillimo tam acriter pugnasti, ut unus contra quinque juvenes alios, quorum quisque suo loco praestat, victor discederes; hoc jure meritoque hodie celebramus. Accipe igitur decretum Tibi praemium atque persuasum Tibi habe, nos ad laudes hasce Tuas nihil addere posse insuper.

(*Ab eodem Ordine ad ejusdem argumenti Commentationem secundi honores decreti sunt* THEODORO GUILIELMO JOSEPHO JUIJNBOLL *Hagaecomitano.*)

Te quoque, praestantissime JUIJNBOLL! adpello hic, Tibi lubens gratulor, qui tali victori tam prope accessisti. Proximos Tibi honores ordo adjudicavit, proximus itaque Tu accede, hocque honorificentissimum testimonium publice e manu mea accipe.

(*Ab eodem Ordine ad Commentationem Literariam* PHILIPPI BERNARD *Arlunensis praemium adjudicatum est.*)

Tuae jam vices sunt, vir humanissime! Honorificum est judicium ab Ordine Philosophorum et Literatorum de scriptione Tua latum; laudant praeceptores omnes et quique Tui egregiam diligentiam, modestiam, eruditionem; atque ante hos ipsos paucos dies Regi nostro Augustissimo placuit, praemium Tibi largiri luculentum, Teque, qui adhuc discendo excelluisti, ad docendum vocare ad Gymnasium Lovaniense; cur nos omnes eapropter vehementer gratulamur. Accipe itaque, quod ego ex Regis munificentia praemium addere possum, atque ita perge, ut in posterum Gymnasiarchae illustrissimi Tui easdem in Te laudes conferre possint.

(*In ordine Medicorum praemium reportavit Commentatio* ANTONII LEROY *Antwerpiensis.*)

Denique Te huc adpello, Juvenis ornatissime! qui es ex paucioribus illis unus, qui non una vice, sed iterata circa haec loca honoris versantur. Ante biennium enim laeti Te conspeximus coronatum omnes; jam tum laudes Te summae prosequebantur. Neque tamen Tu illis Te continuisti, sed, ut commentatio Tua, ut magistri Tui uno omnes ore testantur, indies eas auxisti adeo, ut verba desint, quibus Te ornare rite possimus.

Cujus rei accipe nunc novum monumentum, quod simul documentum esse potest spei summae, quam de Te habuimus, et quam vel ii capient de Te, quibus Tu aliquando artis salutaris arcana administrabis.

Haec praemia, Juvenes ornatissimi! reportant victores, non minora vero etiam victi. Iidem enim et a victis et a victoribus ex laudabili hac contentione fructus percipiuntur; quamobrem vel victos exhortamur, ut non de se desperent; victores, ut secum reputent, ipsis quoque nondum omnem haustam esse sapientiam, sed omnibus eadem industria esse pergendum. Quodsi fecerint omnes, ut reapse fecerunt hoc anno academico, dubium non est, quin ex hac Academia viri doctissimi et Patriae utilissimi procedant.

Quibus jam peractis, ad explendum ultimum Academiae regundae muneris officium transire licebit. Magistratum Academicum nunc lubens abdicans in virum honestissimum, Collegam suavissimum, amicum praestantissimum JOANNEM FRANCISCUM MICHAELEM BIRNBAUM, Ordinis Jureconsultorum Professorem Ordinarium, ab Augustissimo Rege Rectorem designatum, gestum a me honorem confero. Escende igitur in hunc illustrem editumque locum, Vir Doctissime! Tibi fasces trado et sigilla, Teque regia auctoritate Academiae Lovaniensis

Rectorem in annum sequentem publice dico, pronuntio, proclamo. Salve ac plurimum salve, Magnifice Rector! sedem jam occupabis, quam Tibi laetissimus cedo; Tuum Tibi honorem ex animo gratulor. Faxit Deus O. M. ut omnia prospere Tibi cedant; in omnibus negotiis Tibi aderunt Collegae suavissimi, qui me quoque et opera, et consilio in sustinendo hoc Rectoris munere libentissime adjuverunt, et quibus pro singulari in me studio et voluntate, publice gratissimi animi sensus declaro. Faxit tandem Deus, ut Tu reliquique professores viri clarissimi, salvi et incolumes quam diutissime servemini, ut incolumis sit cum Rege Dilectissimo Patria universa, et Tuis auspiciis floreat Academia nostra, et bona artium doctrinarumque studia!

IX.

PETRI JOSEPHI SCHMITZ

COMMENTATIO

AD

QUAESTIONEM MATHEMATICAM.

PETRI JOSEPHI SCHMITZ,

AQUISGRANENSIS,

LITERARUM HUMANIORUM IN ACADEMIA LOVANIENSI STUDIOSI,

COMMENTATIO

AD QUAESTIONEM AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM PROPOSITAM:

Dantur axes XX′ *et* YY′ *in puncto* A *sub angulis rectis se transeuntes. In axe* YY′ *capitur portio* AB = a, *et ex puncto* B *ad ipsum axem* YY′ *perpendicularis recta* BC = b *elevatur, literis* a *et* b *quantitates determinatas significantibus; ex puncto* C *rectae lineae in axem* YY′ *emittuntur, ad quas ex punctis intersectionum cum axe* YY′ *perpendiculares excitantur; de puncto* A *deinceps ad has perpendiculares perpendicula alia dejiciuntur, quorum pedes in linea curva jacent, cujus natura auxilio aequationis inter coordinatas orthogonas* x *et* y *exhibitae primum investigetur, quin tamen auctor rectificationem curvae atque quadraturam indagare debeat; usus deinde ejusdem curvae accurate laudetur.*

QUAE PRAEMIO ORNATA EST.

Timide sed confidenter.

PROOEMIUM.

Timide sed confidenter VIRI DOCTISSIMI, judicio vestro subjicio hanc qualemcunque commentationem ad quaestionem, quam in Mathematica Theoretica pro certamine Literario hujus anni Academici proposuistis.

Diu quidem multumque dubitavi, utrum hoc opus aggrederer nec ne; non enim fugerat me, accuratam hujus quaestionis commentationem operam postulare multo majorem, quam ego in ea scribenda ponere possem. Etenim cum aliud ego et a Mathematicis disciplinis longe diversum studiorum genus, cui totum me dare cœpi, continuem, illudque ipsum diligentiam postulet nullo

modo interruptam, fieri non potuit, ut, (quod tamen fieri debuisset), relictis per aliquod tempus aliis omnibus, ad perlustranda Mathesis sublimioris praecepta unice me accingerem. Nihilominus tamen propter singularem quemdam amorem, quo Mathematicas doctrinas semper prosecutus sum, impetrare a me non potui, ut rem omnino missam facerem, idque eo minus, cum saepius relecta, diligentius examinata et cognita quaestione, qua rectificatio curvae atque quadratura disertis verbis excipiuntur, intelligerem, fieri forsitan posse, ut iis etiam, quas in promptu haberem, Matheseos notitiis commentationem aliquam scriberem, quae, etsi minus perfecta, tamen non indigna esset, quae tanquam periculum aliquod vestro judicio subjiceretur. Opus igitur meum aggressus investigavi non nisi ea, ad quae investiganda mihi ad Geometriam sublimiorem, ad calculum differentialem aut intregralem aut ad analysin sublimiorem non erat recurrendum. Hanc ob caussam e. g. non nisi tangentes orthogonas tetigi, i. e. non nisi eas, quae axi abscissarum aut parallelae essent aut

eidem perpendiculariter insisterent; eandem ob caussam non determinavi punctum conversionis, quod in ipsa dissertatione breviter solummodo memoravi (§ XXXI in nota); neque denique excepta linea circulari ullam aliam curvam cum ea, de qua in hac dissertatione agitur, comparavi. Quod ad tangentes separatim attinet, vel propterea orthogonas mihi solummodo determinandas esse putavi, quod in proposita quaestione plane ac diserte dicitur: « auxilio aequationis inter coordinatas *orthogonas;* » addito enim verbo *orthogonas* significari visum est, ne in coordinatas obliquangulas inquireretur. Quod ad comparationem attinet, quam inter curvam, de qua agitur, et circulum institui, non solum in eo me continui, ut ostenderem, posita quantitate $b = o$ curvam in circulum abire; verum etiam diversis locis, in variis aequationibus ponendo $b = o$ erui vel hanc vel illam rem, circulo propriam. Quod etsi superfluum videri possit, attamen non praetermisi, quo scilicet certa formularum inventarum veritas eo manifestius appareret. Eandem ob caussam

non uno sed pluribus locis et ex variis aequationibus monstravi, posita quantitate $a = o$, nodum curvae in cuspidem contrahi.

Nota illa quam § 16 adjeci, qua curvam pro $b = o$ eodem modo, qui in proposita quaestione affertur, describo, atque ostendo, eam necessario circulum evadere, haec nota, inquam, propterea adjecta est, ut veritatem mente perceptam etiam quasi manu capiendam porrigeret.

Totam vero commentationem ipsa quaestione duce in duo capita sic divisi, ut in priori naturam curvae investigarem, in posteriori ejusdem usum docerem.

Quod superest, Viri doctissimi, enixe vos rogo, ut si qua forte vitia, quae describendo irrepserunt, me inscio remanserint, ea mihi indulgenter condonetis. *Valete.*
Scripsi III Nonas Majas Anni MDCCCXXIV.

CAPUT I.

DE NATURA CURVAE.

§ I.

Datis lineis rectis YY' et XX' (fig. I) sese in puncto A sub angulis rectis intersecantibus, capimus in YY' partem AB = a, et in puncto B erigimus perpendicularem BC = b. Ex puncto C ad lineam YY' variae exeunt lineae rectae $C\alpha$, $C\beta$, $C\gamma$..., ad quas in punctis intersectionum cum YY' excitantur perpendiculares $\alpha\alpha'$, $\beta\beta'$ et $\gamma\gamma'$, quae, demissis ex puncto A ad se perpendiculis $A\alpha'$, $A\beta'$ et $A\gamma'$ terminata, puncta α', β', γ' determinant, quae puncta pertinent ad curvam, de qua in praesenti dissertatione acturi sumus. Sic vero ductis ex puncto C ad YY' pluribus lineis, et excitatis in harum intersectionibus cum linea YY' perpendiculis, quae iterum demissis ex puncto A ad se perpendiculis terminantur, punctum quodlibet lineae curvae SKAFmAc determinari potest.

§ II.

Ad investigandam hujus curvae naturam, primum opus erit, ut illius aequationem, quam dicunt, inveniamus. Sit igitur $\alpha'\delta$ ad AB perpendicularis, tunc habemus (quoniam triangulum $A\alpha'\alpha$ ex constructione rectangulum est) minora triangula $\alpha\delta\alpha'$ et $A\delta\alpha'$ similia. Porro lineae αC et $\alpha' A$ ad eandem $\alpha\alpha'$ perpendiculares, sunt parallelae, unde $\angle C\alpha B = \angle \delta A\alpha'$; deinde vero $\angle \alpha BC = \angle A\delta\alpha' = R$; unde sequitur triangula $CB\alpha$ et $\delta\alpha' A$ esse similia. Sunt igitur tria triangula $\alpha\delta\alpha'$, $A\delta\alpha'$ et $CB\alpha$ sibi invicem similia, unde efficitur proportio :

$$A\delta : \delta\alpha' = \delta\alpha' : \delta\alpha,$$

e qua cogitur

$$\delta\alpha = \frac{\delta\alpha'^2}{A\delta};$$

porro habetur proportio

$$\delta\alpha' : A\delta = CB : B\alpha,$$

hincque

$$B\alpha = \frac{A\delta . CB}{\delta\alpha'},$$

quamobrem esse debet

$$\delta\alpha - B\alpha = \delta B = \frac{\delta\alpha'^2}{A\delta} - \frac{A\delta\ CB}{\delta\alpha'}$$

et proinde

$$AB - \delta B = A\delta = AB - \frac{\delta\alpha'^2}{A\delta} + \frac{A\delta\ CB}{\delta\alpha'}.$$

Positis in hac postrema aequatione AB $= a$, CB $= b$, abscissa $A\delta = y$ et ordinata $\delta\alpha' = x$, habebimus:

$$y = a - \frac{x^2}{y} + \frac{yb}{x},$$

e qua haec nova formatur

$$x^3 + xy^2 - axy - by^2 = o \ldots\ldots\ldots (1),$$

quae est aequatio curvae nostrae.

§ III.

Haec aequatio quoad ordinatam x tertii gradus, quoad abscissam y secundi gradus est. Curva igitur nostra tertii gradus est, quia alterutra coordinatarum aequatione tertii gradus determinatur.

§ IV.

Ex aequatione curvae

$$x^3 + xy^2 - axy - by^2 = o$$

colligitur

$$x^3 = by^2 + axy - xy^2 = y^2(b - x) + axy,$$

indeque

$$y^2 + \frac{ax}{b-x}y = \frac{x^3}{b-x},$$

quae postremum pro y resoluta dabit

$$y = -\frac{\frac{1}{2}ax}{b-x} \pm \sqrt{\left(\frac{\frac{1}{4}a^2x^2}{(b-x)^2} + \frac{x^3}{b-x}\right)}$$

$$y = -\frac{\frac{1}{2}ax}{b-x} \pm \sqrt{\frac{(\frac{1}{4}a^2x^2 + bx^3 - x^4)}{(b-x)^2}}$$
$$= -\frac{\frac{1}{2}ax}{b-x} \pm \frac{\sqrt{x^2(\frac{1}{4}a^2 + bx - x^2)}}{b-x}$$
$$= -\frac{\frac{1}{2}ax}{b-x} \pm \frac{x\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 + bx - x^2)}}{b-x} \ldots\ldots (2),$$

qua aequatione abscissa y exhibetur.

§ V.

Quodsi in hac aequatione sumserimus $x = o$, manifesto apparet esse etiam $y = o$, et cum ex aequatione principali (1) similiter appareat pro $y = o$ esse etiam $x = o$, sequitur in puncto A, nullas esse coordinatas, itaque curvam per hoc punctum transire, ab eaque axes coordinatarum XX′ et YY′ non nisi in hoc puncto intersecari.

§ VI.

Ponamus $x > o$ et $x < b$; tunc erit $x^2 < bx$, igitur quantitas $bx - x^2$ positiva, hinc etiam $\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 + bx - x^2)} > \sqrt{\frac{1}{4}a^2}$, hoc est, $\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 + bx - x^2)} > \frac{1}{2}a$; sit igitur $\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 + bx - x^2)} = \frac{1}{2}a + n$, et substituatur hic valor in aequatione (2), tunc prodibit :

$$y = -\frac{\frac{1}{2}ax}{b-x} \pm \frac{x(\frac{1}{2}a + n)}{b-x}$$

ergo

$$y = -\frac{\frac{1}{2}ax}{b-x} + \frac{x\left(\frac{1}{2}a+n\right)}{b-x} \ldots\ldots\ (3),$$

atque

$$y = -\frac{\frac{1}{2}ax}{b-x} - \frac{x\left(\frac{1}{2}a+n\right)}{b-x} \ldots\ldots\ (4).$$

Quorum valorum prior positivus est, quia nimirum $x\left(\frac{1}{2}a+n\right) > \frac{1}{2}ax$, alter vero negativus. Si itaque sumpta in linea AX parte As = $x < b$, per punctum s lineam tc parallelam ad AB duxerimus, quae linea tc curvam in punctis t et c intersecat, erunt st et sc bini valores abscissae y pro ordinata As = x, quorum prior quidem st positivus, alter vero sc negativus est; cum enim abscissae inde ex puncto A versus B positivae sumantur, necesse est, ut ex A in partem oppositam negativae habeantur.

Hinc colligitur, ex puncto A binos exire ramos curvae, quorum alter in partem dexteram, alter in sinistram partem lineae XX′ extenditur.

§ VII.

In aequatione nostra

$$y = -\frac{\frac{1}{2}ax}{b-x} \pm \frac{x\sqrt{\left(\frac{1}{4}a^2+bx-x^2\right)}}{b-x}$$

sit x = AD = b, tunc habebimus:

$$y = -\frac{\frac{1}{2}ab}{b-b} \pm \frac{b\sqrt{(\frac{1}{4}a^2+b^2-b^2)}}{b-b}$$

$$= -\frac{\frac{1}{2}ab}{o} \pm \frac{b\sqrt{\frac{1}{4}a^2}}{o} = \frac{-\frac{1}{2}ab}{o} \pm \frac{\frac{1}{2}ab}{o}.$$

ergo erit vel

$$y = -\frac{\frac{1}{2}ab}{o} + \frac{\frac{1}{2}ab}{o} = \frac{o}{o},$$

vel

$$y = -\frac{\frac{1}{2}ab}{o} - \frac{\frac{1}{2}ab}{o} = -\infty - \infty = -\infty.$$

Prior quantitatis $y = \frac{o}{o}$ valor in determinatus est, et tamen valor quidam determinatus existit, nempe $y = u\mathrm{D}$, qui igitur alia quadam ratione determinandus erit, cum signo $\frac{o}{o}$ puncta curvarum multipla existere denotetur. Sit igitur $s\mathrm{D} = r$ infinite parvum, et $\mathrm{A}s = x$, eritque $x = b - r$, quare $x^2 = b^2 - 2br + r^2$, $bx = b^2 - br$, $\frac{1}{2}ax = \frac{1}{2}ab - \frac{1}{2}ar$, aut $-\frac{1}{2}ax = \frac{1}{2}ar - \frac{1}{2}ab$, et denique $b - x = r$. Quodsi ponamus hosce valores in superiori aequatione

$$y = -\frac{\frac{1}{2}ax}{b-x} \pm \frac{x\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 - bx - x^2)}}{b-x},$$

obtinebimus

$$y = \frac{\frac{1}{2}ar - \frac{1}{2}ab}{r} \pm \frac{(b-r)}{r}\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 + b^2 - br - b^2 + 2br - r^2)},$$

sive

$$y = \frac{1}{2}a - \frac{\frac{1}{2}ab}{r} \pm \frac{b-r}{r}\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 + br - r^2)};$$

cum vero sumpserimus r infinite parvum, secunda ejus digni-

tas, respectu primae, sicut altior quaelibet dignitas respectu inferioris omitti potest, proinde omisso r^2 postrema aequatio nostra jam erit:

$$y = \tfrac{1}{2}a - \frac{\tfrac{1}{2}ab}{r} \pm \frac{b-r}{r}\sqrt{(\tfrac{1}{4}a^2 + br)} \ldots\ldots (5).$$

Ex regula Newtoniana constat pro binomio $(a+b)$ esse:

$$\sqrt{(a+b)} = (a+b)^{\frac{1}{2}} = a^{\frac{1}{2}} + \frac{1}{2}a^{-\frac{1}{2}}b - \frac{1}{8}a^{-\frac{3}{2}}b^2$$

$$+ \frac{1}{16}a^{\frac{5}{2}}b^3 - \ldots\ldots$$

$$= a^{\frac{1}{2}} + \frac{1}{2a^{\frac{1}{2}}}b - \frac{1}{8a^{\frac{3}{2}}}b^2 + \frac{1}{16a^{\frac{5}{2}}}b^3 - \ldots$$

$$= \sqrt{a} + \frac{b}{2\sqrt{a}} - \frac{b^2}{8\sqrt{a^3}} + \frac{b^3}{16\sqrt{a^5}} - \ldots$$

Ut vero $\sqrt{(\tfrac{1}{4}a^2 + br)}$ per hanc formulam resolvi possit, in ea ponendum est $\tfrac{1}{4}a^2$ pro a et br pro b; quæ ubi facta fuerint, proveniet

$$\sqrt{(\tfrac{1}{4}a^2 + br)} = \tfrac{1}{2}a + \frac{br}{a} - \frac{b^2r^2}{a^3} + \frac{b^3r^3}{\tfrac{1}{2}a^5} \ldots$$

Omissis omnibus terminis, in quibus altior quantitatis r potestas tanquam factor adest, habebimus

$$\sqrt{(\tfrac{1}{4}a^2 + br)} = \tfrac{1}{2}a + \frac{br}{a},$$

unde nunc erit superior acquatio (5)

$$y = \tfrac{1}{2}a - \frac{\tfrac{1}{2}ab}{r} \pm \frac{b-r}{r}\left(\tfrac{1}{2}a + \frac{br}{a}\right) =$$

$$= \tfrac{1}{2} a - \frac{\tfrac{1}{2} ab}{r} \pm \left(\frac{\tfrac{1}{2}ab - \tfrac{1}{2} ar}{r} + \frac{b^2r - br^2}{ar} \right);$$

quodsi denuo br^2 negligitur, erit :

$$y = \tfrac{1}{2} a - \frac{\tfrac{1}{2} ab}{r} \pm \left(\frac{\tfrac{1}{2} ab}{r} - \tfrac{1}{2} a + \frac{b^2}{a} \right),$$

unde efficiuntur

$$y = \frac{b^2}{a} \dots\dots\dots\dots (6),$$

et

$$y = a - \frac{ab}{r} - \frac{b^2}{a} \dots\dots\dots (7).$$

Est autem $r = \frac{1}{\infty}$, hinc $\frac{ab}{r} = \infty$, et $a - \frac{ab}{r} - \frac{b^2}{a} = -\infty$, igitur propter aequationem (7) fit $y = -\infty$.

Si itaque $r = o$ ponamus, erit, ob aequalitatem pag. 6 positam $x = b - r$, quantitas $x = b$, et habebimus pro ordinata $x = b$ valores abscissae

$$y = \frac{b^2}{a} = \mathrm{D}u, \text{ et } y = -\infty.$$

§ VIII.

Si igitur in linea XX′ ceperimus AD $= b$, et per punctum D lineam Aα parallelam ad YY′ duxerimus, erit primo abscissa positiva Du tertia proportionalis ad lineas a et b; tum vero abscissa negativa Dα erit infinite magna, id est, Dα negā-

tivum curvae ramum in infinita tantum a linea XX′ distantia intersecare potest; ramus igitur ad hanc lineam propius continuo propiusque accedet, neque tamen unquam eam attinget; linea itaque Dα *erit hujus rami Asymptotus.*

Quae cum ita sint sequitur, negativum curvae ramum spatio inter lineas Dα et AY′ comprehendi; ipsumque neutram harum linearum aut excedere aut attingere posse.

Hinc ulterius inferri posset, pro ordinatis negativis, id est, inde ex A versus X′ sumptis non dari abscissas negativas, quia nimirum ramus negativus lineam AY′ excedere non potest; attamen idipsum postea (§ XII) ex ipsa aequatione demonstrabimus.

§ IX.

In aequatione nostra

$$y = -\frac{\frac{1}{2}ax}{b-x} \pm \frac{x\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 + bx - x^2)}}{b-x}$$

ponamus $x > b$, tunc erit $x^2 > bx$ et $bx - x^2$ quantitas negativa, igitur $\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 + bx - x^2)}$ minor quam $\sqrt{\frac{1}{4}a^2}$.

Sit ideo

$$\sqrt{(\tfrac{1}{4}a^2 + bx - x^2)} = \tfrac{1}{2}a - n,$$

tunc erit

$$y = -\frac{\frac{1}{2}ax}{b-x} \pm \frac{x(\frac{1}{2}a - n)}{b-x},$$

igitur

$$y = -\frac{\frac{1}{2}ax}{b-x} + \frac{x(\frac{1}{2}a - n)}{b-x} \ldots\ldots (8),$$

atque

$$y = -\frac{\frac{1}{2}ax}{b-x} - \frac{x(\frac{1}{2}a-n)}{b-x} \ldots\ldots (9).$$

Jam vero $b - x$ est quantitas negativa, quia $x > b$, proinde $-\frac{\frac{1}{2}ax}{b-x}$ quantitas positiva, et $+\frac{x(\frac{1}{2}a-n)}{b-x}$ eandem ob caussam est quantitas negativa; cum vero $\frac{x(\frac{1}{2}a-n)}{b-x}$ sit minus quam $\frac{\frac{1}{2}ax}{b-x}$; sequitur, priorem abscissae y valorem esse positivum. Cum porro $-\frac{x(\frac{1}{2}a-n)}{b-x}$ sit quantitas positiva, sequitur posteriorem abscissae valorem item esse positivum, et quidem majorem quam priorem, quia nimirum ille differentiae, hic vero summae earumdem quantitatum aequalis est.

Si itaque, sumpta in linea AX parte Ad $= x > b$, per punctum d lineam df ad AB parallelam duxerimus, quae linea df curvam in punctis e et f intersecat: de erit prior, df vero valor posterior abscissae y, quorum uterque positivus est, et ordinatae $x =$ Ad respondet. Hi bini valores tamdiu reales erunt, quamdiu $x^2 - bx$ non majus est, quam $\frac{1}{4}a^2$; aliter vero se res habebit, si $x^2 - bx > \frac{1}{4}a^2$, erit nempe $x^2 > \frac{1}{4}a^2 + bx$, igitur $\frac{1}{4}a^2 + bx - x^2$ quantitas negativa, et proinde $\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 + bx - x^2)}$ quantitas imaginaria.

§ X.

Ponamus differentiam inter Ad et b esse infinite parvam, proinde $Dd = r = \frac{1}{\infty}$, tunc habebimus $Ad = x = b + r$; $x^2 = b^2 + 2br + r^2$; $bx = b^2 + br$; $\frac{1}{2} ax = \frac{1}{2} ab + \frac{1}{2} ar$, aut $- \frac{1}{2} ax = - \frac{1}{2} ab - \frac{1}{2} ar$, et denique $b - x = - r$. Quodsi ponamus hosce valores in aequatione

$$y = - \frac{\frac{1}{2} ax}{b-x} \pm \frac{x \sqrt{(\frac{1}{4} a^2 + bx - x^2)}}{b-x},$$

obtinebimus:

$$y = - \frac{\frac{1}{2} ab - \frac{1}{2} ar}{-r} \pm \frac{(b+r)\sqrt{(\frac{1}{4} a^2 + b^2 + br - b^2 - 2br - r^2)}}{-r},$$

aut

$$y = \frac{1}{2} a + \frac{\frac{1}{2} ab}{r} \mp \frac{(b+r)\sqrt{(\frac{1}{4} a^2 - br - r^2)}}{r};$$

neglecto in postrema aequatione r^2 erit

$$y = \frac{1}{2} a + \frac{\frac{1}{2} ab}{r} \mp \frac{(b+r)\sqrt{(\frac{1}{4} a^2 - br)}}{r}.$$

Jam supra § VII. vidimus, esse $\sqrt{(\frac{1}{4} a^2 + br)} = \frac{1}{2} a + \frac{br}{a}$; posito igitur in hac aequatione $- br$ pro $+ br$, erit: $\sqrt{(\frac{1}{4} a^2 - br)} = \frac{1}{2} a - \frac{br}{a}$; est itaque:

$$y = \tfrac{1}{2} a + \frac{\tfrac{1}{2} ab}{r} \mp \frac{b+r}{r} \left(\tfrac{1}{2} a - \frac{br}{a}\right)$$

$$= \tfrac{1}{2} a + \frac{\tfrac{1}{2} ab}{r} \mp \left(\frac{\tfrac{1}{2} ab}{r} + \tfrac{1}{2} a - \frac{b^2 r + br^2}{ar}\right);$$

neglecto iterum br^2 erit

$$y = \tfrac{1}{2} a + \frac{\tfrac{1}{2} ab}{r} \mp \left(\frac{\tfrac{1}{2} ab}{r} + \tfrac{1}{2} a - \frac{b^2}{a}\right)$$

igitur vel

$$y = + \frac{b^2}{a} \ldots\ldots\ldots\ldots (10),$$

vel

$$y = a + \frac{ab}{r} - \frac{b^2}{a} = + \infty \ldots (11).$$

Si itaque $r = o$ ponamus, erit $x = b + o = b$; et habebimus pro ordinata $x = b$ valores abscissae

$$y = \frac{b^2}{a} = \mathrm{D}u, \text{ et } y = a + \frac{ab}{o} - \frac{b^2}{a} = + \infty.$$

§ XI.

Prior horum valorum idem est ac prior quem, § VII extr. invenimus; posterior autem infinite magnus, qui § VII negativus est, hîc positivus reperitur, et est itaque *asymptotus rami positivi*, perinde atque illum asymptotum rami negativi esse vidimus.

Quodsi ergo, sumpto AD $= b$, per punctum D lineam Aa

YY′ duxerimus, erit altera pars hujus lineae, uA rami positivi, altera Dα rami negativi asymptotus; pars vero Du, in medio inter illas sita, erit tertia proportionalis ad a et b.

§ XII.

Cum ordinatam x adhuc non nisi quantitatem positivam, id est, inde ex puncto A versus X computaverimus; forsitan non erit a re nostra alienum, ut eandem ordinatam jam negativam, hoc est, inde ex puncto A versus X′ sumptam consideremus.

Quodsi in aequatione (1) scribamus $-x$ pro $+x$, obtinebimus

$$-x^3 - xy^2 + axy - by^2 = o,$$

hinc

$$(x + b)\, y^2 = axy - x^3,$$

et dividendo per $x + b$,

$$y^2 = \frac{ax}{b+x}\, y - \frac{x^3}{b+x},$$

unde

$$y = \frac{\frac{1}{2}\, ax}{b+x} \pm \sqrt{\left(\frac{\frac{1}{4}\, a^2\, x^2}{(b+x)^2} - \frac{x^3}{b+x}\right)}$$
$$= \frac{\frac{1}{2}\, ax}{b+x} \pm \frac{x\sqrt{(\frac{1}{4}\, a^2 - bx - x^2)}}{b+x} \ldots (12).$$

Cum autem manifesto appareat esse

$$\frac{x\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 - bx - x^2)}}{b+x} < \frac{\frac{1}{2}ax}{b+x},$$

sive sit $x > b$, sive $x = b$, sive $x < b$; sequitur, ambos abscissae y valores esse positivos, et proinde ordinatis negativis nullas respondere abscissas negativas, et nullam curvae partem inter crura anguli X′AY′ sitam esse. Si itaque, sumpta in linea AX′ parte Ah = x, per punctum h lineam hm parallelam ad AB duxerimus, quae linea hm curvam in punctis k et m intersecat, hk et hm erunt bini valores abscissae y, qui ambo ordinatae Ah respondent. Hi valores tamdiu reales erunt quamdiu $x^2 + bx$ non majus est quam $\frac{1}{4}a^2$; si enim $x^2 + bx > \frac{1}{4}a^2$, erit $\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 - bx - x^2)}$ quantitas imaginaria.

§ XIII.

Quodsi in aequatione (12)

$$y = \frac{\frac{1}{2}ax}{b+x} \pm \frac{x\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 - bx - x^2)}}{b+x}$$

ponamus $x = o$, inveniemus idem, quod § V habuimus, esse $y = o$. Hinc sequitur, originem A esse nodum, et proinde ovale AFm inter crura anguli YAX′ omnino comprehendi.

Ex hoc §, collato § V sequitur, lineam XX′ partis FAe curvae nostrae in puncto A esse tangentem, quia cum ea non nisi punctum A habet commune.

§ XIV.

Si in aequatione (12) quantitas a constans est, b vero va-

riabilis, apparet, valores quantitatis y continuo minores fieri, quando b crescit. Ponamus $b = \infty$, tunc pro quolibet finito valore ordinatae x, aut pro $x = \infty$, quantitas $\frac{x\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 - bx - x^2)}}{b+x}$ erit imaginaria; proinde etiam y quantitas imaginaria; deinde pro $x = \frac{1}{\infty}$ erit $y = \frac{\frac{1}{2}ax}{b+x} \pm \frac{x\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 - bx - x^2)}}{b+x} = \frac{1}{\infty}$: unde sequitur pro infinite magno b coordinatas ad ovale esse aut imaginarias aut infinite parvas, aut, quod idem est, pro infinite magno b, ovale evanescere.

§ XV.

In eadem aequatione (12)

$$y = \frac{\frac{1}{2}ax}{b+x} \pm \frac{x\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 - bx - x^2)}}{b+x}$$

ponamus $a = o$, erit $y = \pm \frac{x\sqrt{-(bx + x^2)}}{b+x}$ quantitas imaginaria, unde consequens est, pro $a = o$ ovale non existere.

Hoc igitur ovale minus minusque fiet, quando linea BC ad AX′ accedit, evanescet autem et in cuspidem abibit, quando BC cum AX′ coincidit.

§ XVI.

Aequatio abscissae pro ordinata positiva (§ IV) est:

$$y = -\frac{\frac{1}{2}ax}{b-x} \pm \frac{x\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 + bx - x^2)}}{b-x}$$

et pro abscissa negativa (§ XII):

$$y = \frac{\frac{1}{2} ax}{b+x} \pm \frac{x \sqrt{(\frac{1}{4} a^2 - bx - x^2)}}{b+x};$$

si in his aequationibus ponamus $b = o$, prior aequatio erit:

$$y = \frac{1}{2} a \mp \sqrt{(\frac{1}{4} a^2 - x^2)},$$

posterior autem plane eadem

$$y = \frac{1}{2} a \pm \sqrt{(\frac{1}{4} a^2 - x^2)}.$$

Ut autem rite perspiciamus, quid sibi haec aequatio significet, sit circa centrum E (fig. IX) circulus, in quo diameter AB; ad hanc diametrum in puncto quodam C sit CD perpendicularis. Jam invenienda est hujus circuli aequatio ex coordinatis AC $= y$, CD $= x$, et quantitate constanti AB $= a$. Est autem BC : CD $=$ CD : AC, id est: $a - y : x = x : y$, hinc $ay - y^2 = x^2$, aut $y^2 - ay = - x^2$; unde acquiritur $y = \frac{1}{2} a \pm \sqrt{(\frac{1}{4} a^2 - x^2)}$.

Videmus hanc aequationem circuli esse plane eandem, quam aequationem curvae nostrae, si in ea $b = o$ ponitur. Quodsi igitur ponamus $b = o$, curva nostra in circulum mutabitur, cujus diameter est a (*).

(*) Idem etiam Geometrica constructione sic forte nobis informare possemus: sit AB $= a$ (fig. X), et cum $b = o$, linea BC non adest, sed punctum C cum puncto B coincidit. Jam vero per punctum C (B) lineae agantur usque ad intersectionem cum AB. Hae lineae autem cum jam in ipso puncto C (B) sese cum AB intersecent, ex hoc puncto non exeunt, perpendicula autem in puncto intersectionis cum AB ad eas excitata non sunt nisi lineae ex puncto B in omnes partes exeuntes, ad quas cum ex puncto A iterum perpendicula demittuntur, exasc untur super linea AB triangula rectangula BhA, BdA, BgA, BfA etc., quorum vertices h, d, g, f, in peripheria circuli, cujus diameter AB est, jacere constat.

§ XVII.

Pro ordinata positiva $Ad > b$ (§ IX) invenimus binos valores positivos abscissae y, de et df (fig. I), quorum prior de crescit, posterior vero df decrescit, quando punctum d sive linea df versus X progreditur. Hi bini valores sibi invicem aequales erunt, quando df coincidit cum IK, quae in puncto K curvam tangit: erit nimirum y = IK = IK. Tunc vero in aequatione nostra (§ IV)

$$y = -\frac{\frac{1}{2}ax}{b-x} \pm \frac{x\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 + bx - x^2)}}{b-x}$$

necesse est, quantitatem $x\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 + bx - x^2)}$ esse $= o$; alias enim diversi essent valores abscissae y, quod est contra positionem; sequitur hinc, cum factor x non sit $= o$, alterum factorem $\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 + bx - x^2)} = o$ esse; inde $\frac{1}{4}a^2 + bx - x^2 = o$ et

$$y = -\frac{\frac{1}{2}ax}{b-x}.$$

Quando vero $\frac{1}{4}a^2 + bx - x^2 = o$, sequitur $x^2 - bx = \frac{1}{4}a^2$, unde

$$x = \frac{1}{2}b \pm \sqrt{(\frac{1}{4}a^2 + \frac{1}{4}b^2)}$$
$$= \frac{1}{2}b \pm \frac{1}{2}\sqrt{(a^2 + b^2)}.$$

Jam ducta linea AC, est in triangulo ABC rectangulo

$\overline{AB}^2 + \overline{BC}^2 = \overline{AC}^2$, et posita AC $= c$, erit $c^2 = a^2 + b^2$ et $\sqrt{(a^2 + b^2)} = c =$ AC; itaque $x = \frac{1}{2}b \pm \frac{1}{2}c$; est igitur vel $x = \frac{1}{2}b + \frac{1}{2}c$, vel $x = \frac{1}{2}b - \frac{1}{2}c$.

Quodsi priorem valorem quantitatis x ponamus in superiori aequatione $y = -\frac{\frac{1}{2}ax}{b-x}$, habebimus

$$y = -\frac{\frac{1}{2}a\left(\frac{1}{2}b + \frac{1}{2}c\right)}{b - \left(\frac{1}{2}b + \frac{1}{2}c\right)} = -\frac{a(b+c)}{4b-2b-2c}$$

$$= -\frac{a(b+c)}{2(b-c)} = \frac{a(c+b)}{2(c-b)} \ldots (13).$$

Altero autem valore quantitatis x in eandem aequationem

$y = -\frac{\frac{1}{2}ax}{b-x}$ introducto efficietur:

$$y = -\frac{\frac{1}{2}a\left(\frac{1}{2}b - \frac{1}{2}c\right)}{b - \left(\frac{1}{2}b - \frac{1}{2}c\right)} = -\frac{a(b-c)}{2(b+c)}$$

$$= \frac{a(c-b)}{2(c+b)} \ldots\ldots\ldots\ldots\ldots (14).$$

Porro pro ordinata negativa bini valores abscissae y nempe hk et hm sibi invicem aequales erunt, quando hm cum EF coincidit et ovale in puncto F tangit; hi bini valores aequales erunt, EF = EF = y.

Tunc vero in aequatione § XII:

$$y = \frac{\frac{1}{2}ax}{b+x} \pm \frac{x\sqrt{\left(\frac{1}{4}a^2 - bx - x^2\right)}}{b+x}$$

erit $\frac{1}{4}a^2 - bx - x^2 = o$, et $y = \frac{\frac{1}{2}ax}{b+x}$.

Quando vero $\frac{1}{4}a^2 - bx - x^2 = o$, sequitur $x^2 + bx = \frac{1}{4}a^2$: unde

$$x = -\tfrac{1}{2} b \pm \sqrt{(\tfrac{1}{4} a^2 + \tfrac{1}{4} b^2)}$$
$$= -\tfrac{1}{2} b \pm \tfrac{1}{2} \sqrt{(a^2 + b^2)}.$$

Cum autem $\sqrt{(a^2 + b^2)} = c$ sequitur $x = -\tfrac{1}{2} b \pm \tfrac{1}{2} c$, ergo

$$x = -\tfrac{1}{2} b + \tfrac{1}{2} c = -(\tfrac{1}{2} b - \tfrac{1}{2} c),$$

atque

$$x = -\tfrac{1}{2} b - \tfrac{1}{2} c = -(\tfrac{1}{2} b + \tfrac{1}{2} c).$$

Si hos valores cum illis comparaverimus, quos paulo superius pro x obtinuimus, inveniemus, eos esse plane eosdem quam illos, praeterquam quod hoc loco subtractionis signo (—) affecti sint, et quod hîc valor prior illic valori posteriori, et hîc valor posterior illic valori priori respondeat. Subtractionis signum hoc loco necessario venire debuit, quia valores pro negativo x inveniendi erant.

Cum igitur priori et posteriori loco plane eosdem valores inveniamus, sequitur, alterum eorum ordinatae positivae, alterum vero ordinatae negativae aequivalere. Est igitur:

$$x = \tfrac{1}{2} b + \tfrac{1}{2} c = \text{AI}.$$

et

$$x = -(\tfrac{1}{2} b - \tfrac{1}{2} c) = -\tfrac{1}{2} b + \tfrac{1}{2} c = \text{AE}.$$

Quodsi valores, quos pro negativo x supra invenimus, $x = -(\tfrac{1}{2} b - \tfrac{1}{2} c)$, et $x = -(\tfrac{1}{2} b + \tfrac{1}{2} c)$, quodsi hos ponamus in aequatione $y = \dfrac{\tfrac{1}{2} ax}{b+x}$ obtinebimus:

$$y = -\frac{\frac{1}{2}a\left(\frac{1}{2}b - \frac{1}{2}c\right)}{b - \left(\frac{1}{2}b - \frac{1}{2}c\right)} = \frac{a(c-b)}{2(c+b)},$$

atque

$$y = -\frac{\frac{1}{2}a\left(\frac{1}{2}b + \frac{1}{2}c\right)}{b - \left(\frac{1}{2}b + \frac{1}{2}c\right)} = \frac{a(c+b)}{2(c-b)}.$$

Hi bini valores abscissae y iterum plane iidem sunt, atque valores (13 et (14), quos supra pro y invenimus, et quidem horum prior illorum posteriori, et horum posterior illorum priori aequalis reperitur; neque est signorum inter hos et illos differentia, quia etiam pro ordinata negativa positivas esse abscissas ex § XII novimus. Quae cum ita sint, alter horum valorum lineae IK, alter vero lineae EF aequivalebit; itaque

$$y = \frac{a(c+b)}{2(c-b)} = \text{IK},$$

et

$$y = \frac{a(c-b)}{2(c+b)} = \text{EF}.$$

§ XVIII.

Jam vero uno quasi oculorum obtutu nobis videndum est, quod in precedenti § longiori forte disquisitione invenimus. Hac enim ratione et rem ipsam facilius perspiciemus, et quod inde sequitur rectius dijudicabimus. Quando nimirum IK et EF parallelae cum AB sunt, et prior curvam in K, posterior ovale in F tangit, tunc habemus, posita AC $= c$:

$$\left.\begin{aligned} AI &= \tfrac{1}{2} b + \tfrac{1}{2} c \\ AE &= -\tfrac{1}{2} b + \tfrac{1}{2} c \end{aligned}\right\}(15); \quad \left.\begin{aligned} IK &= \frac{a\,(c+b)}{2\,(c-b)} \\ EF &= \frac{a\,(c-b)}{2\,(c+b)} \end{aligned}\right\}(16).$$

Si igitur AC in n bifariam dividitur, et ex puncto n fiunt altera ex parte $nq = \frac{1}{2} b$, et altera ex parte $np = \frac{1}{2} b$; erit Cp = AI, et Cq = AE. Unde sequitur: si in linea AX ceperimus AI = Cp, et per punctum I lineam IK ad AB parallelam duxerimus, haec linea IK curvam in k tanget; atque si in linea AX′ ceperimus AE = Cq, et per punctum E lineam EF ad AB parallelam duxerimus, haec linea EF ovale in F tanget.

Porro cum IK $= \frac{a\,(c+b)}{2\,(c-b)}$, sequitur $2\,(c-b) : c+b = a$: IK. Si igitur ad $2\,(c-b)$, $c+b$ et a quaerimus quartam proportionalem, tunc vero in AB sumimus AL aequalem huic quartae proportionali, et in puncto L perpendiculum LK erigimus, atque ad intersectionem cum curva producimus; invenimus punctum k, demissaque ex eo ad XX′ perpendicularis KI curvam in k tangit.

Cum denique EF $= \frac{a\,(c-b)}{2\,(c+b)}$; sequitur $2\,(c+b) : c-b = a$: EF; inventa igitur linea AM = quartae proportionali ad $2\,(c+b)$, $c-b$ et a, invenitur etiam punctum F et directio lineae EF, qua ovale in F tangitur.

§ XIX.

Crescente b crescit c, sed ita ut incrementum, quod accipit b, continuo majus sit, quam quod accipit c; nam (fig. XI) in triangulo rectangulo ABC sit BC $= b$ et AC $= c$; jam crescat b ad magnitudinem BC′, tunc fit $c =$ AC′; si jam sumserimus AD $=$ AC, tunc erit DC′ incrementum, quod obtinuit c, CC′ autem incrementum, quod obtinuit b. Jam vero angulus m est auctus, et proinde n obtusus; itaque CC′ > DC′.

Cum igitur incrementum, quod obtinet b, majus sit, quam quod obtinet C, sequitur etiam, crescente b, decrescere differentiam, quae est inter b et c, ita quidem, ut, pro $b = \infty$, sit $c = \infty + \frac{1}{\infty}$, aut, quod idem est, pro infinito magno b differentia inter b et c infinite parva sit.

Sic etiam b decrescens continuo magis decrescit, quam ipso decrescente decrescit c; et tunc differentia inter b et c continuo crescit, donec, pro $b = o$, haec differentia fit aequalis AB $= a$.

Jam vero supra invenimus (fig. I), AI $= \frac{1}{2} b + \frac{1}{2} c$, et IK $= \frac{a\,(c + b)}{2\,(c - b)}$; si igitur b crescit, crescent etiam AI et IK, et pro $b = \infty$, erit AI $= \frac{1}{2} \infty + \frac{1}{2} \infty = \infty$, et IK $= \frac{a.\,2.\infty}{2.\,\frac{1}{\infty}} = \infty^2$. Contra decrescente b decrescent etiam AI

et IK, et pro $b = o$ erit $AI = \frac{1}{2}c = \frac{1}{2}a$, et $IK = \frac{ac}{2c} = \frac{1}{2}a$. Est autem $AI = IK = \frac{1}{2}a$ aequatio binarum tangentium, sese sub angulo recto intersecantium, ad circulum diametri a, in quem abit curva nostra, ubi ponimus $b = o$ (§ XVI).

Deinde est $AE = -\frac{1}{2}b + \frac{1}{2}c$ et $EF = \frac{a(c-b)}{2(c+b)}$. Crescente igitur b decrescunt AE et EF, et pro $b = \infty$ erunt $AE = \frac{1}{\infty}$ et $EF = \frac{1}{\infty^2}$; itaque crescente b decrescit pars curvae ovalis, et pro $b = \infty$ ovale evanescet, et in cuspidem abibit, id quod etiam § XIV vidimus. Contra decrescente b crescent AE et EF, et pro $b = o$ erit $AE = EF = \frac{1}{2}a$, quae aequatio iterum pro circulo valet, in quem, pro $b = o$, (§ XVI) curva nostra abit.

Ponamus autem $a = o$, tunc erit $c = b$ et proinde $AE = o$, et $EF = o$, hoc est, pro $a = o$ ovale evanescit, et in cuspidem abit, id quod § XV jam vidimus.

§ XX.

Est $AI = \frac{1}{2}b + \frac{1}{2}c$, et $AE = -\frac{1}{2}b + \frac{1}{2}c$, unde sequitur esse $AI + AE = IE = c = AC$; si igitur binae lineae in distantia $= c$ parallelae agantur, inter has lineas tota curva nostra comprehendi poterit.

§ XXI.

Cum AI $= \frac{1}{2} b + \frac{1}{2} c$, et AE $= -\frac{1}{2} b + \frac{1}{2} c$, sequitur: AI . AE $= \frac{1}{4} c^2 - \frac{1}{4} b^2 = \frac{1}{4} a^2$; igitur $\frac{1}{2} a$ media proportionalis inter AI et AE.

Cum porro IK $= \frac{a\,(c + b)}{2\; c - b}$, et EF $= \frac{a\,(c - b)}{2\,(c + b)}$; sequitur IK . EF $= \frac{a^2\,(c^2 - b^2)}{4\,(c^2 - b^2)} = \frac{1}{4} a^2$, igitur $\frac{1}{2} a$ item media proportionalis inter lineas IK et EF.

§ XXII.

Invenimus § XXI AI . AE $= \frac{1}{4} a^2$, et IK . EF $= \frac{1}{4} a^2$; unde consequens est:

$$\text{AI . AE} = \text{IK . EF},$$

itaque

$$\text{IK : AI} = \text{AE : EF}.$$

Ductis igitur lineis AK et AF, triangula AIK et AEF erunt similia itaque <AFE = <IAK; et cum <AFE = <BAF, sequitur esse, <BAF = <IAK; igitur <BAF + BAK = <IAK + BAK; cumque <IAK + BAK = R, sequitur esse etiam BAF + BAK = FAK = R.

Omnino idem aliter quoque invenitur: nam acta linea KF et producta ordinata KL usque ad intersectionem cum producta EF in N, habemus:

$$\overline{KF}^2 = \overline{KN}^2 + \overline{FN}^2 = (AI + AE)^2 + (IK - EF)^2$$
$$= \overline{AI}^2 + \overline{AE}^2 + \overline{IK}^2 + \overline{EF}^2 + 2AI.AE - 2IK.EF.$$

Cum vero $AI \,.\, AE = IK \,.\, EF$ et proinde $2\,AI \,.\, AE = 2\,IK : EF$ sequitur,

$$\overline{KF}^2 = \overline{AI}^2 + \overline{IK}^2 + \overline{AE}^2 + \overline{EF}^2;$$

et cum pariter

$$\overline{AK}^2 + \overline{AF}^2 = \overline{AI}^2 + \overline{IK}^2 + \overline{AE}^2 + \overline{EF}^2,$$

consequens est esse $\overline{KF}^2 = \overline{AK}^2 + \overline{AF}^2$, et inde $< FAK = R$.

Lineae igitur, quae bina puncta contactus K et F cum puncto A conjungunt, sibi perpendiculariter insistunt.

§ XXIII.

Si puncta K et F constructione (§ I) determinata fuerint, ita ut anguli AKP, KPC, AFQ et FQC recti sint, habebimus:

$$PL = \frac{\overline{KL}^2}{LA} = \frac{\overline{AI}^2}{IK} = \tfrac{1}{4}(c+b)^2 : \frac{a\,(c+b)}{2\,(c-b)}$$

$$= \frac{\tfrac{1}{4}(c+b)^2\; 2\,(c-b)}{a\,(c+b)} = \frac{\tfrac{1}{2}(c^2-b^2)}{a} = \frac{\tfrac{1}{2}a^2}{a} = \tfrac{1}{2}\,a.$$

sic etiam

$$QM = \frac{\overline{MF}^2}{MA} = \frac{\overline{AE}^2}{EF} = \tfrac{1}{4}(c-b)^2 : \frac{a\,(c-b)}{2\,(c+b)}$$

$$= \frac{\tfrac{1}{4}(c-b)^2\; 2\,(c+b)}{a\,(c-b)} = \frac{\tfrac{1}{2}(c^2-b^2)}{a} = \frac{\tfrac{1}{2}a^2}{a} = \tfrac{1}{2}\,a;$$

est igitur $PL = QM = \tfrac{1}{2}\,a$.

§ XXIV.

Aequatio curvae nostrae, quam § II invenimus, sic quoque exprimi potest :

$$x^3 - (ay - y^2)\, x - by^2 = o$$

hæc quoad ordinatam x aequatio tertii gradus est et proinde tres valores quantitatis x ex ea evolvi possunt.

Si igitur ceperimus AM $= y$ et per punctum M duxerimus eMF, ad axem XX′ parallelam, quae linea eMF curvam in punctis e, l et F intersecat, tunc habebimus tres valores eM, Ml et MF quantitatis x pro abscissa $y =$ AM.

§ XXV.

Horum valorum bini Ml et MF negativi ad ovale pertinent. Cum vero in aequatione nostra secundum membrum desit, hujusque membri coëfficiens aequalis sit summae omnium radicum, (quod ex doctrina aequationum constat), necesse est hanc summam radicum esse aequalem zero, hoc est, $e\mathrm{M} - \mathrm{M}l - \mathrm{MF} = o$, igitur $e\mathrm{M} = \mathrm{M}l + \mathrm{MF}$.

Quodsi TG ovale, in G (fig. VII) tangat, erunt bini valores aequales quantitatis x, nempe HG = HG, et igitur TH = HG + HG = 2 HG. Si deinde ordinata quaedam ovale neque tangit, neque intersecat, non nisi unus valor realis pro hac ordinata existet. Nam ex doctrina aequationum constat, fieri non posse, ut pro aequatione *imparis ordinis*,

cujus postremum membrum quantitas realis est, radices reales, numero *pares*, imaginariae vero numero *impares* sint; pro nostra igitur aequatione, ubi $-by^2$ realis est, aut *omnes* radices reales aut *una* tantum realis, binae vero imaginariae erunt.

§ XXVI.

Ponamus, linea TG (fig. VII) ovale in puncto G tangi; tunc aequatio nostra:

$$x^3 - (ay - y^2)\, x - by^2 = o$$

duas radices aequales easque negativas habebit.

Quodsi has radices aequales $= -x$ ponamus; tres radices erunt $-x$, $-x$, et $+2x$.

Jam vero item constat ex doctrina aequationum, coëfficientem tertii membri esse aequalem summae omnium productorum ex binis quibusque radicibus, postremum vero membrum aequale producto ex omnibus radicibus. Est igitur:

$$-(ay - y^2) = + x^2 - 2x^2 - 2x^2 = -3x^2,$$

et

$$-by^2 = -x \times -x \times 2x = 2x^3,$$

igitur

$$-4(ay - y^2)^3 = -4\,(3x^2)^3 = -108x^6,$$

aut

$$4(ay - y^2)^3 = 108x^6.$$

Porro

$$27\,(by^2)^2 = 27\,(2x^3)^2 = 108x^6,$$

ideoque

$$4(ay - y^2)^3 = 27\,(by^2)^2 \text{ sive } 4\,(a - y)^3\,y^3 = 27b^2\,y^4$$

sive $(a - y)^3 = \frac{27}{4}\,b^2 y$, unde cogitur

$$a^3 - 3a^2y + 3ay^2 - y^3 - \tfrac{27}{4}\,b^2y = o,$$

sive

$$y^3 - 3ay^2 + (3a^2 + \tfrac{27}{4}\,b^2)\,y - a^3 = o.$$

Ut ex hac aequatione secundum membrum eliminetur, ponamus $y = z + a$, et obtinebimus:

$$\begin{array}{rcl} y^3 & = & z^3 + 3az^2 + 3a^2z + a^3 \\ -\,3ay^2 & = & -\,3az^2 - 6a^2z - 3a^3 \\ +\,(3a^2 + \frac{27}{4}b^2)\,y & = & +\,3a^2z + 3a^3 + \frac{27}{4}b^2z + \frac{27}{4}b^2a \\ -\,a^3 & = & -\,a^3 \end{array}$$

hinc colligitur transformata aequatio

$$y^3 - 3ay^2 + (3a^2 + \tfrac{27}{4}\,b^2)\,y - a^3 = z^3 + \tfrac{27}{4}\,b^2z + \tfrac{27}{4}\,b^2a,$$

igitur $z^3 + \frac{27}{4}\,b^2z + \frac{27}{4}\,b^2a = o$

Quae aequatio regula Cardani soluta nobis dabit:

$$z = \sqrt[3]{\frac{-\frac{27}{4}\,b^2a + \sqrt{\left[(\frac{27}{4}\,b^2a)^2 + \frac{4\,(\frac{27}{4}b^2)^3}{27}\right]}}{2}}$$

$$+ \sqrt[3]{\frac{-\frac{27}{4}\,b^2a - \sqrt{\left[(\frac{27}{4}b^2a)^2 + \frac{4(\frac{27}{4}\,b^2)^3}{27}\right]}}{2}}$$

$$= \sqrt[3]{\frac{-\frac{27}{4}b^2a + \sqrt{(\frac{729}{16}b^4a^2 + \frac{729}{16}b^6)}}{2}}$$
$$+ \sqrt[3]{\frac{-\frac{27}{4}b^2a - \sqrt{(\frac{729}{16}b^4a^2 + \frac{729}{16}b^6)}}{2}}$$
$$= \sqrt[3]{\frac{-\frac{27}{4}b^2a + \frac{27}{4}b^2\sqrt{(a^2+b^2)}}{2}}$$
$$+ \sqrt[3]{\frac{-\frac{27}{4}b^2a - \frac{27}{4}b^2\sqrt{(a^2+b^2)}}{2}}$$

Est autem $\sqrt{(a^2+b^2)} = AC = c$; igitur

$$z = \sqrt[3]{(-\tfrac{27}{8}b^2a + \tfrac{27}{8}b^2c)} + \sqrt[3]{(-\tfrac{27}{8}b^2a - \tfrac{27}{8}b^2c)}$$
$$= -\tfrac{3}{2}\sqrt[3]{[b^2(a-c)]} - \tfrac{3}{2}\sqrt[3]{[b^2(a+c)]}.$$

Supra autem posuimus $y = z + a$, et erit proinde:

$$y = a - \tfrac{3}{2}\sqrt[3]{[b^2(a-c)]} - \tfrac{3}{2}\sqrt[3]{[b^2(a+c)]}.$$

§ XXVII.

Vidimus supra (§ XXVII) esse $-3x^2 = -(ay - y^2)$, aut $3x^2 = ay - y^2 = (a-y)\,y$; est itaque $x^2 = \frac{1}{3}(a-y)y$; unde sequitur, $y : x = x : \frac{1}{3}(a-y)$.

Si jam punctum G (fig. VII) constructione § I determinatum fuerit, ita ut $\angle AGV = R$ et $\angle GVC = R$; erit

$$AH : GH = GH : HV,$$

sive etiam

$$y : x = x : HV,$$

igitur $x^2 = y \cdot HV$, sive $\frac{1}{3}(a - y)y = y \cdot HV$, unde

$$HV = \frac{1}{3}(a - y) = \frac{1}{3} HB.$$

Si porro $BR = \frac{1}{3} BC = \frac{1}{3} b$, et RW ad VC parallela est, erit $HV = VW = WB = \frac{1}{3}(a - y)$.

Deinde triangula VGH et WRB similia ducunt ad hanc proportionem GH : HV = WB : BR sive :

$$x : \tfrac{1}{3}(a - y) = \tfrac{1}{3}(a - y) : \tfrac{1}{3} b,$$

itaque

$$AH : GH = GH : HV = HV : BR.$$

Ex his perspicuum est, lineas GH et HV esse binas medias proportionales inter AH et BR.

§ XXVIII.

Cum pro ordinata HG (fig. VII), ovale in puncto G tangente, sit $3x^2 = ay - y^2$ sequitur esse $x = \sqrt{\left[\frac{1}{3}(ay - y^2)\right]}$; quodsi jam ponamus abscissam $y > a$, erit $\frac{1}{3}(ay - y^2)$ quantitas negativa, proinde $\sqrt{\left(\frac{1}{3}(ay - y^2)\right)}$ quantitas imaginaria; non datur igitur tangens ad partem curvae ovalem si $y > a$; hoc itaque ovale lineam BC excedere non potest.

§ XXIX.

Invenimus supra (§ XXVI) esse pro ordinata, ovale tangente,

$$y = a - \tfrac{3}{2}\sqrt[3]{\left[b^2(a-c)\right]} - \tfrac{3}{2}\sqrt[3]{\left[b^2(a+c)\right]},$$

et § praecedente $x = \sqrt{\left[\tfrac{1}{3}(ay - y^2)\right]}$;
ponamus in priori aequatione $b = o$, tunc erit $y = a$, et proinde valores quantitatum y et x pro circulo valent, cujus diameter $x = o$; hi autem simulque axis abscissarum est a. In talem circulum curvam nostram pro $b = o$ abire, jam ex praecedentibus constat (cfr. §§ XVI et XIX).

Deinde ponamus $a = o$, tunc erit $c = b$; unde

$$y = -\tfrac{3}{2}\sqrt[3]{-b^3} - \tfrac{3}{2}\sqrt[3]{b^3} = \tfrac{3}{2}b - \tfrac{3}{2}b = o,$$

igitur $y = o$, et proinde etiam $x = o$; pars igitur ovalis pro $a = o$ evanescit et in cuspidem abit, quod item jam ex praecedentibus constat (cfr. §§ XV et XIX).

§ XXX.

Cum pro ordinata x, ovalem curvae partem tangente, sit

$$y = a - \tfrac{3}{2}\sqrt[3]{\left[b^2(a-c)\right]} - \tfrac{3}{2}\sqrt[3]{\left[b^2(a+c)\right]}$$

sequitur, ordinatam x non nisi *unum* valorem realem habere, quando abscissa y valorem

$$a - \tfrac{3}{2}\sqrt[3]{\left[b^2(a-c)\right]} - \tfrac{3}{2}\sqrt[3]{\left[b^2(a+c)\right]}$$

excedat, quamdiu autem y hoc valore minor sit, tamdiu x tres valores reales habere (cfr § XXV).

§ XXXI.

Pars curvae clausa comprehenditur omnino rectangulo HE (fig. VII), cujus basis est

$$AH = y = a - \tfrac{3}{2}\sqrt[3]{\left[b^2(a-c)\right]} - \tfrac{3}{2}\sqrt[3]{\left[b^2(a+c)\right]}$$

et cujus altitudo $= AE = -\tfrac{1}{2}b + \tfrac{1}{2}c$ (§ XVIII); aequatio igitur hujus rectanguli erit:

$$y\left(-\tfrac{1}{2}b+\tfrac{1}{2}c\right) = HE = -\tfrac{1}{2}ab + \tfrac{1}{2}ac + \tfrac{3}{4}b\sqrt[3]{\left[b^2(a-c)\right]}$$
$$-\tfrac{3}{4}c\sqrt[3]{\left[b^2(a-c)\right]} + \tfrac{3}{4}b\sqrt[3]{\left[b^2(a+c)\right]} - \tfrac{3}{4}c\sqrt[3]{\left[b^2(a+c)\right]}$$
$$= (b-c) - \tfrac{1}{2}a + (b-c)\tfrac{3}{4}\sqrt[3]{\left[b^2(a-c)\right]} + (b-c)\tfrac{3}{4}\sqrt[3]{\left[b^2(a+c)\right]}$$
$$= (b-c)\left[-\tfrac{1}{2}a + \tfrac{3}{4}\sqrt[3]{b^2(a-)} + \tfrac{3}{4}\sqrt[3]{b^2(a+c)}\right].$$

Quodsi ponamus $a = o$, (in quo casu $c = b$ evadit), erit etiam HE $= o$, quod necessarium est, quia, ut in praecedentibus vidimus, ovalis curvae pars evanescit; si vero ponamus $b = o$, (in quo casu $c = a$), obtinebimus HE $= \tfrac{1}{2}a^2$, quod iterum necessarium est, quia tunc idem ovale in semicirculum abit, qui dimidia parte quadrati diametri a comprehenditur.

DA est asymptotus rami AKf (fig. I), qui cum inde ex A versus DA concavus sit, necessario versus eandam convexus fieri debet. Habet igitur, forte non procul a puncto f, punctum inflexionis, quod calculo differentiali, sed non sine maximo labore, inveniri potest. Cum praeterea invento hoc puncto conversionis nihil insigne consequamur, in ipso determinando hic nullam operam ponemus.

CAPUT II.

DE USU CURVAE NOSTRAE.

§ XXXII.

Usum curvae, cujus naturam hucusque investigavimus, triplicem exponemus. Ejus enim ope primo *Problema Deliacum*, quod vocant, de cubi duplicatione solvi, deinde *quaelibet aequatio tertii gradus*, in qua secundum membrum non adest, *construi*; et *angulus* denique *obliquis trisecari* potest.

§ XXXIII.

Problema de cubi duplicatione jam apud Antiquos adeo nobilitatum fuisse constat, ut omnibus temporibus summi viri in eo solvendo ingenium suum exercuerint. — Vid. *Nic. Th. Reimer*, Historia problematis de Cubi Duplicatione etc. Gottingae 1798. — *Montucla*, Histoire des recherches sur la quadrature du cercle avec une addition concernant les problèmes de la duplication du cube et de la trisection de l'angle. Paris 1754. — *Kluegels* Mathematisches Woerterbuch, t. I, p. 721 sqq. *Cf. Mathias* Erlaeuterungen t. II, p. 168 sq. Partheno-

poli 1814 — 1815. Qui hoc problema jam antiquitus diversis modis solvere conati sunt, eos laudavit *F. J. Goebel*, Elementis Geometriae, § 407.

§ XXXIV.

Problema de Cubi duplicatione ab Hippocrate Chio ad aliud reductum est, nempe ad illud de inveniendis duabus mediis proportionalibus inter duas rectas datas (Vid. *Reimer* de Cubi duplicat. p. 22). Si enim inter duas rectas A et B duae mediae proportionales sunt p et q ita ut sit:

$$A : p = p : q = q : B,$$

erit $q = \frac{p^2}{A}$, unde $q^2 = \frac{p^4}{A^2}$; deinde etiam $q^2 = pB$, unde $\frac{p^4}{A^2} = pB$, et $p^3 = A^2B$: Si igitur ponamus $B = 2A$ erit $p^3 = 2A^3$. Hinc sequitur: Si A est acies cubi cujusdam et inter A et 2A duae mediae proportionales p et q inventae sunt, prior harum proportionalium, p, erit acies cubi, cujus volumen duplex est voluminis cubi aciei A; erit nimirum $p^3 = 2A^3$.

§ XXXV.

Sint duae rectae AB et BC (fig. I), inter quas duae mediae proportionales inveniendae sint.

Primo perpendiculariter sibi in extremitatibus suis insistant AB et BC, deinde sit $AB = a$, $BC = b$, et ex § I descri-

batur curva; producatur BC inde ex B usque ad intersectionem curvae in puncto S, postremo determinetur punctum S constructione § I, ita ut ASU et SUC sint anguli recti; tunc erunt BS et BU mediae proportionales quaesitae inter AB et BC. Nam habemus:

$$AB : BS = BS : BU,$$

et

$$BS : BU = BU : BC,$$

igitur

$$AB : BS = BS : BU = BU : BC.$$

§ XXXVI.

Est itaque (ex § XXXIV) $\overline{BS}^3 = \overline{AB}^2 . BC$, et si $BC = 2AB$, erit $\overline{BS}^3 = 2\overline{AB}^3$. Si igitur cubus aciei A duplicandus sit, sumemus $A = a$, et $2A = b$; tum ex § I describemus curvam nostram, et producemus b usque ad intersectionem curvae. Sic obtinebimus ordinatam pro abscissa $= a$, quae ordinata est acies duplicis cubi. *Sic vero Problema Deliacum ope curvae nostrae solutum est.*

§ XXXVII.

Hoc idem, sine praevia inventione duarum mediarum proportionalium inter a et b, ex ipsa aequatione curvae erui potest. Fuit nimirum § II

$$x^3 + xy^2 - axy - by^2 = o;$$

ponamus in hac aequatione $y = a$, tunc habebimus

$$x^3 + a^2x - a^2x - ba^2 = o,$$

inde $x^3 = ba^2$, et posito $b = 2a$, erit $x^3 = 2a^3$, hac autem ratione problema deliacum solutum est.

Vix nobis monendum est, si ponamus $b = 3a$, nos obtinere $x^3 = 3a^3$, et pro $b = Na$ etiam $x^3 = Na^3$, sicque cubum triplicari, quadruplicari aut ad libitum multiplicari posse.

Cum vero, etiam pro $b = \frac{1}{2} a$ prodit $x^3 = \frac{1}{2} a^3$, et pro $b = \frac{1}{N} a$ etiam $x^3 = \frac{1}{N} a^3$, sequitur cubum eodem modo numero quolibet imminui posse.

§ XXXVIII.

Problemate duplicandi cubi soluto ad aequationis cubicae constructionem geometricam transeamus.

Aequationem geometrice construere nihil aliud est, nisi radices ejus lineis rectis repraesentare, sive lineas rectas invenire, quarum quantitates ratione alicujus unitatis linearis, aequivalent aequationis radicibus.

§ XXXIX.

Antequam ad constructionem aequationum ope curvae nostrae nos accingamus, haec in antecessum esse monenda

videntur. Vidimus ovalem curvae partem in ea parte lineae YY′ esse, in qua parte est linea b.

Hanc partem habuimus negativam, et proinde ordinatas, quae ad ovale pertinent, ordinatas negativas; quia vero in hac eadem parte b nobis fuit quantitas positiva, sequitur, si imposterum obtineamus $-b$, tunc b cum ovali in partem positivam lineae YY′ cadere, et ordinatas ad ipsum ovale pertinentes esse positivas.

§ XL.

Ut aequatio tertii gradus ope curvae nostrae construi possit, necesse est, ut secunda dignitas quantitatis incognitae in ea non adsit; nam ejusmodi aequatio reducenda est ad aequationem (1), quam § II pro curva invenimus, et in qua similiter secundum membrum deest. Haec autem sic quoque exprimi potest,

$$x^3 - (ay - y^2)\,x - by^2 = o,$$

et sic construendae aequationi cubicae potissimum inserviet.

Jam detur aequatio:

$$x^3 - 31x - 30 = o.$$

Quodsi hanc aequationem ad aequationem curvae reducere velimus, erit

$$ay - y^2 = 31, \text{ et } by^2 = 30; \text{ igitur } a = \frac{31 + y^2}{y}, \text{ et } b = \frac{30}{y^2},$$

atque si accipimus $y = 2$, erit $a = 17\frac{1}{2}$ et $b = 7\frac{1}{2}$; sit itaque AB $= a = 17\frac{1}{2}$, et BC $= b = 7\frac{1}{2}$ (fig. III). Cum his lineis describamus curvam, qua descripta sumamus AD $= y = 2$, et per punctum D ducamus GF perpendicularem ad AB, qua perpendiculari curva in punctis G, E et F intersecatur; sic vero habemus GD, DE et DF tres radices aequationis datae, quarum prima positiva $= +6$; secunda et tertia negativae sunt, $= -1$ et -5.

Proponitur aequatio:

$$x^3 - 52x + 96 = o.$$

Hic est $ay - y^2 = 52$, $-by^2 = 96$, sive $by^2 = -96$, unde $\frac{52 + y^2}{y} = a$, et $b = -\frac{96}{y^2}$; posito $y = 4$, erit $a = 17$, et $b = -6$. Sit itaque AB $= a = 17$, BC $= b = -6$ (fig. III), et describatur curva; tum vero sumpto AD $= y = 4$ per punctum D ducatur perpendicularis GF ad AB, quae curvam in punctis G, E et F transgreditur, sic obtinemus DF, DE et DG radices aequationis datae; binae priores DF $= 6$ et DE $= 2$ positivae sunt, quia pro negativo b ordinatae ad partem ovalem positivae sunt (§ XXXIX); DG vero negativa $= -8$.

Data sit aequatio:

$$x^3 - 27x - 54 = o$$

In ea habentur, $ay - y^2 = 27$, et $by^2 = 54$; itaque pro $y = 3$ est $a = 12$, et $b = 6$; si igitur AB $= a = 12$, et BC $= b = 6$ (fig. IV), curva describitur, et deinde, sumto AD $= y = 3$, recta FE sub angulis rectis cum AB per pun-

ctum D ducitur, quae recta FE ovale in E tangit et ramum AFG in puncto F intersecat; habebimus binas aequales radices negativas, DE = DE = — 3, et tertiam positivam DF = 6.

Quodsi perpendicularis FE curvam non nisi in uno puncto intersecaret, aequatio data unam tantum radicem realem haberet, quae res clarius intelligetur data aequatione

$$x^3 - 24x - 72 = 0,$$

ubi est $ay - y^2 = 24$, et $by^2 = 72$, igitur pro $y = 4$, erit $a = 10$, et $b = 4\frac{1}{2}$.

Si igitur AB $= a = 10$, BC $= b = 4\frac{1}{2}$ (fig. VII), et descripta curva, AK = 4 sumitur; perpendicularis IKZ curvam non nisi in puncto I intersecat, et obtinemus unam aequationis datae radicem realem positivam IK $= b$, binae vero reliquae $x = -(3 - \sqrt{-3})$, et $x = -(3 + \sqrt{-3})$ negativae et imaginariae sunt.

Similiter in data aequatione

$$x^3 + 15x + 72 = 0$$

est $ay - y^2 = -15$ et $by^2 = -72$: unde acquiruntur $a = \dfrac{-15 + y^2}{y}$, $b = -\dfrac{72}{y^2}$, et pro $y = 6$ erit $a = 3\frac{1}{2}$, atque $b = -2$; si igitur pro AB $= a = 3\frac{1}{2}$ et BC $= b = -2$ (fig. V) curva describitur, et, sumpto AD $= y = 6$, per D perpendicularis EZ ducitur, obtinemus unam radicem realem negativam DE = — 3, binae

6*

autem reliquae $x = \frac{3}{2} + \sqrt{-21,75}$, et $x = \frac{3}{2} - \sqrt{-21,75}$ imaginariae sunt.

Hac aequationum construendarum ratione obtinetur etiam valor integer radicum irrationalium, quam rem addito uno tantummodo exemplo monstrabimus.

Detur itaque aequatio :

$$x^3 - 30x - 36 = o;$$

tunc est $ay - y^2 = 30$, et $by^2 = 36$, unde, pro $y = 6$, prodeunt $a = 11$, et $b = 1$.

Si itaque $AB = a = 11$, $BC = b = 1$ (fig. VI), deinde curva descripta sumitur $AD = 6$; tunc acta per D perpendicularis GF curvam in punctis G, E et F intersecat, quo obtinemus primo radicem positivam $DG = 6$, et deinde duas radices negativas irrationales, $DE = -(3 - \sqrt{3})$, et $DF = -(3 + \sqrt{3})$.

Sic ope curvae nostrae quamlibet aequationem tertii gradus, in qua secundum membrum deest, construi posse intelligitur. Si vero secundum membrum non desit, hoc, antequam aequatio construi potest, eliminandum erit.

§ XLI.

Perventum est denique ad anguli obliqui trisectionem.

Geometriae elementis angulum quemlibet bisecare, et an-

gulum rectum etiam trisecare possumus; trisectio autem anguli cujuslibet utrum iisdem elementis Geometriae perfici possit, nos saltem adhuc ignoramus : eam vero sectionibus conicis et conchoïde in Geometria sublimiori facile fieri, vix quisquam erit, quin meminerit.

Hoc loco igitur nobis quoque monstrandum est, quomodo ope curvae nostrae angulus quilibet trisecari possit.

§ XLII.

Datus igitur sit angulus DBF trisecandus. Ex vertice B radio BF $=$ 1 describamus arcum circularem (fig. VIII). Sit DG perpendiculum ad BF, tunc erit DG $=$ sin. DBF $= m$, aut DG $= m =$ sin. arc. DHF. Jam ponamus esse arcum FI $=$ $\frac{1}{3}$ DHF, tunc erit IK $= x =$ sin. $\frac{1}{3}$ DHF $=$ sin. arc. IF; arcus DHF autem $=$ 3 arc. IF, et sin. DHF $=$ sin. 3arc. IF.

Jam vero pro radio $=$ 1 est sin. $2a = 2$ sin a cos. a; cos. $2a$ $=$ cos.^{2} a — sin.^{2} a; sin. $(a + b) =$ sin. a cos. b $+$ cos. a sin. b, igitur sin. $(2a+b) = 2$ sin. a cos. a cos. b $+$ (cos^2 a — sin^2 a) sin b, et posito $b = a$ erit sin. $3a = 2$ sin. a cos.^{2} a $+$ cos.^{2} a sin. a — sin.^{3} a; cum vero cos.^{2} $a = 1$ — sin.^{2} a, sequitur sin. $3a = 2$ sin. a — 2 sin.$^3 a$ $+$ sin. a — sin.$^3 a$ — sin.$^3 a$, sive sin. $3a = 3$ sin. a — 4 sin. $^3 a$. Sic similiter erit : sin. 3IF $=$ sin. DHF $= m =$ 3 sin. IF — 4 sin.^{3} IF.

Et cum sin. IF $=$ IK $= x$, erit $m = 3x - 4x^3$, igitur

$$x^3 - \frac{3}{4}x + \frac{1}{4}m = o.$$

Quodsi hanc aequationem cum aequatione curvae nostrae $x^3 + xy^2 - axy - by^2 = o$, sive $x^3 - (ay - y^2)x - by^2 = o$ comparaverimus, erit $ay - y^2 = \frac{3}{4}$, et $by^2 = -\frac{1}{4}m$, igitur $a = \dfrac{3}{4y} + y$, et $b = -\dfrac{m}{4y^2}$; sumpto jam $y = \frac{1}{2}$, erit $a = 2$, et $b = -m$. Nunc vero construamus aequationem $x^3 - \frac{3}{4}x + \frac{1}{4}m = o$ perinde ac § XL fecimus : producamus nimirum BF inde ex F ita ut AF $=$ BF, tunc erit AB $= a = 2$; ex B erigamus perpendicularem BC $= b = -m$; his ita constitutis describamus curvam nostram AMNO, et sumptis AL $= y = \frac{1}{2}$, AF $= \frac{1}{2}$, per punctum L agamus perpendicularem NO, quo obtinebimus tres valores pro quantitate x, nempe LM, LN et LO. Ut autem intelligamus, quid sibi hi tres diversi valores velint, haec consideremus : Sinus arcus cujusdam DHF $= s$ quatuor arcuum sinus est. Posita semiperipheria $= p$, hi quatuor arcus ejusdem sinus m erunt, s, $p - s$, $p + s$, et $2p - s$. Hinc necessario sequitur, sin $\frac{1}{3}s = x$ hos quatuor valores habere posse : sin. $\frac{1}{3}s$, sin $\frac{1}{3}(p - s)$, sin $\frac{1}{3}(p + s)$, et sin $\frac{1}{3}(2p - s)$; arcus autem $\frac{1}{3}(2p - s)$ supplementum est arcus $\frac{1}{3}(p + s)$, nam $\frac{1}{3}(p + s) + \frac{1}{3}(2p - s) = p$; igitur hi duo eundem habent sinum; unde sequitur valorem sin. $\frac{1}{3}(2p - s)$ eundem esse ac valorem sin. $\frac{1}{3}(p + s)$, et proinde non nisi tres diversos valores dari. Hos constructione nostra obtinuimus, LM $=$ sin $\frac{1}{3}$DHF, LN $=$ sin $\frac{1}{3}(p -$ DHF$)$, et LO $=$ sin $\frac{1}{3}(p +$ DHF$)$.

Hunc valorem postremum hic negativum obtinuimus, licet $\frac{1}{3}(p + DHF)$ semper minor sit quam p, et proinde sinum habeat positivum; sed hoc nihil facit ad rem, cum hîc tantummodo de quantitate lineari sinus, neque vero de natura ejus positiva aut negativa quaeratur.

Nunc denique per puncta M, N et O agamus cum AB parallelas, quae arcum circularem in punctis I, H et P intersecabunt; demittamus ex his punctis ad AB perpendicula IK, HQ et PR, tunc habebimus $IK = LM = \sin. \frac{1}{3} DHF$, igitur $IF = \frac{1}{3} DHF$ et angulus $IBF = \frac{1}{3} DBF$, itaque *angulus* DBF *trisectus est.* Porro habebimus $HQ = \sin \frac{1}{3} (p - DHF) = \sin \frac{1}{3} (2R - DBF)$; proinde $HIF = \frac{1}{3} (p - DHF)$, et angulus $HBF = \frac{1}{3} (2R - DBF)$, id est, HBF tertia pars erit supplementi anguli DBF, similiter denique angulus $FBP = \frac{1}{3} (2R + DBF)$, et angulus $FBS = \frac{1}{3} (4R - DBF)$.

Si itaque angulus HBI (fig. III) fuerit trisecandus, describamus ex B radio $BI = 1$ arcum circularem, producamus BI ex I ita, ut sit $AB = 2BI = 2 = a$; in B erigamus perpendiculum $BC = - \sin. HBI = - HK = b$, tunc describamus curvam, et, sumpto $AL = \frac{1}{2} AI = \frac{1}{2}$, per punctum L agamus perpendicularem NP, quae curvam in punctis M, N et P intersecat. Ducta jam per M parallela cum AB, obtinebimus $IO = \frac{1}{3} HOI$, et angulus $OBI = \frac{1}{3} HBI$, sic vero *problema trisectionis anguli solutum est.*

Cum hic forte angulus HBI sit 45°, cujus supplementum


$= 135°$, et tertia pars supplementi iterum $45°$, necesse est, ut ducta per N parallela NH arcum circularem in H intersecet, ut sit angulus HBI $= \frac{1}{3}(2R - HBI) = \frac{1}{3}(180° - 45°) = 45°$.

Ex iis, quae modo disputata sunt, colligimus: si angulus obtusus nobis fuerit trisecandus, tunc trisecto ejus supplemento acuto, adhibeamus secundum valorem pro x loco primi valoris; et obtinebimus sinum tertiae partis anguli obtusi, ideoque ipsam tertiam partem ipsius anguli obtusi. Si autem trisecandus esset arcus dimidia peripheria major; tunc subtracta ab ipso semiperipheria residuum trisecaremus, et adhibito tertio valore quantitatis x facile inveniremus tertiam partem hujus arcus. Cum vero tertio valori quantitatis x duo arcus respondeant, ut (fig. VIII) arc. FP et arc. FPS, prior sumendus erit, quando arcus trisecandus erat $= p + s$, posterior vero, quando arcus erat $= 2p - s$, p nimirum semiperipheriam et s arcum minorem quam $90°$ significantibus.

HAEC VERO HACTENUS.

Tabl. I.

Tabl. II.



X.

JOANNIS DEVYVER

RESPONSUM

AD QUÆSTIONEM PHYSICAM.

JOANNIS DEVYVER,

BIERBEECCENSIS,

MEDICINÆ IN ACADEMIA LOVANIENSI CANDIDATI

RESPONSUM

AD QUÆSTIONEM AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM PROPOSITAM :

Exponantur anomaliae, quae in phaenomenis hydrostaticis occurrunt, earumque causa explanetur.

QUOD PROEMIO ORNATUM EST.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.
VIRG. GEORG. lib. 2. v. 490.

INTRODUCTIO.

DE HYDROSTATICA IN GENERE.

Hydrostatica est scientia, quae agit de aequilibrio liquidorum tam inter se quam cum solidis iisdem immersis, aut liquidum sustinentibus.

Quamquam in tellure occurrant diversa et numero fere infinito liquida; attamen si excipiamus hydrargyrum, olea, alcohol, et aetherem, caetera liquiditatem debent aquae et inter se non variant nisi per materias in aqua solutas vel suspensas; interim liquida omnia proprietates habent communes non minus admirandas quam ad naturae conservationem necessarias. Quotidiana naturae phaenomena in aqua manifestant summam et vix comprehensibilem molecularum inter se mobilitatem et simul omnium particularum cohaesionem; duas igitur qualitates, quarum una alteram excludere videretur, sine quibus tamen oeconomia naturae non persisteret.

Sine cohaesione aqua rivulorum, fluminum, lacuum, etc. flante vento, ut acervus cinerum dispergeretur et aquarum incolae in sicco haererent; et quis enumerare posset strages producendas furente tempestate?

Sine summa molecularum mobilitate respectiva, flumina cursum sisterent et naves in medio mari immotae haererent : aqua ex atmosphaera decidua accumularetur et accumulata non difflueret ex loco sui descensus.

Binas has proprietates tertia concomitatur; nonobstante magna illa molecularum lubricitate et debili cohaesione liquida vix ulla vi mechanica sunt sensibiliter compressibilia : si perpendamus copiosam calorici in aqua latentis quantitatem, quae summae est utilitatis ad moderandam atmospherae temperaturam transitu ex uno statu aggregationis in alium et supponamus aquam bene compressibilem, concipiuntur detrimenta quae producerentur per elevationem temperaturae in obstaculis, in quae undae maris aut fluctus fluminum sine interruptione illiduntur sicut et in corporibus, quae continuo in aquam impelluntur; ipsa pluvia noceret regno vegetabili et animali per elevationem temperaturae ex guttularum delabentium conflictu, et pariter aqua eo densior esset, quo a libella esset longius remota, unde libertas motus ejusdem sursum et deorsum prohiberetur.

Ex his proprietatibus, quas liquida habent sibi proprias ac gravitate et impenetrabilitate, quas habent cum omni materia sensibili communes, consequuntur tam hydraulicae quam hydrostaticae leges.

Verum tamen quemadmodum praedictas proprietates sola observatione cognoscimus siquidem nemini datum sit deter-

minare in liquidis poros, numerum, formam, volumen, situm aut vires particularum, sic quoque ad explorandas liquidorum leges quascumque recurrere oportet ad experientiam, qua sola in physicis et praesertim in hydrostaticis tuto ducimur.

Phaenomena quotidiana docent massam liquidi non prius quiescere quam superficies ejus situm habeat horizontalem.

Concipimus libellam hanc esse sequelam gravitatis, quae in singulas liquidi moleculas agit, et magnae molecularum volubilitatis.

In figura in vase ABCD, AFB repraesentet montem aqueum: actio gravitatis obliqua erit ad superficiem montis, et moleculae elevatiores in F vi suae gravitatis relativae nituntur decendere per plana inclinata versus A et B; et cum facta abstractione a debili vi, quae in minimis massis guttulas efformat, contra hunc nisum nihil reagat, ille descensus perdurare debet donec nulla pars superficiei super alias emineat, hoc est donec AFB situm habeat horizontalem; tunc omnia quiescunt, quia quaelibet superficiei molecula perpendiculariter pressa in eodem plano, aequali vi situm suum tuetur.

Hinc superficies aquae, tempore aequilibrii, cum directione gravium libere labentium angulos rectos constituit.

Secundum hanc legem superficies maris si praeter gravitatem nulla alia vis in illud ageret, perfecte sphaerica foret; sed ob motum vertiginis terrae assumit formam sphaeroidalem, similem illi quae terrae competit.

Quemadmodum directiones gravitatis in exigua parte superficiei terrestris ut inter se parallelae considerantur sic etiam superficies aquae tranquillae non multum extensa potest censeri plana, quod obtinet in omni casu quo liquidum vasi inclusum est, ut experientia confirmat.

Liquida quae reperiuntur in tubis communicantibus tunc solummodo sunt inter se in aequilibrio, dum eorum superficies A, BC, DE sunt in eodem plano horizontali; haec lex sequitur ex praecedenti; ipsi enim tubi communicantes considerari possunt ut partes majoris vasis in quo omnia sunt in aequilibrio et quiescunt, si superficies liquidi AE sit in eodem plano horizontali. Parietes firmae tuborum nullam inducunt mutationem; per se etenim non agunt et sunt mere passivae atque non nisi effluxum lateralem impediunt : unde sequitur columnam aquae in tubo coarctato aequilibrium sustinere posse cum columna in tubo latiori, quamvis pondera absoluta maxime differant, nec mirum; nam si libella BC ad determinatam altitudinem ascendat vel descendat, libella in A debet percurrere altitudinem eo majorem, quo sectio horizontalis tubi A minor est sectione tubi BC; unde pro aequilibrio liquidorum in tubis communicantibus obtinet lex analoga illi, quae habetur pro aequilibrio virium in machinas simplices agentium.

Praedicta ratio affertur a plurimis; sed vera potius reperitur in eo, quod in tubis communicantibus liquida in se mutuo agere nequeant, nisi per eamdem basim; actio autem liquidi

homogenii proportionata est producto basis per altitudinem, ut experientia docet; ergo pro aequilibrio, si bases sint aequales, requiruntur etiam altitudines aequales. Variae sunt hujus legis applicationes, ex. gr., in aquarum derivationibus; si tubus unus brevior altero fuerit, altiorique perpetuus aquae rivus suppeditetur, humilior ille perennem effluentis aquae fontem dabit.

Auxilio tuborum communicantium per varios etiam montium valliumque tortuosos anfractus e monte uno ad alium aqua deduci potest, si modo tubi extremum aquas perennes e scaturigine hauriens, altius aliquantum emineat supra horizontem quam mons ille ad quem aquam traducere intendimus, altiusque omnibus collium verticibus per quos forte tubum duci opportebit. Hinc etiam usus tuborum communicantium in libellatione, in prelis etc.

Si in liquido quiescente concipiantur plura plana horizontalia, omnes moleculae in eodem plano sitae, aequaliter premuntur, nam omnes premuntur proprio pondere et pondere columnae ipsis directe incumbentis; sed hae columnae cum sint omnes perpendiculares inter duo plana horizontalia, sunt omnes aequales, itaque habent aequale pondus, et quaelibet aequaliter premit moleculam sibi verticaliter subjectam.

Ista pressio non solummodo propagatur in directionem gravitatis, sed in omnes omnino directiones; nihil enim certius in liquidis cognoscitur quam summa molecularum lubri-

citas, qua fit ut molecula in unam directionem pressa, eadem qua premitur vi, nitatur in omnem directionem huic pressioni se substrahere; premit ergo in omnem directionem et ut quiescat, requiritur ex omni directione reactio aequalis et opposita; unde liquidum lateribus vasis in quo continetur apprimitur, nec prius quiescit, quam ab iis quoque resistentiam pressioni verticali aequalem sentiat. Inde est quod fluidum assumat formam vasis in quo reperitur et si in latere vasis foramen inveniat, eo majori celeritate per illud exsiliat, quo foramen profundius infra libellam liquidi situm est; nominatim autem celeritates hae sunt inter se sicut radices quadratae ex altitudine fluidi eminentis supra centrum gravitatis aperturae.

In quocumque igitur puncto liquidi quiescentis pressiones versus omnes plagas, aequales sunt; si enim in una directione debiliores essent, in hanc motus oriretur et liquidum non quiesceret. Itaque in quocumque etiam plano sive majori, sive minori, quod in liquido ad libitum concipi potest, posito aequilibrio pressiones oppositae aequales sint oportet.

Qua vi particulae liquidi sese verticali ac laterali pressioni subducere conantur, eadem pariter sursum premunt, quod obvia docent phaenomena; si enim tubus utcumque incurvus, ABC (fig. 3), utraque extremitate apertus adpresso ad A pollice in aquam immergatur, haec ob resistentiam aëris tubum subire non poterit; sed amoto ex A pollice, illico in eum cum impetu irruet et in illo ad eamdem cum reliqua aqua altitudi-

nem ascendet. Iste aquae diversa directione in tubum ingressus pressionem ejus sursum et quacumque alia directione manifeste prodit.

Quaecumque etiam sit causa pressionis in liquidum, ista pressio ob eamdem rationem propagatur non solum in directione vis agentis sed in omnibus directionibus. Confirmatur mediante folle hydrostatico 'S Gravensande etc.

Pressio aquae in basim horizontalem vasis, cujuscumque hoc sit figurae, aequalis est producto basis pressae per altitudinem aquae superincumbentis, quod docet machina Paschalis.

Dum vas est aequabile (fig. 4.) quaelibet molecula suo pondere premit fundum horizontalem, hinc cuique evidens est fundum sustinere totum pondus aquae in illo contentae; si vas sit superne divergens (fig. 5.) in hoc imaginari possumus vas aequabile ABCD e fundo perpendiculariter assurgens; solum fluidum ABCD suo pondere efficaciter premit fundum DC, ita ut reliqua aqua ad pressionem in fundum nihil prorsus conferat; ea enim portatur a solis lateribus vasis; nam si ex. gr. molecula E quae in plano inclinato jacet, prolabi contendat, nititur amovere e loco suo moleculam F, quae aequali vi agit in E et huic resistit; deinde molecula inferior sublevanda foret quod implicat. Columnae laterales solummodo parietum vices adimplent, itaque fundus nihil aliter premitur, quam premeretur in vase aequabili ABCD.

Si vas sit superne convergens (fig. 6.) et aqua repletum,

particula M premitur ad fundum toto pondere fili MA, cui dum se substrahere conatur, agit in particulam vicinam K eamque una cum superincumbente filo KF levare nitetur tanta vi, quantum est pondus fili AM; sed latus vasis AD in F obstat; proinde punctum F sursum premitur vi aequali FG; punctum F eadem vi reagit; itaque filum FK cum vicino AM aequilibrium tenet et particula K agit in basin vî aequali ponderi columnae AM. Idem de aliis omnibus particulis fundo contiguis dicendum, unde omnes aquae particulae fundum allambentes tanta vi hunc premunt, quanta premit particula M, id est tanta quanta premerent si vas esset aequalibile SDCF. Idem de aliis quoque vasibus utcumque irregularibus dicere licet et generatim concludere in omni vase pressionem liquidi in basim horizontalem esse aequalem ponderi aquae cujus volumen aequat productum basis per altitudinem liquidi.

PRESSIO LIQUIDI IN CORPUS SOLIDUM EIDEM IMMERSUM.

(Fig. 7.) Si in aqua quiescente consideretur massa aquae A spatio geometrico circumscripta, clarum est, summam pressionum, quas aqua ambiens in massam A exercet producere pressionem sursum, exacte aequalem ponderi massae A; alias enim A non esset in statu aequilibrii.

Si jam massa aquae A ablata concipiatur et in spatio A

substitutum sit corpus solidum ejusdem formae et voluminis, singulum punctum superficiei ejusdem premetur eadem vi ab aqua ambiente, qua premebatur aqua cujus locum occupat.

In his circumstantiis corpus sollicitatur duabus viribus una quae agit sursum, et aequalis est ponderi aquae sub volumine corporis solidi; altera est pondus ipsius corporis quod directione opposita deorsum agit; inde si corpus liquido totaliter immersum habeat aequalem cum liquido gravitatem specificam, ubique haeret; si habeat majorem, fundum petit et labitur non quidem toto suo pondere, sed excessu sui ponderis supra pondus liquidi cujus locum occupat; si sit specifice levius, sursum attollitur excessu ponderis liquidi dislocati supra pondus corporis solidi. Et hoc ad libellam haeret dum est volumen partis immersae ad volumen totius corporis sicut gravitas specifica solidi ad gravitatem specificam corporis liquidi.

Hinc est quod construantur areometra duplicis speciei: vel pondere areometri manente eodem, volumen partis immersae ejusdem variat in diversis liquidis; vel parte immersa manente eadem, variat pondus areometri.

Quae praecedunt semper obtinent dum liquida afficiuntur sola gravitate aut gravitate simul et pressione externa; anomaliae autem exsurgunt dum solidum affinitate sua agit in liquidum.

VII.

Hae anomaliae constituunt classem numerosam phaenomenorum inter quae notabiliora sunt illa, quae in tubis capillaribus observantur : capillares dicuntur tubi omnes qui per tenuitatem diametri cum capillis similitudinem habent.

I. Si tubus capillaris utrimque apertus una extremitate in aquam immergatur, aqua intra tubum ascendit ultra libellam aquae extra tubum.

II. Ascendit eo altius quo minor est diameter tubi.

III. Nunquam ascendit ultra aperturam superiorem tubi, ita ut per hanc effluere posset utcumque etiam sit brevis pars tubi supra libellam.

IV. Si idem tubus in diversa liquida immergatur, omnia quidem ascendunt, sed ad altitudines diversas.

V. Si tubus in hydrargyrum demergatur, altitudo hydrargyri intra tubum minor est quam extra tubum, et eo minor, quo minor est diameter tubi.

Secundum relationem DE LALANDE (1) F. Aggiunti, qui 1635 obiit, phaenomena tubi capillaris primus observavit.

FABRI (2) et ex illo STURM (3) phoenomena 1, 2, 3 explicite recensent.

(1) *Dissert. sur la cause de l'élévation des liqueurs dans les tubes capillaires, Paris* 1770.
(2) Scient. Phys. tract. V. digress. I.
(3) Collegium curiosum Norimb. 1676. t. 1, tentam. 8.

Isaac Vossius (1) primus observavit hydrargyrum in tubo capillari infra libellam haerere et phaenomenon etiam sese prodere in tubis communicantibus si unum brachium sit capillare.

Borellus (2) advertit aquam citius et altius ascendere si tubus interne sit madidus.

L. Carré (3) vidit aquam non ascendere ultra libellam in tubo si interne sit pinguedine oblinitus, quamdiu pars oblinita non sit tota intra aquam depressa.

Bulfinger (4) asserit quantitatem aquae, quae ultra libellam ascendit, exacte aequalem esse guttae maximae quae exterius tubo adhaerere potest quin delabatur.

Gellert (5) invenit plumbum fusum in vitreis aut terreis tubis capillaribus infra libellam haerere.

De causa anomaliae in tubis capillaribus.

Hujus anomaliae causam varii auctores solertissimi tum antiquiores, tum recentiores studiosius inquisiverunt; sed vario modo interpretati sunt et perlongam de hoc subjecto litem

(1) De nili et aliorum fluminum origine, Hagae Com. 1666. cap. 2.
(2) De motionibus naturalibus a gravitate pendentibus, Lugd. Batav. 1686.
(3) *Mém. de.., Paris.* 1705.
(4) Dissert. de tubulis capillaribus in Comment. Petrop. l. II. p. 233.
(5) De phaenomenis plumbi fusi in tub. capill. in Com. Petrop. t. 12 p. 243.

moverunt, quas opiniones singulatim perscrutari opusculi nostri limites non concedunt.

Antiquiorum auctorum opiniones praecipuae ad tres classes referri possunt. Quarum prima comprehendit eas quae phaenomenon hoc pressioni inaequali fluidi ambientis tribuunt, concipientes in his tubis ob angustiam contineri aërem minus densum quam quidem in atmosphaera ambiente et idcirco aquam in vasculo, cui tubi immerguntur, plus premi a gravitate atmosphaerae quam quidem aqua quae cavitati tuborum respondet et ideo aquam in tubis ascendere quoniam minorem in iis reperit resistentiam.

Sic JAC. BERNOUILLI (1) dicit, moleculas aëris, ut globulos raro cum apertura tubi omnino congruere, et ita si diameter sex tales moleculas comprehendat, duas extremas sustentari ab ora tubi, ergo non nisi quatuor deorsum premere, inde pressionem aëris in tubo minorem esse pressione externa et liquidum in tubo altius propelli : nec minus ingenioso molimine HOOKE (2) hanc opinionem stabilire conatus est; phaenomena tamen eam plane prosternunt sicut et illam qua ascensus deducitur a minore pressione hypothetici cujuscumque subtilioris fluidi intra tubum quam extra eumdem; in vacuo etenim eadem phaenomena locum habent, quod plurimi auctores celeberrimi inter quos Mussenbroek V. Cl. solidissimis periculis demonstrarunt : hic nempe ad hoc cepit aquam,

(1) De gravitate aetheris Amstel. 1683. p. 289.
(2) In microg. Obs. 6.

quae sub recipiente Boyleano diu haeserat et probe depurata erat ab omni aëre : huic immisit perpendiculariter tubum vitreum capillarem novum utrimque apertum, et observavit altitudinem ad quam aqua ascendit; tunc eumdem tubum, aqua excussa, suspendit perpendiculariter ex filo mobili, et cum aqua ab aëre depurata inclusit recipienti vitreo, ita ut, quando libuerit, tubus aquae immitti vel ex ea tolli possit, tum ope antliae pneumaticae eduxit aërem ex recipiente tam accurate ac fieri potest; quo facto demisit tubum in aquam quae ascendit non ad minorem sed potius ad majorem altitudinem quam in aëre libero ascenderet.

Praeterea si vel aër quem respiramus vel aliud quodcumque fluidum subtilius majori pressione supra vasculum quam supra liquidum in tubo ageret, quaero an non effectus virtuti prementi proportionales esse debeant? Nemo hoc in dubium vocabit; an igitur non altissime premi deberent in tubo liquores levissimi, humillime gravissimi, et an non secundum legem hydrostaticam altitudines liquorum essent in ratione inversa gravitatum specificarum? Sed haec lex non obtinet in experimentis, et quare mercurius haereret infra libellam? Quae omnia demonstrant non posse invocari aërem aut fluidum subtilius ut causam praedictorum phaenomenorum.

Si quaedam pressio fluidi alicujus omnia praestaret phaenomena, quomodo tunc superficies liquidi in tubis fit concava aut convexa? Secundum leges praessionum aequalium superficies accurate horizonti parallela desideraretur, nec

possset unquam figura concava aut convexa ab aequabili pressione derivari.

Tandem evertitur opinio per aliud experimentum in quo tubus assumitur per quem oleum therebintinae vel olivarum transiit, quod tamen penitus postea excussum relinquit aperturam tubi patulam; ejusmodi tubus aquam non elevat, etiamsi huic immersus; cur aqua non ascendit si pressio externa in reliquam aquam major sit quam in eam quae cavo tubi respondet?

Ex dictis abunde patet pressionem nullius fluidi posse invocari ut causam ascensus liquidi in tubis capillaribus.

Alii putaverunt hanc causam subsistere in liquoribus et a viscositate ac tenacitate liquorum et proinde ab adhaesione eorum ad latera tubi ascensum hunc oriri, et asserunt liquidum in vase tubum ambiens fortius deorsum premere quam id quod in tubo continetur; hoc enim parietibus tubi adhaerens sua gravitate minus deorsum posse niti quam ambiens fluidum non adhaerens, hocque liberius gravitare atque ita majori pressione sursum propellere liquidum in tubo contentum; sed tum oleum raparum quod maxime adhaeret internis lateribus tubi ad maximam assurgere deberet altitudinem, oleum therebintinae ad majorem quam aqua; spiritus salis ammoniaci cum alcohole ad minimam; nam in ambobus non facile tenacitatem observabis (1). Alii vim fluida elevantem reponunt in majori densitate tubi quam est illa liquidi, ob quam

(1) Dicit MUSSENBROEK.

majori vi attraherent liquidum quam est attractio reciproca molecularum ejusdem; et propter eamdem causam, aiunt, mercurius in tubo infra libellam depressus haeret, quia seipsum majori vi attrahit quam a tubo attrahitur.

Si haec opinio subsisteret, liquida elevari deberent in ratione inversa densitatis eorum; atqui saepe contrarium obtinet: insuper liquida deberent haerere infra libellam in tubis, quorum densitas minor est densitate liquidi, sed contrarium quotidie locum habet; corpora enim porosa, quae spectanda sunt ut congeries tuborum capillarium, in suis poris admittunt et supra libellam liquida ipsis densiora elevant.

Excussis variis plus vel minus ingeniosis variorum auctorum theoriis de miris phaenomenis tubi capillaris, juvenilem meam opinionem proferam; quod priusquam aggrediar, precor ut liceat abstrahere ab exponendi modo recentiorum, quos quamvis summe venerer, et undique maxima veneratione dignos existimem, physicae studioso tamen minus consultum puto aliorum opinionibus caeco quasi modo obsequi, quam rerum naturam investigare et ex phaenomenis eruere sequelas, quae si non ad certam, tamen ad plausibilem quaestionis propositae solutionem conducere videntur.

Phaenomena docent:

I. Mutuam dari attractionem inter moleculas aquae, inde enim forma sphaerica quam assumunt guttae hujus liquidi;

inde velocitas qua plures guttae in massam communem confluunt dum ad mutuam viciniam adducuntur.

II. Aquam attrahi a vitro.

III. Vim qua vitrum attrahit aquam, majorem esse attractione reciproca quae reperitur inter moleculas aquae.

Si in aquam demergatur planum vitreum et dein extrahatur, observatur superficies ejus obducta moleculis aquae, quae reliqua aqua decurrente, elementis vitri adhaerent; sic mercurius vestigia sui in stanno, auro, argento et caeteris relinquit, si haec a contactu ipsius removeantur. Hae adhaesiones docent attractionem inter vitrum et aquam inter mercurium et stannum etc. majorem esse attractione inter moleculas homogeneas istorum liquidorum.

Praedicta tria principia unico etiam experimento clare demonstrantur. Si e catillo bilancis horizontaliter suspendatur discus vetreus, marmoreus aut metallicus, et stabilito aequilibrio discus adducatur ad contactum liquidi cujusdam, observatur adhaesio; nam a liquido separari nequit nisi aucto pondere in altero catillo : haec adhaesio non provenit a pressione aëris; in vacuo enim similiter obtinet; patet igitur moleculas solidi affinitate sua adhaerescere moleculis liquidi; sed quod notandum est : actio similis obtinet inter ipsas moleculas liquidi; si discus talis sit naturae ut per liquidum madefiat, quod obtinet si discus vitreus aquae vel spiritui vini imponatur; dum lente et pedetentim discus sublevatur,

discus secum rapit columnam liquidi usque ad certum gradum, et ut in isto gradu aequilibrium teneatur, adhiberi debet vis aequalis ponderi disci solidi et columnae sublevatae; si ultra istum gradum transeatur, columna liquidi rumpitur et tenuis lamina disco adhaeret; non igitur discus separatur a liquido sed tenuis illa lamina a liquido inferiori; vis autem ad separationem istius lamellae requisita omnino major est pondere ejusdem; non igitur per solam actionem gravitatis sed per actionem affinitatis moleculae liquidi cohaerent.

Disci quorum diametri sunt ut 1, 2, 3, requirunt pondera ut 1, 4, 9, quamvis minores disci vim aliquousque relative majorem exerceant.

Per calorem minuitur tam cohaesio quam adhaesio, nec eadem est ad omnes vitri varietates.

Haec attractio sicut affinitas non agit nisi in minimis distantiis; nam quantacumque sit disci crassitudo, si ejus natura aut superficiei ambitus non immutetur, vis ad separationem requisita eadem permanet; vis igitur illa effectum sensibilem producere nequit nisi in minimis distantiis. Quoniam hic liquidum separatur a liquido, constans est vis requisita ut laminae omnes quae per liquidum plene madefiunt et sunt ejusdem extensionis, sub eadem temperatura a liquido separentur.

Quamquam hae attractiones sicut affinitas sese non exten-

dant nisi ad distantiam imperceptibilem, et tamen intensitate differant; forsan quae majorem habet energiam sese etiam extendit ad majorem distantiam.

His positis inquiramus quid in phaenomenis tubi capillaris singulae harum attractionum sit tribuendum.

Primo « affinitas sive attractio inter moleculas liquidi nul-» lum potest producere motum » et quidem secundum naturae legem generalem « ubi datur actio, habetur reactio aequalis et opposita. » Si A trahat aut premat B, A aequaliter trahitur aut premitur a B, sed in directionem oppositam; equus qui ope funis trahit sarcinam, aequaliter trahitur a sarcina; eadem reciprocitas sine exceptione obtinet in omni actione quae in natura occurrit; magnes qui attrahit ferrum aequali vi attrahitur a ferro; terra attrahit lunam et attrahitur a luna. Haec est naturae lex universalis, quam Newton enuntiavit dicens, reactionem semper esse actioni aequalem et oppositam. Si duo corpora sese attrahant, producitur in singulo aequalis quantitas motus et nituntur ad se mutuo accedere celeritatibus, quae sunt in ratione inversa massarum; si ipsorum accessui opponitur obstaculum, hoc comprimunt; sed vi hujus attractionis nunquam aliam exercent pressionem, nunquam acquirunt motum communem sive in eamdem directionem.

Hanc legem Physici omnes unanimiter admittunt in corporibus solidis, cur non etiam obtineret in liquidis? An forsan quia particulae liquidi sunt inter se mobiles? Sed non minus

inter se mobiles sunt cymbae in aqua stagnante; attamen si mediante fune una attrahat aliam, ad se mutuo accedunt, sed nunquam acquirunt motum in directionem communem aut tendentiam ad ejusmodi motum. Planetae sunt omnes inter se maxime mobiles in spatio et omnes se mutuo attrahunt; per hanc tamen attractionem non acquirunt motum in directionem communem, nec tendentiam ad ejusmodi motum.

Moleculae liquidi considerari possunt ut corpora totalia, et si vis affinitatis non sit eadem cum vi gravitationis universalis, saltem agit inter moleculas liquidi modo analogo illi quo gravitatio agit inter maleculas universi; excipitur tamen distantia ad quam singula sensibiliter agit.

Per substractionem calorici liquidum transit in statum solidum, et quis concipiet, quomodo per hanc substractionem in solido producatur reactio actioni affinitatis aequalis et opposita si ante substractionem calorici nulla reactio reperiebatur in liquido?

Neque praedicta lex sola est quae in columna liquidi actionem attractionis deorsum excludit. Axioma generale est ab omnibus receptum « pondus aut corporis tendentiam versus « centrum terrae in eodem telluris loco massae semper pro- « portionalem esse ». Quomodo hoc subsistere posset, si massa liquidi manente eadem, per solam immutationem figurae pondus ejusdem nunc majus nunc minus fieret?

Nec difficile videtur experimento demonstrare per immu-

tationem figurae liquidorum nullam induci immutationem in pondere aut in tendentia eorumdem versus centrum terrae.

In uno catino bilancis ponatur vas continens mercurium et vasi lateraliter apponantur duodecim tubi capillares; in altero vas aqua repletum et huic apponantur alii duodecim tubi capillares; stabilito deinde aequilibrio duodecim priores immergantur mercurio, alii omnes aquae. In prioribus mercurius descendit infra libellam, in aliis aqua ascendit ultra libellam et aequilibrium non turbatur. Quomodo eliditur incrementum pressionis deorsum quod mercurius acquirit vi superficiei convexae et quomodo reparatur decrementum ponderis quod aqua patitur vi superficiei concavae, si hoc decrementum et incrementum per solam actionem mutuam molecularum in liquidis producantur.

Si vas ABCD (fig. 8) aqua plenum; sumatur molecula M in distantia a libella AB minori, quam est radius sphaerae attractionis sensibilis inter moleculas aquae, si infra moleculam M supponatur planum LK ita ut molecula M aequaliter distet a plano LK et a libella AB. Molecula M aequaliter sursum et deorsum attrahetur a liquido inter plana AB et LK contento; eadem enim quantitas liquidi utrimque reperitur et similiter locata, sed liquidum infra planum LK positum in distantia ab M quae radium sphaerae attractionis sensibilis non excedit, trahit M deorsum et haec etiam actio non eliditur. Quod de M verum est, dici debet de omni molecula sita in eodem plano ac M; sed quid inde?

Per istas attractiones deorsum, quae non eliduntur, concipitur nisus molecularum attrahentium et attractarum ad mutuum accessum proinde a libella usque ad distantiam radii attractionis particulas aquae tenacius cohaerere, quam si per aequalem attractionem sursum actio deorsum destrueretur; sic tamen ut a libella descendendo per radium sphaerae attractionis ille excessus cohaesionis successive decrescat et in distantia radii totus evanescat. Neque major illa cohaesio solum obtinet in libella horizontali, sed etiam in quacumque liquidi superficie libera; plura quidem per majorem hanc cohaesionem explicantur phaenomena ut quare acus aut tenuis lamella metallica aquae prudenter imposita supernatet.

Sed si reactio sit aequalis et opposita actioni nulla inde oriri potest tendentia deorsum in massa liquidi; qua enim vi inferior trahit deorsum, pari superior per reactionem trahit sursum et ex his actionibus oppositis nec motus nec tendentia ad motum in directionem communem produci potest.

Ergo vel nulla in liquido ab attractione mutua molecularum exoritur tendentia ad motum communem in directionem gravitatis vel falsum est axioma « ubi datur actio, semper datur reactio aequalis et opposita », falsum axioma « massam semper esse proposionalem ponderi ».

Adversariorum plerique invocant similitudinem cum pressione et dicunt, illa attractio qua liquidum superius ab inferiori trahitur deorsum, eumdem producere debet in tota massa

effectum ac si haec eadem vi deorsum premeretur : sed disparitas obvia est.

Corpus premens omnem suam vim et tendentiam deorsum habet independenter a pressione : per pressionem nullum acquirit motum in directionem pressionis, sed contra deperdit omnem motum quem corpori presso communicat; in pressione igitur etiam reactio aequalis est et opposita actioni, ubi contra corpus attrahens acquireret motum in directionem in quam trahit, per ipsam attractionem et motum quem ante attractionem non habebat; in universa rerum natura nullus assignari potest casus in quo effectus analogus observatur.

Si attractio mutua inter moleculas aquae nihil conferat ad ascensum aut descensum aquae in tubo capillari, inquiramus an et quomodo conferat ad hunc effectum attractio inter vitrum et aquam.

Per totam partem tubi capillaris quae aqua repleta est, vitrum etiam nihil confert ad ascensum aut descensum aquae.

Si consideretur liquidum tubi verticalis divisum in lamellas horizontales infinite multas, et planum inter extremitates lamellarum singularum, talis pars tubi quae reperitur inter duas lamellas sese subsequentes, nihil conferre potest ad ascensum aut descensum liquidi in tubo, cum illarum partium actiones sese elidant; sed pars tubi quae libellae liquidi superincumbit ipsam libellam sursum trahit et haec actio non eliditur per

actionem oppositam, quia supra hoc planum non datur liquidum in quod inferiores tubi partes agere possent.

Sit XY (fig. 9.) latus vasis aqua quiescente pleni usque ad libellam SU, consideretur columna verticalis liquidi cujus crassities sit aequalis radio vis attractivae vitri : supponatur tam latus vasis quam columnam aquae dividi per sectiones horizontales in laminas tenuissimas, B, C, D, E; ex B tamquam centro ducatur semicirculus cujus radius sit aequalis radio ad quem sese expandit attractio moleculae vitri B; idem fiat ex C, D, E etc.; si vis attractiva moleculae D non attingat libellam aquae, sed horizontaliter propagetur usque in H; D non attrahet moleculam F aut alias, quae sunt in plano horizontali DH sursum nec deorsum, quia centra gravitatis D et H et omnium illarum particularum sunt in eodem plano horizontali; sed H et caeterae attrahentur versus D, reliquae autem omnes moleculae, quae in hemisphaerio DH attrahentur oblique versus D; si haec attractio obliqua resolvatur in verticalem et horizontalem, facile videtur per verticalem sursum trahi omnes moleculas quae infra planum DH reperiuntur et deorsum quae sunt supra idem planum DH; sed hae superiores sunt inferioribus numero aequales et quaelibet molecula infra planum existens quae trahitur sursum, habet sibi oppositam supra planum quae eadem intensitate trahitur deorsum, itaque omnes attractiones verticales eliduntur et attractio moleculae vitri D nihil conferre potest ad ascensum aut descensum aquae in tubo.

Satis patet idem dicendum esse de molecula vitri E, et

de omni alia cujus distantia a libella major est radio attractionis vitri; ergo totus eo usque tubus motum verticalem in aqua producere nequit. Si objiciatur moleculam aquae M a particula vitri D trahi deorsum; hoc admittendum puto, sed D eadem intensitate trahit M sursum; illae igitur attractiones se mutuo elidunt et nullus inde motus verticalis oriri potest; remanent igitur moleculae quarum distantia a libella minor est radio attractionis vitri et insuper A et totus annulus vitri libellae incumbens.

A et omnes moleculae praedicti annuli sursum trahunt moleculas aquae quae in sphaera attractionis earumdem reperiuntur; pariter molecula vitri B et omnes moleculae quae sunt in ipsa libella : tandem omnes quae sunt infra libellam, sed in distantia minori radio attractionis, plus trahunt sursum quam deorsum, sed excessus eo minor est quo distantia a libella major est; illae attractiones per vitrum inferius nullatenus eliduntur.

Per praedictas attractiones horizontales, quae majores sunt illis quibus aqua per aquam attrahitur versus axim tubi, canaliculus aquae vitro adhaeret, et manet probabiliter immotus tam in ascensu quam in descensu columnae interioris, et cum nonobstante cohaesione molecularum aquae inter se aqua liberrime in aqua moveatur, sequitur liberum esse motum ascensus et descensus columnae interioris, idque non solum in tubo, sed etiam ad hujus orificium inferius aquae immersum; ibi etiam singula particula vitri, si trahat unam mo-

leculam sursum, aliam aequali vi trahit deorsum; unde non obsequendum puto opinioni DE LALANDE, qui in opere citato dicit. « Si aqua in vase quiescat, omnes illius columnae ver- » ticales habent aequale pondus et eamdem attractionem; » 1° tubus immersus partem similis columnae e loco suo de- » pellit et fortius attrahit quam pars depulsa; inde aqua quae » sub orificio reperitur, sursum attrahitur et aliquid de pon- » dere suo deperdit, itaque columna interna in tubo fit levior » et per aquam externam altius propellitur, donec pondus » aquae elevatae sit in aequilibrio cum attractione tubi. »

2° Pars inferior tubi, quousque sese extendit sphaera attractionis ejusdem moleculas adjacentes ad se attrahit, absque eo quod haec attractio ab aliis partibus vitri inferius positis elidatur.

3° Superficies aquae elevatae attrahitur sursum ab annulo vitri immediate ipsi incumbente; huic attractioni opponitur aequalis attractio vitri infra libellam deorsum, sed quae minuitur per mutuam molecularum aquae attractionem.

Si vis qua vitrum attrahit aquam dicatur G et mutua attractio molecularum aquae dicatur W, erit attractio totalis primae causae $= G - W$, secundae pariter $= G - W$; tertiae $= G - (G - W) = W$ et ita attractio totalis $= 2G - 2W + W = 2G - W$; inde aqua ascendere debet si attractio vitri major sit $\frac{1}{2}$ attractionis mutuae inter moleculas aquae, et insuper ut fluidum habeat superficiem horizontalem requiritur ut attractio inter tubum et fluidum faciat medietatem attractionis fluidi

ad fluidum; ut habeat superficiem concavam debet prior attractio major esse medietate posterioris; si illa minor sit medietate hujus, erit superficies liquidi convexa.

Nullam ex tribus his causis simpliciter, ut allegantur, admitto neque consectarium quod inde deducitur.

Quantum ad primam et secundam causam, dum tubus aquae immergitur, per pondus aquae externae aqua intra tubum propellitur ad libellam; jam autem in figura demonstratum opinor singulam moleculam tubi aqua pleni aquam superiorem deorsum trahere eadem energia qua attrahit inferiorem sursum, et pars infima tubi attrahit quidem sursum moleculas inferiores sibi vicinas, quae attractio non eliditur per partes vitri inferiores: tales enim non dantur, sed eliditur quia pars infima tubi trahit aquam in tubo contentam deorsum eadem vi qua trahit sursum aquam fimbria interiore inferiorem, unde istae causae motum sursum aut deorsum producere nequeunt.

Quoad tertiam causam annulum vitri libellae immediate subjectum nullam exserere actionem deorsum sed potius sursum in figura demonstratum est; unde concludo, ut aqua in tubo ultra libellam ascendat, annulum vitri huic immediate incumbentem, paulisper adjutum per annulum infra libellam vincere debere non solum pondus aquae elevandae; sed etiam vim qua libella ab aqua inferiori trahitur deorsum, itaque attractio vitri major sit oportet vi qua libella deorsum trahitur ab aqua, ut haec supra libellam ascendat.

Quod probari videtur, quia in tubo capillari nullum liqui-

dum ascendit ultra libellam nisi quod tubum madefacit; ut autem tubum madefaciat, necesse est attractionem vitri validiorem esse attractione molecularum liquidi inter se.

Quia si limbum interiorem tubi capillaris in laminam planam expansum concipiamus, simili laminae inferius adhaeret praecise tantum aquae quantum elevatur in tubo capillari ultra libellam.

Secundum opinionem De Lalande superficies horizontalis esse deberet, dum attractio vitri facit $\frac{1}{2}$ attractionis mutuae inter moleculas liquidi, quod experimentis contrarium asserit Parrot (1) qui dicit per superficiem unius pollicis quadrati attractionem aquae ad aquam = 55 *gr.*, attractionem aquae ad sebum purissimum = 50 *gr.*; haec proinde solummodo $\frac{1}{11}$ minor est illa; constat autem aquam in tubo qui interius sebo obductus est, habere situm fere horizontalem, et parum conconvexum, proinde analogum 50 : 55.

Secundum opinionem De Lalande deberet aqua habere superficiem circiter semi sphaerae cavae; pro superficie horizontali sebum ad aquam deberet habere attractionem circiter 27 $\frac{1}{2}$ *gr.* et pro superficie reali paulisper convexa 25 *gr.* Cum attractio aquae ad sebum solummodo $\frac{1}{11}$ minor sit attractione aquae ad aquam, in tubo qui interius sebo oblinitus est deberet aqua supra libellam alte assurgere, quod observationibus omnino contrarium est.

(1) *Grundris der theoretischen Physik* § 114.

Similiter convexitas mercurii in tubo vitreo non correspondet isti theoriae : sub superficie unius pollicis quadrati attractio mercurii ad mercurium facit 497 *gr.* et proinde medietas = 248, 5; sed attractio vitri ad mercurium = 220 *gr.* proinde $\frac{1}{2}$ illius solummodo 0, 13 hac major est et sic in tubo capillari superficies mercurii non nisi parum convexa esse deberet, constat autem convexitatem circiter aequalem esse $\frac{1}{2}$ radii tubi, ita PARROT.

Fautores istius theoriae omnes conveniunt, actionem inter moleculas solidi et illas liquidi determinare directionem primorum elementorum, istorum nempe quae sunt in contactu corporis solidi : ex hoc principio generatim admisso, theoriam omnium phaenomenorum capillaritatis deduco.

Sit MN (fig. 10) libella aquae; AB sectio verticalis laminae vitreae. Moleculae vitreae in X, quae immediate superficiei aquae incumbunt, determinant prima elementa, elevando moleculas aquae usque in X; sed hae moleculae elevatae usque in X, exponuntur actioni molecularum vitri in Z immediate supra X et eadem causa quae producit ascensum aquae ex O usque in X producit illius ascensum ex X in Z et ita ulterius : hae moleculae per actionem vitri ascendentes, sua cohaesione cum reliqua aqua rapiunt alias secum moleculas et ascensus aquae non cessat nisi dum resistentia aquae, quae supra libellam reperitur, aequalis est actioni vitri.

Si nunc habeatur tubus, cujus diameter sit aequalis 2GO (fig. 11), ille tubus non erit capillaris et axis cylindri aquei

non adscendet ultra libellam, licet superficies aquae sit concava; sed si diameter minor sit v. g. aequalis GO, ut in (fig. 12) clarum apparet axim ipsum adscendere debere; moleculae quae reperiuntur inter AOB elevantur per solam actionem tubi in L, unde actio ejusdem in R non eliditur et haec has moleculas altius attollit, et cum pars AOB sit relative eo major, quo diameter tubi est minor, aqua etiam adscendere debet eo altius super libellam.

In recentiori theoria, quae affirmat per actionem inter moleculas vitri et aquae determinari directionem primorum elementorum non videtur quomodo haec directio possit aliter determinari quam elevando prima elementa usque in X, et non videtur quomodo elementa elevata usque in X non reperiantur in sphaera actionis *Z*; dicatur ergo necesse est prima elementa dum pervenerunt in X, opponere elevationi ulteriori resistentiam aequalem actioni vitri; quomodo autem probabunt actionem hanc esse tam debilem illi, qui dicunt exiguam differentiam inter actiones superficiei planae et concavae liquidi sufficere solam ad attollendum et sustentandum integrum meniscum qui reperitur supra libellam in tubo capillari?

Cum attractio vitri se non extendat ad distantiam sensisibilem, satis patet quare aqua in tubo capillari formam assumat concavam; vitrum enim immediate et per se non elevat nisi cylindrilum aquae ipsi contiguum, omnemque interiorem aquam mediante vi cohaesionis mutuae particularum aquae

inter se, sed basis molecularum, quae hac cohaesione elevantur successive fit eo latior quo prima elementa altius attolluntur; inde superficies concava.

Fautores recentioris theoriae uno tenore affirmant omnes antea physicos a vero deductos per ideam falsam, qua credebatur, actionem attractivam tubi sese extendere usque ad axim columnae liquidae per capillaritatem elevatae; sed non ita, inquiunt, comparata est natura; liquidum enim ad eamdem semper assurgit altitudinem in tubo ejusdem materiae et diametri, sive tubus sit tenuissimus sive crassior; adeo ut strata vitri, quae sensibiliter distant a superficie interiori, nullum prorsus afferant effectum; atque ita experientia haec quam nemo negabit, abunde ostendit vim attractivam tubi celeriter decrescere crescente distantia, adeo ut nihil sensibiliter praestet nisi quam proxime ad contactum atque nullius sit effectus omni casu quo moleculae non sunt in distantia imperceptibili, ita ut quoad extensionem sphaerae activitatis hoc genus virium omnino simile sit vi quam chemici affinitatem vocant; hoc principium quod experientiis innititur, basis est recentioris theoriae, inquit HAUY.

His respondetur, experientias bene certas evertere illam basim totius theoriae; verum quidem est vim attractivam vitri sensibilem citissime decrescere; non autem asserimus hanc vim immediate et per se extendi usque ad axim columnae liquidae; sed experientia demonstrat, ope cohaesionis inter moleculas liquidi, hanc vim propagari non solum usque ad axim sed ad minus ad distantiam duplo majorem.

1° Si vas cylindricum aqua plenum inclinetur, aqua effluens non sequitur directionem gravitatis, sed ab hac deflectitur per attractionem vitri et lambit obliquam superficiem externam vitri; haec autem lamina aquae crassitudinem radii tubi capillaris superare potest.

2° Si tubus quicumque capillaris ita constituatur, ut aqua ex illo prosiliens verticaliter ad altitudinem 8-12, pollicum assurgat; si tunc cylindrus vitreus ad contactum jactus adducatur, jactus non solum a directione verticali detorquetur sed integer circum cylindrum vitreum convolvitur.

3° Si tubus verticaliter erectus superne non horizontaliter sed oblique tibiae adinstar sit resectus (fig. 13), aqua non verticaliter prosilit, sed jactus integer versus eam tubi partem, quacum ultimo fuit in contactu, se totum inclinat: in duobus his casibus vis attractiva vitri ope cohaesionis aquae extenditur non solum ad axim jactus sed per totum cylindrum, nisi dicatur hunc effectum provenire a forma jactus.

Aliud adducitur argumentum in favorem istius theoriae, quod primo intuitu concludere videtur; dicunt, theoria haec collata fuit cum experientiis et sic submissa explorationi, qua nulla severior et addunt, summa attentione digna est concordia, quae observatur inter experientias et formulas, quamquam hae non sint nisi approximativae. Supponatur assertum hoc esse verum, saltem dum tubus habet certam intensitatem virium, quid inde sequitur? Vulgo dicitur « acriter friget, non

» potest ningere » et observatur non ningere quando acriter friget; verumtamen frigus non impedit quominus nix formetur et delabatur; sed transitus vaporum in statum solidum sive formatio nivis elevat temperaturam atmosphaerae sive minuit vehementiam frigoris; sumitur ergo effectus pro causa; effectus autem et causa sunt semper inter se proportionales; idem locum habere potest relative ad theoriam et videtur demonstrandum superesse, utrum superficies concava et convexa sit causa an affectus capillaritatis.

Aliud proferunt argumentum et dicunt hanc theoriam aequaliter et aequali simplicitate exponere omnia sine exceptione phaenomena; sic ex. gr. clare patet, inquiunt, secundum hanc theoriam quare duo plana vitrea parallele et in exigua ab invicem distantia liquido verticaliter immersa ad se mutuo accedere nitantur sive liquidum inter haec plana assurgat supra, sive haereat infra libellam : paradoxum hoc, inquit HAUY, quod plures Physici elucidare inutiliter conati sunt, nihil jam relinquit admirandum praeter facilitatem, qua ad liquidum perducitur per novam theoriam.

Nolo enarrare aut carpere prolixam et implicatam quam profert, expositionem hujus paradoxi; sed nescio quo jure dicat ejus explicationem inutiliter fuisse tentatam.

1° Si liquidum inter plana minus alte elevetur quam ad superficiem eorum externam, pressio externa liquidi quod altius superficie interna reperitur elevatum, pressione sua laterali duo plana ad se mutuo propellit, quasi se invicem at-

traherent; nam pressio interna et externa infra superficiem liquidi interioris, aeque magna est, se mutuo elidunt et nullum possunt producere motum; sed pressio externa liquidi supra altitudinem interioris elevati duo plana ad se mutuo propellit et haec pressio non eliditur.

2° Si liquidum inter plana supra libellam externam assurgat, quis est qui non videt liquidum supra libellam per attractionem planorum elevatum, toto suo pondere reagere in plana, eodem modo quo ageret catenula ejusdem ponderis ac liquidum elevatum, et una extremitate uni, altera alteri plano affixa, proinde plana ad se mutuo attrahi per reactionem aquae elevatae eodem modo quo attrahuntur per pondus catenulae.

Si aqua ad superficiem externam planorum assurgeret ad eamdem altitudinem ad quam elevatur ad superficiem internam, plana ad se mutuo non accederent; quia aqua externa et interna aequali vi reageret et sic nulla daretur causa motus, quod experientia confirmatur adhibendo quatuor plana parallela aequaliter ab invicem distantia.

Praedicta duo plana parallela in aquam demerguntur non solum proprio pondere, sed etiam pondere aquae utrimque elevatae; quod etiam contingit et observandum est in usu areometrorum; si enim liquidum talis sit naturae ut areometrum madefaciat, liquidum circa tubum ascendit ultra libellam et areometrum in liquidum descendit non solum proprio pondere sed etiam pondere liquidi supra libellam elevati.

Si liquidum circa tubum haereat infra libellam, areome-

trum sursum propellitur non solum pondere liquidi per volumen areometri immersum dislocati, sed etiam per pondus liquidi circa tubum infra libellam depressi.

Altitudo supra libellam columnae liquidi quae superne per semisphaeram concavam terminatur, eo major est quo minor est diameter tubi et exacte est, ceteris paribus, in ratione inversa diametrorum.

Liquidum ultra libellam non assurgit unico tractu sed ascendens per attractionem vitri primo efformat superficiem concavam, deinde planam, denuo concavam, iterum planam et tandem permanenter concavam; dum pondus liquidi elevati est in aequilibrio cum vi elevante, quod optime observari potest si bullula aëris superficiei liquidi incumbat. Istae alternationes locum habent quia liquidum interius versus axim tubi non ascendit nisi per cohaesionem et attractionem molecularum liquidi jam elevatarum, itaque canaliculus liquidi ad superficiem interiorem tubi et superficies concava prius efformari debet quam circum axim liquidum attolli possit; hoc autem liquidum intra tubum sequitur minori celeritate quam illa est qua efformatur canaliculus.

Nihil interest, quae sit longitudo aut crassities tubi capillaris, sed altitudo liquidi supra libellam dependet a materia tubi et liquidi; non omnia enim liquida assurgunt in eodem tubo nec idem liquidum in diverso tubo ad eamdem altitudinem, neque altitudines, ut credi posset, sunt in ratione inversa gravitatis specificae liquorum.

Elevationes unice dependent ab attractione inter solidum et fluidum et a cohaesione molecularum fluidi inter se; inde per actionem capillaritatis nullum liquidum elevatur ultra aperturam superiorem tubuli, sed ad summum usque ad illius limites interiores, etiamsi tubulus brevior sit altitudine ad quam liquidum in tubo longiori ejusdem diametri et materiae ascenderet.

In iisdem circumstantiis vires adhaesionis proportionales sunt magnitudini superficierum contactus et decrescunt per elevationem temperaturae.

Fluida etiam aëriformia adhaerent superficiebus corporum solidorum, ut videre licet dum solida subito aquae immerguntur vel dum aqua cum solido immerso ponitur sub recipiente antliae pneumaticae et aër extrahitur.

Diversa etiam liquida exhibent speciales vires adhaesionis inter se, quod Caradori primus demonstravit (1). Gutta olei celerrime diffluit per magnam aquae superficiem; liquidum quod maximam habet adhaesionem cum aqua, depellit alia a superficie ejusdem, ita se depellunt super aquam ordine sequenti : oleum pingue, oleum volatile, succi plantarum lactei, spiritus vini; series adhaesionum correspondet attractionibus chemicis.

Cum pondera columnarum elevatarum, si eadem sit altitudo et densitas, sint ut sectiones horizontales tuborum, sequitur inter omnes tubos capillares ejusdem sectionis hori-

(1) VOIGT's *magazin für den neuesten Zustand der naturkunde.* 2. B. I. st.

rizontalis cylindricos minimam quantitatem fluidi elevare posse, cum habeant minimam circumferentiam; in tubis cylindricis diversae diametri sunt in ratione inversa diametrorum inter duo plana parallela verticaliter erecta quorum distantia aequalis est diametro cylindri liquidum pariter ascendit, sed solummodo circiter ad medietatem altitudinis, ad quam ascendit in tubo cylindrico; hoc phaenomenon facile deducitur ex nostra theoria; supponantur duo tubi capillares ejusdem materiae, unus prismaticus, cujus basis sit quadratum, alter cylindricus, quorum sectiones horizontales sint inter se sicut quadratum circulo circumscriptum ad basim cylindri, fluidum in utroque tubo ascendet ad eamdem altitudinem; supponantur jam duo latera parallela tubi prismatici ablata; fluidum haerebit ad medium altitudinis ad quam antea ascenderat, cum sectio horizontalis eadem maneat, et perimeter ad medietatem reductus sit.

Si planum vitreum et mundum (fig. 14.) BC horizontaliter ponatur et aliud simile AC ei superponatur sic ut constituant angulum ACB valde acutum et gutta olei citrici, aquae aut spiritus vini ita inter duo plana ponatur, ut gutta utrumque planum tangat, gutta motu accelerato fertur versus angulum C, praesertim si plana eodem cum gutta liquido prius madefacta sint; idem observatur si gutta mercurii inter duo plana stannea simili modo collocetur.

Gutta K in figura per attractionem planorum assumit figuram *defg*, et gutta K ab utroque plano attrahitur, a superiori in directionem KM ab inferiori in directionem KN;

cum hae duae vires angulum MKN includant, gutta propellitur in directionem diagonalis KC; quo propius accedit ad C eo fit latior et compressior, unde eo major fit numerus punctorum contactus et eo major attractio; itaque motus constanter acceleratur. Idem contingit in cono, si latus inferius sit horizontale aut exiguum cum plano horizontali angulum ad coni basem constituat.

Si duo plana vitrea quae valde acutum inter se angulum formant, perpendiculariter aquae immergantur, aqua inter illa plana ascendit ultra libellam et limbus aquae elevatae efformat curvam hyperbolicam; nam omnis aqua quae inter illa plana reperitur concipi potest ut formata per innumeros tubos capillares, qui sunt eo minoris diametri, quo sunt viciniores lineae conjunctionis illorum planorum; aqua igitur eo altius assurget, quo minor est distantia planorum ab invicem: per exactam mensurationem inventum est limbum aquae elevatae lineam hyperbolicam exhibere.

Per eamdem rationem, ob quam dixi, duo plana parallela in exigua ab invicem distantia verticaliter aquae immersa ad se mutuo inclinari, alia plura explanantur phaenomena.

Si globus vitreus cavus imponatur aquae in vitro quiescenti, globus in medio superficiei aquae immotus haeret; sed eo ipso, quo ad latus vasis appropinquatur, motu accelerato transfertur ad contactum istius lateris; simili modo e medio vasis fertur ad contactum digiti aquae immersi et hujus motum sequitur aut etiam ad contactum cujusque corporis quod per aquam madefit.

Duo globuli vitrei, qui in medio vasis aquae supernatant motu accelerato sibi mutuo adjunguntur, si non nimis magna sit inter illos distantia : haec etiam phaenomena producuntur ab attractione vitri, digiti aut alterius corporis ad aquam.

In figura 15 globus vitreus cavus G imponatur medio libellae EF vasis ABCD, quamquam globus aquae supernatet, ei tamen ad certam altitudinem immergitur; aqua per attractionem vitri circa totum globi ambitum assurget sicut in *g* et *h* : cum aqua in *g* et *h* ac proinde per totum globi ambitum ascendat ad eamdem altitudinem; globus per omnia puncta sui ambitus aequaliter trahitur ; vires autem oppositae et aequales se mutuo destruunt , nullum igitur motum producunt.

Generatim et in omni casu quo globus undique liquido cingitur ad eamdem altitudinem, globus non movetur; eo ipso autem quo globus ad latus vasis accedit v. g. in A, aqua elevata ad latus A confluit cum aqua elevata ad partem vicinam globi in K ; proinde aqua inter latus vasis et hanc partem globi ulterius assurget, quia distantia inter latus et globum ibi minima est, et quo globus propius accedit ad latus vasis, eo aqua altius ascendit; aqua autem per attractionem globi elevata, toto suo pondere reagit in globum ; sicque reactio in K multo major est quam in L, unde globus versus K movebitur et tanto celerius quanto fit vicinior lateri : idem obtinet dum in vicinia globi digitus aquae immergitur; aqua enim pariter altius elevatur inter digitum et globum.

Ex dictis facile etiam videtur, quare duo globi, qui ambo per aquam madefiunt, si circa medium vasis aquae imponantur ad se mutuo concurrant, dum distantia inter illos fit capillaris.

Si vas vitreum undique aqua adimpleatur, ob eamdem rationem ob quam gutta figuram sphaericam assumit, aqua habebit superficiem convexam, quae eo magis ad formam sphaericam accedet, quo vasis diameter minor est; si sphaerula vitrea huic superficiei imponatur, a limbo medium versus se conferet.

In figura 16 si globulus vitreus cavus reperiatur super convexam superficiem AC, dum globus est vicinus lateri A, in I. minus aquae et ad minorem altitudinem elevabit quam ad latus K; unde per reactionem aquae elevatae globus majori vi trahitur versus K quam versus I; movebitur ergo in directionem K donec sit in medio superficiei AC et aqua circa globum undique ad eamdem altitudinem sit elevata.

Ex praecedentibus abunde liquet quare aqua ultra libellam ascendat in quolibet corpore spongioso et hygrometrico, et si metalla ac corpora vitrificata excipiantur per omnia fere naturae corpora; sic ascendit per limbum panni, per chartam bibulam, per spongias, per igniarium, per acervum arenae, aut cinerum, oleum per ellychnium xyli etc.; omnia enim ejusmodi corpora considerari possunt ut fasces tuborum pillarium.

Huc etiam pertinent ascensus et circulatio succorum in cor-

poribus organicis; quamvis hic proprium capillaritatis effectum concomitetur peculiaris activitas organorum; actio vasorum absorbentium in plantis et animalibus; incrustationes et efflorescentia variorum corporum, quorum partes dum per evaporationem in statum solidum transeunt, lateribus vasis in quo continentur adhaerent, et efformant quasi tubulos, per quos pars inferior adhuc liquida attractione capillari successive ascendens, tubulos alit, interiora vasis latera eisdem contegit et saepius ultra marginem superiorem repens, superficiei laterum externae crustam obducit; similia praesertim observantur phaenomena in salibus repentibus nominatim in sulfate potassae, benzoate ammoniaci, subcarbonate sodae, sulfate zinci etc. et aliis quam plurimis combinationibus salinis.

Similia etiam obtinent dum varii vapores in statum solidum revertuntur, e. g. obductio externa vasis aperti et solutionem salis marini et vitrioli in aqua continentis; imagines quibus vitra fenestrarum conteguntur tempore glaciali et innumera alia quorum plura modo maxime amaeno observari possunt ope microscopii solaris, sicut et vegetationes metallorum v. g. si frustulum tenuissimi fili cuprei injiciatur in guttam solutionis nitratis argenti.

Penetrationem et filtrationem per corpora solida unice provenire ab attractione qua solidum et liquidum in se mutuo agunt, probatur ex eo, quod non omnia liquida in unum et idem corpus solidum aeque bene penetrent; aqua permeat chartam bibulam; oleum minus bene, mercurius nequaquam;

e contra mediocri pressione mercurius per corium transit, non autem aqua.

Vis immensa qua attractio capillaris agere potest, demonstratur per disruptionem saxorum ope cuneorum ligneorum, dum aqua madefiunt; per abbreviationem funium e canabe ductorum dum humore penetrantur et intumescunt, qua contractione maxima etiam onera elevantur.

Hucusque vidimus anomalias quae locum habent dum major est attractio inter solidum et liquidum quam inter particulas liquidi : inquirendum superest quid observetur in casu contrario. Liquida quorum partes majorem inter se cohaesionem habent quam est illarum adhaesio ad tubum capillarem, non ascendunt ultra libellam, sed infra hanc in tubo haerent; sic mercurius minori vi vitro adhaeret quam est vis cohaesionis molecularum ejusdem, ut probatur.

Guttula mercurii, quae chartae mundae incumbit, attingatur frusto vitri; mercurius a charta sejungetur et vitro adhaerebit; si tunc prope ad hanc guttulam vitro adhaerentem ponatur major quantitas mercurii, guttula mox vitrum deseret, et majorem attractionem sequens celerrime cum reliquo mercurio tota confluet; major igitur est attractio inter particulas mercurii quam attractio hujus ad vitrum; hanc tamen satis sensibilem esse demonstrat sequens observatio; si gutta notabilis mercurii imponatur chartae mundae et ex partibus oppositis ad contactum ejusdem admoveantur duo frusta vitrea, et haec lente et paulatim ab invicem remo-

veantur, gutta oblongam et ovalem formam assumit et tunc solummodo quando quantitas mercurii multum augetur, priorem suam formam conservabit. Mercurius igitur sicut et plumbum, stannum fusum etc. in tubo vitreo his immerso ultra libellam ascendere nequit; sed cum tubo non adhaereat, assumit superficiem convexam, ob eamdem rationem ob quam exigua guttula formam habet sphaericam; sed quare haeret infra libellam? Mercurius non potest in tubum prius penetrare, quam illius partes ascendentes sint separatae a mercurio in vase; cum autem mercurius super vitrum non diffluat, adhaesio vitri ad mercurium non potest hanc separationem efficere; proinde requiritur pressio mercurii externi ut cohaesio molecularum mercurii in tubum ascendentis destruatur; non potest igitur haec pressio elevare mercurium ad eamdem cum externo altitudinem, et haec pressio per stratum supra KL (fig. 20.) elevatum exercetur : secundum leges hydrostaticas columnam prementem nobis repraesentare debemus ut habentem basim aequalem cum mercurio qui in tubo capillari reperitur. Depressio mercurii infra libellam est in ratione inversa diametri tuborum. Quo minor est diameter tubi capillaris, eo minor est basis mercurii in eodem : si diameter sit duplo minor, basis est quadruplo minor; unde altitudo columnae externae ejusdem basis deberet esse quadruplo major ut haberet idem pondus; sed si diameter est duplo minor, etiam peripheria est duplo minor et quantitas mercurii separanda, sive quae venit ad contactum cum superficie interna tubi, est duplo minor; sed cohaesio molecularum mer-

curii rumpenda, est impedimentum ascensus; resistentia igitur est duplo minor et per aequalem pressionem mercurius deberet ascendere ad duplam altitudinem : sequitur altitudines mercurii externi supra illas interni esse in ratione composita ex inversa quadratorum diametrorum et directa diametrorum tuborum capillarium; itaque sunt in ratione inversa diametrorum, quaecumque sit profunditas ad quam tubi immerguntur.

Vim notabilem requiri ut mercurius tubum ingrediatur, probari videtur sequenti experimento : si tubus vitreus utrinque apertus, cujus apertura inferior terminatur per angustum tubum capillarem, repleatur mercurio ad altitudinem 1—2 poll., mercurius non effluet per aperturam inferiorem, quod tamen mox sequitur, si huic aperturae admoveatur mercurius in altero vase contentus.

Ceterum quem influxum aër qui in tubo et mercurio reperitur, habeat in statum mercurii, huc usque non est extra controversiam : aërem influere probabile est 1° per adhaesionem relative majorem ad superficiem internam tubi, qua fit ut sit in tubo prope superficiem minus mobilis quam extra tubum, et dum tubus mercurio immergitur, majori pressione in superficiem mercurii agat intra tubum quam extra eumdem; 2° mercurius in vacuo Torricelli vitro sat fortiter adhaeret, et si tubus aeque ac mercurius maximam, quae possibilis est, habeat munditiam, superficies mercurii in tubo non est notabiliter convexa, imo secundum Casbois

elevatur in tubo ultra libellam mercurii extra tubum, quod tamen Milon negat (1).

Opponi nequit huic considerationi, aquam in tubo capillari assurgere ultra libellam, quoniam adhaesio aquae ad vitrum non solum major est cohaesione molecularum aquae inter se, sed etiam major adhaesione aëris ad vitrum.

Plumbum fusum et reliqua probabiliter metalla fusa produnt similia phaenomena; e contrario mercurius in tubis plumbeis aut stanneis assurgit ultra libellam sicut aqua in vitreis.

Sicuti mercurius circum tubum vitreum excavatur, sic etiam aqua circum omne corpus quod aqua non madefacit; inde plura rursus phaenomena observantur. Si globus pinguedine obductus supernatet aquae in vase vitreo contentae, globus a limbo vasis recedet tanto majori celeritate quanto propius ad latus vasis adductus est : si in medio vasis reperiatur, quiescit et aqua circum globum ubique aequaliter excavata est; si tunc aliud corpus quod per aquam madefit, in vicinia globi supernatantis aquae immergatur, globus a corpore immerso recedet; sic si digitus aquae immergatur digitum fugit et per hunc in omnem directionem propelli potest. Motus corporis solidi per planum inclinatum haec om-

(1) *Journal de phys. an X.*

nia explicat, si simul attendatur, aquam ad latus vasis et ad digitum supra libellam elevari, et aquam altius elevatam pressione laterali in globum agere.

Si duo globi A et B aquae imponantur et unus illorum A aquam elevet, alter autem B eam deprimat, dum ad certam ab invicem distantiam perveniunt, inter ambos globos aqua necessario acquirit superficiem curvam (fig. 17.) et haec curva habet punctum inflectionis F, quod reperitur in communi libella et aqua externe per unum globum A altius elevata est, per alium B externe magis depressa quam inter illos globos; hi globi videntur se mutuo repellere et ab invicem recedunt.

Propter elevationem aquae inter D et globum A pressio quae lateraliter agit in B ex parte D fortior est illa quae agit ex parte opposita G, B cogitur quasi per planum inclinatum recedere versus S : aqua circum globum A altius elevata in M quam in N per attractionem globi, fortius reaget in globum A, unde A procedere debet versus C et sic globi ab invicem recedunt et se mutuo repellere videntur.

Si neutrum duorum corporum per aquam madefiat, si sunt e. g. duo globi cerei qui aquae supernatant et si distantia quae illos separat sit sat parva, globuli ad se mutuo accedunt et uniuntur ; ut concipiatur causa , observari debet (fig. 18) superficiem in hoc casu inflecti in puncto D posito in certa distantia a puncto cui globus A immergitur ita ut in hoc loco curvam efformet cujus convexitas sursum spec-

tat : idem obtinet respectu globi B; quamdiu duo hi globi sunt in distantia respectiva sat magna ut pars superficiei intermedia DE libellam suam conservet, pressiones laterales quas liquidum exercet ex omni parte in singulum globum, sunt aequales; sed si supponatur distantiam inter illos globos continuo imminui, datur terminus, in quo omne liquidum comprehensum in spatio quo globi separantur, subeunt depressionem analogam illi, quam subit mercurius dum ei immerguntnr duae laminae vitreae sibi parallelae et in exigua ab invicem distantia : tunc pressiones laterales, quae agunt ex parte opposita illi, qua globi sibi obvertuntur, praeponderant et hos globos ad se mutuo propellunt, et eo facilius quia globi per plana inclinata ad se mutuo feruntur. Globis substitui possunt alia duo corpora, e. g. duae acus tenues, quae dum aquae prudenter imponuntur, supernatant non tam propter aërem ipsis adhaerentem quam quia non madefiunt et libellam aquae circum se deprimunt donec pondus aquae depressae sit aequale ponderi acuum. Si duae tales acus directione obliqua ad se invicem accedant, donec extremitates sese tangant, una versus alteram inclinabitur, ita ut angulus quem formant in momento contactus, successive imminuatur, et acus tandem uniantur per totam illarum longitudinem : si acus ita sibi occurrant, ut extremitas unius tangat e. g. punctum medium longitudinis alterius, punctum contactus manebit fixum, donec acus conjungantur medietate longitudinis, et mox repent una juxta alteram, donec unitae per totam longitudinem, extremitatibus sibi correspondeant, quae omnia exponuntur per pressionem lateralem liquidi altius quam ipsae acus elevati.

Causa generalis phaenomenorum capillarium, sive attractio inter liquida et solida non solum sese manifestat in statu aequilibrii, sed pariter influit in motum liquidorum in vasis, quibus continentur. Si (fig. 21.) columna aquae aut alterius liquidi in siphone cylindrico cujus latera AB et CD sunt verticalia et ejusdem diametri, in motum agatur et si aquae motus sit omnino liber, calculo probatur, illum esse plane analogum oscillationibus penduli, ita ut, quaecumque sit natura liquidi, oscillationes debeant habere eamdem extensionem et indefinite continuari; attamen experientia probat, amplitudinem illarum gradatim imminui, etiam in vacuo et tandem esse insensibilem : existit igitur resistentia, quae motum liquidi gradatim imminuit eumque tandem destruit; sed non datur circumstantia physica liquido extranea praeter contactum tubi; ab hoc ipso igitur contactu provenit resistentia, et a contactu tubi se gradatim communicat usque ad axim columnae oscillantis; scilicet affinitas tubi ad liquidum agens in lamellam tenuem, quae efformatur per moleculas liquidi tubo contiguas, minuit celeritatem oscillationum, quam actione gravitatis sola haberet; haec lamella sua cohaesione agit in vicinam et producit retardationem analogam, sed diversae quantitatis; producitur enim per attractionem alterius energiae, nempe per attractionem moleculorum liquidi inter se : idem effectus a lamella in lamellam usque ad axim columnae propagatus, producit retardationem totalem, ea ratione qua in columna quiescente determinaret elevationem aut depressionem.

Cum attractio tubi ad diversa liquida sicut et illa inter

moleculas diversorum liquidorum variet, si diversa liquida in eumdem siphonem ad eamdem altitudinem successive immittantur, debent diversa subire decrementa oscillationum, quod conforme est observationibus LeHot.

In siphone vitreo ad temperaturam 17° aqua minus retardatur quam alcohol sed plus quam mercurius; retardatio cui aqua et alcohol subjiciuntur, decrescit, qua ratione temperatura elevatur.

Ex his factis evidenter deduci potest liquida minus celeriter effluere per tubum capillarem quam per aperturam ejusdem diametri in tenui lamella.

Positis eadem temperatura et iisdem circumstantiis, volumen aquae purae citius effluit quam aequale volumen alcoholis aut aquae salsae, minus celeriter quam aequale volumen mercurii.

Tempus quo volumen datum cujusque liquidi effluit, decrescit qua ratione temperatura elevatur.

Majorem celeritatem effluxus provenire, non a diversa diametro tubi ob adhaesionem ad latera interna tubi et lamellam aquae immotam, sed a majori celeritate probatur, si observetur altitudo jactus ad quam liquidum verticaliter ascendit per eumdem tubum sub eadem pressione sed in diversa temperatura, altitudo enim unice dependet a celeritate jactus; altius autem ascendit in majori temperatura.


Si retardatio proveniret a coarctatione tubi per quem liquidum effluit, longitudo tubi nullum haberet influxum; attamen usque ad certos limites incrementum longitudinis tubi minuit quantitatem liquidi effluentis.

Jam perpendi praecipuas anomalias, quae in phaenomenis hydrostaticis occurrunt, easque quantum mihi per tempus licuit, modo scilicet conciso explanare tentavi; sed priusquam dicendi finem faciam publice profiteor me recentiorem theoriam nullatenus spernere, atque quam plurimum me venerari summam auctoritatem celeberrimorum virorum qui eam procrearunt, aut eamdem sequuntur; ipsi tamen non subscripsi ob plures rationes, inter quas praecipua est, quia nullibi expositum inveni, nec ullo modo concipere possum, quomodo in liquidis reactio non esset aequalis et opposita actioni: sicuti corpus A non potest agere in corpus B nisi B resistat, et solummodo agere potest in quantum B resistit, sic una molecula liquidi non potest agere in aliam nisi in quantum haec resistit, proinde resistentia semper est aequalis actioni; ipsa autem resistentia constituit reactionem, ergo in quocumque etiam statu aggregationis reactio semper est aequalis et opposita actioni, et si in vase liquidum inferius libellam trahit deorsum, libella per reactionem aequali vi liquidum inferius trahet sursum; inde certo tendentia ad motum communem in tota massa oriri nequit. Nihil etiam cogit recurrere ad istam theoriam, illa quam sequor, ut puto, omnes anomalias satis elucidat et sese sua simplicitate quam maxime commendat; innititur enim duobus solum principiis, quae


omnes observationes docere videntur. 1° Liquidum in vasis aut tubis non ascendit ultra libellam nisi fortior sit attractio inter liquidum et tubum quam est cohaesio inter partes liquidi; nullus enim assignatur casus in quo ascendit ultra libellam et tubum non madefacit, sed liquidi, quod tubum madefacit fortior est adhaesio ad tubum quam est cohaesio partium liquidi, sicut omnes conveniunt. 2°. liquidum quod per attractionem tubi ultra libellam elevatur, suo pondere reagit in tubum, quod pariter negari nequit; ex duobus his principiis cuncta capillaritatis phaenomena deducuntur: attamen futurum vix spero, ut quae retuli ab omnibus meis Professoribus doctissimis approbentur; sed precor ut hanc meam commentationem suscipiant tamquam juvenile exercitium et laboriosum diligentiae testimonium; nec contendo me exhibuisse theoriam certe veram, forsan talis non cognoscetur, quamdiu actio affinitatis non melius intelligetur. Materia nulli contigua vim nullam manifestat, sed tunc solummodo dum cum altera est in contactu vel quasi in contactu, et in iisdem circumstantiis diversam relative ad variam materiam sed semper eamdem respectu ejusdem materiae; haec vis estne simplex et ab ipsa creatione immutabiliter corporibus indita? Est-ne composita, quae in ipso corporum congressu conflatur et agit aut alio quovis modo nascitur? quae si noscerentur theoriam capillaritatis probabiliter certius detegere liceret.

FINIS.


1.ª




2.ª




3.ª




4.ª




5.ª




6.ª




7.ª




8.ª




9.ª




10.ª



11.ª




12.ª




13.ª




14.ª




15.ª




16.ª




17.ª




18.ª



20.ª



21.ª



XI.

EUGENII WAUTHIER COMMENTARIUS IN QUÆSTIONEM CHYMICAM.

VII.

XI.

EUGENII WAUTHIER
COMMENTARIUS
IN QUÆSTIONEM CHYMICAM.

EUGENII WAUTHIER,

EX JAUCHE,

MEDICINÆ IN ACADEMIA LOVANIENSI CANDIDATI

COMMENTARIUS

IN QUÆSTIONEM AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM PROPOSITAM :

Petitur 1. *ut plantae earumque partes enumerentur, quae faeculam coeruleam, Pigmentum Indicum dictam, largiuntur;* 2. *ut describatur, qua encheiresi ex illis ea eliciatur;* 3. *ut exponatur, quae sint ejus principia proxima et remota et qui usus technici; eadem petuntur de ejusdem faeculae succedaneis. Practice et theoretice quaecumque elucidentur.*

QUI PROEMIO ORNATUS EST.

PROOEMIUM.

nec tam
Turpe fuit vinci quam contendisse decorum est.
Ovidius.

Ab amplissimo disciplinarum mathematicarum et physicarum ordine petitur: 1° Ut plantae earumque partes enumerentur, quae faeculam coeruleam, Pigmentum Indicum dictam, largiuntur. 2° Ut describatur qua Encheiresi ex illis faecula illa eliciatur; 3° Ut exponatur quae sint hujus faeculae principia chemica proxima et remota, et qui usus technici; eadem petuntur de ejusdem faeculae succedaneis. Practice et theoretice quaecumque elucidentur.

Enisus huic quaestioni responsionem dare, opportunum judicavi meum huncce laborem in tres partes dividere, quarum prima est *Pars Botanica;* in illa sermo fit praecipue de plantis Indicum ferentibus, de earum cultura, de modo Indicum ex illis extrahendi etc.

Secunda est *Indici Chemia;* ubi de agentibus chemicis in Indicum, de Indici combinationibus cum aliis corporibus, de illius compositione, comparatione, etc. dicitur.

Tertia *Pars* est *Technica*, in qua traduntur applicationes pigmenti Indici ad artes, ususque illius frequentiores.

DE PIGMENTO INDICO.

PARS PRIMA.

DE PLANTIS QUAE PIGMENTUM INDICUM SUPPEDITANT ET DE METHODIS ILLUD IIS ELICIENDI.

Pigmentum indicum, *Indicum* simpliciter dictum, gallice *Indigo*, sistit faecula atro-coerulea qua infectores ad coerulee tingendum utuntur : materia est friabilior, quae recens diffracta et ungui attrita, nitoris est fere metallici et coloris cuprei; odore et sapore omnino est expers. Olim creditum erat Indigo esse petram Indiis propriam, qua ratione ista petrae species *Inde*, *Indic*, *Petra Indica* nuncupabatur; unde verosimiliter nunc temporis nomen pigmenti Indici illi substantiae tribuitur. In India orientali et occidentali jam dudum innotuerat; sed ex his primum saeculo XVII nobis advecta est. Nihilominus Marco Paulo jam saeculo XIII modum Indicum e plantis Indiferis extrahendi illudque in artibus adhibendi exacte descripserat; sed nonnisi 400 annis post, hoc pigmentum in Europa

copiosius adhibitum est : cujus causa in eo quaerenda est quod morte plecterentur qui istud pejus, uti nominabatur, medicamentum introducebant.

Indicum native occurrit in plantis quae infra nominabuntur et quidem in parenchymate foliorum istarum plantarum; item quoque in caule sed parca quantitate. Verosimile est Indicum existere in foliis statu acidi non quidem perfecti ; sed, ut apparet, sub-hydrogenati, quod substantiae vegetabili plantarum flavae junctum, compositum viride format.

Dici quoque potest, sed minus verosimiliter, Indicum immutatum vel forma propria in foliis existere, aliis materiis autem ita copulatum ut absque colore adsit et solum praeparationibus et aeri expositione generari possit : tali hypothesi sumitur Indicum ut non omnino efformatum sed ut materia vegetabilis peculiaris cui nomen *Indigogenii* tribui potest : materia haec specie fermentationis acidi carbonici formatione stipatae, principium carbonicum deperdens, in Indicum coeruleum mutaretur.

Sed arridet nobis primus explicandi modus : nam sine ulla fermentatione extrahi potest acidum isiaticum sub-hydrogenatum quod tunc est incolor ex aeris contactu; sed aeri expositum propter oxigenem assumptum colorem coeruleum induit. Imo si Indicum productum esset fermentationis, aqua calcis nullo modo Indici formationi auxiliari posset. Processus huc redit ut obtineatur acidum sub-hydrogenatum a materiis vegetabilibus exutum et istud acidum per aeris atmospherici oxi-

genis accessum hydrogene privetur : hocque praesertim, uti infra videbimus, fermentationis specie praestatur.

Pigmentum Indicum elicitur e plurimis plantis quae fere omnes ad idem genus pertinent; qua propter illud nominatum fuit *Indigofera*; cujus caracteres essentiales sunt : calix quinque dentibus, corolla papillonnacea, carena utroque latere calcare munita, tubulato, explicato; ovarium superius in cujus apice observatur stylus brevis, ascendens, stigma obtusum. Fructus est siliqua oblonga, linearis, parum cylindrica, recta vel curva, plura semina includens.

Notatu dignum illud genus est propter innumeras species quas complectitur. Magnam similitudinem habet cum *Galegis*; attamen ab iis distinguitur siliquis minutis, raro compressis. Amplectitur herbas vel arbusta quorum folia raro simplicia, saepius alata cum impari : interdum foliola articulata sunt et quasi ad basim aristata : flores parvi plerumque in racemis axillaribus dispositi. Hae plantae in Indiis sponte crescunt.

Species praecipuae sunt :

1° *Indigofera Anil* in India sponte nascens, sed maxime in pluribus Americae locis culta.

2° *Indigofera argentea* quae in Aegypto, Arabia et Barbaria reperitur.

3° *Indigofera hirsuta*, in India orientali et in oris Malabarii.

4° *Indigofera disperma*, seu vulgo Guatimala quae ab illa Hispaniae regione originem ducit.

5° *Indigofera coerulea.*

6° *Indigofera pseudo-tinctoria.*

7° *Indigofera spinosa*, detecta in Arabia.

8° *Indigofera tinctoria.*

Quam plurimas adhuc species includit, sed parum notatu dignae, quia fere numquam ex iis extricatur Pigmentum Indicum.

Indico ditissima est Indigofera Anil, sequitur deinde Disperma; pro coloris splendore eminet argentea, sed quantitas in ea est in ratione inversa qualitatis.

Omnes hae plantae pertinent ad Diadelphiam Decandriam et sunt familiae naturalis leguminosarum. Omnes generatim in terris, dumis recenter liberatis, bene crescunt. Succedunt prope sylvas et in vallibus, quia tunc a tempestatibus, iis noxiis, expediuntur.

Planta quae Indicum producit bis annua est, sed saepius primo anno effoeta. Quovis anno seritur ad mensem Martium: tempus vero serendi fere variis locis varium; generaliter imbrium tempus eligitur. Tribus vel quatuor diebus elapsis, planta surgit; paulo post sariendum est, quae operatio quovis decimo et quinto die iteranda; donec pedes plantarum tantum vigorem nactae sint, ut herbas nocentes necare valeant.

Indicum secandum est ubi primi nascuntur flores; folia sola

vel simul cum caulibus rescinduntur. Hoc plerumque fieri debet tribus mensibus post sementa : sex aut septem hebdomadibus exactis, nova instituenda resectio, quam sequitur tertia, habita soli naturae et regionis ratione.

Quae primo secta meliora sunt folia; tunc alia qualitate declinant. In Mexicana regione et in Insulis ter resecatur planta, in America meridionali bis tantum : prima resectio locum habet sex mensibus postquam sartum fuit Indicum.

Hic notandum tempus resectionis variari posse, et sic praemittendum si erucarum nubes in plantas irruit; contra, retardandum, si pluvia advenit.

Quamvis diversissimi sint Indicum extricandi modi, et pro regionibus fere variant, tamen hic solum referemus methodum usitatissimam et quae generatim usurpatur.

Plantae folia vel simul caules secantur, sed animadvertendum majorem faeculae coeruleae copiam in foliis quam in caulibus contineri. Tunc igitur folia per strata disponuntur in magna cupa quae vas maceratorium, gallice *trempoire*, vocatur : $\frac{3}{4}$ cupae foliis implentur : postea pondera imponuntur ne aquae supernatent : deinde aquae tantum infunditur ut circiter pede folia superet. Aqua limpida sit et praesertim ab omni sale aut alia materie heterogenea libera; quare saepius limpida rivuli aqua seligitur. Dein omne fermentationi committitur, quae saepe impetuosissima evadit. Apprime notandum est tempus quo fermentatio sat diu protracta est : officio fermentationis illius mo-

leculae colorantes a materiis vegetabilibus sejunctae in aqua suspenduntur : ista fermentatio absolvitur quum in superficie liquidi apparet spuma irina; sed certius judicatur mediante cupella argentea ex aqua fermentante quidpiam hauriundo, et liquidum in cupella contentum agitando : si post aliquot minuta moleculae colorantes ad invicem accedunt et grana efformant, et si liquidum supernatans limpidum est et coloris quasi aurei; tunc certissimum erit signum fermentationem ad finem ductam esse.

Quocumque modo dignoscatur, dum peracta est, elutriatur aqua, et infunditur alii cupae inferius collocatae et cui nomen *vas agitatorium* gallice *batterie*; ibi fortissime agitatur per tempus sufficiens ad praecipitationem Indici, et hoc eodem criterio ac in praecedenti dignoscitur. Haec agitatio perficitur mediantibus baculis longis ad hunc usum extructis et dispositis. Hac operatione superficies omnis liquidi successive aeri exponitur, sic Indicum coeruleum propter oxigenem ex atmosphera attractum generatur et praecipitatur. Quum liquidum, quod primo loco viridescens et turbidum erat, incipit colorem coeruleum assumere et in grana efformari, additur quaedam quantitas aquae calcis, cujus ope materies colorans facilius praeceps abit : observandum hic venit Indicum sub-hydrogenatum, uti in plantis existit, certe in acido carbonico vel aqua isto acido satura solubile esse; additione aquae calcis favetur separationi eo quod eripit solutioni acidum carbonicum et in cretam se convertit; sic acidum liberum aeris oxigenem facilius arripit. Aliud aquae calcis officium est impedire liquidi putrefactionem.

Peracta praecipitatione liquidum quieti committitur; post tres aut quatuor horas decapulatur aqua. In fundo remanet sedimentum atro-coeruleum quod semel lavatur. Tunc in telis imponitur ut per diem unum extillet : post materies mittitur in capsulas ligneas in quadrata efformatas et quarum fundus tela vestitur; exponuntur aëri illae capsulae. Non soli ardenti, sed in umbra desiccantur : longo quidem tempore egent, sed pulchrior est indici color et minus deperditur per ultimam desiccationem, post quam indicum divenditur, sed pretio differt, ut infra patebit.

Praeparari quoque potest pigmentum indicum per digestionem plantae foliorum, primo in aqua, tunc in Alkoole. Per evaporationem avolat Alkool, fundoque materia partim crystallina, partim granulosa, partim e floccis albis constans remanet: quae materia Acidi Hydro-Isiatici dotibus frui videtur, nam aëris contactu et in aqua purissima solutione crystalli primo viridescunt, posteaque coerulescunt. Crystalli illae coloris sunt albi, aqua et imprimis hac Alkali quodam onusta solubiles.

Indigofera solum non est genus plantarum e quibus extricatur Indicum; *Nerium tinctorium* seu *Whritia tinctoria*, arbor in India notissima, maximam faeculae coeruleae quantitatem continet: ut ex illa eliciatur, folia calide nedum frigide tractantur; caeterum, eodem omnino modo ac in praecedenti praeparatione agitur. Notandum Indicum e Nerio tinctorio elicitum multo minori principii colorantis copia gaudere, coloremque fugacem constituere.

Genus adhuc datur cui nomen *Isatis*, valde notum et in Europa cultum, quod quondam arti tinctoriae multum profuit. Duae dantur species juxta *Floram* Vanhoorebeck, scilicet: *Isatis tinctoria* et *alpina*. Tertia species *Lusitanica* nuncupatur, quod etiam Dioscorides confirmat. Dodonaeus duas Isatidis species describit sed fere identicas illas refert; una, inquit, culta, infectioni inservit, altera vero sponte nascitur. Videtur haec planta et sic Indici colorem a Graecis et Romanis nota : antiquissimi populi illa jam utebantur.

Nomen Graecum est *ισατιν*, Flandricum *Weedt*, Germanicum *Weyt*, Anglicum *Wode* et *Wade*, Italicum *Guado*. Latini illam nominabant *Vitrum*, *Isatidem*, Galli *Pastel* et quoque *Glastum*, unde forte venit nomen vitrum apud Latinos. J. Caesar Lib. V de Bello Gallico dicit : « Omnes vero se Britannici *Vitro* inficiunt quod coeruleum efficit colorem, atque hoc horribiliori sunt in pugna aspectu. »

Plinius in Historia sua naturali, Cap. I, Lib. XII, sic de Indico mentionem facit : « Equidem et formae gratia ritusque perpetui, in corporibus suis aliquas exterarum gentium uti herbis quibusdam adverto animum. Illinunt certe aliis aliae faciem in populis barbarorum faeminae, maresque etiam apud Dacos et Sarmatas, corpora sua inscribunt. Simile Plantagini *Glastum* in Gallia vocatur, quo Britannorum conjuges nurusque toto corpore oblitae quibusdam in sacris, et nudae incedunt, Aethiopum colorem imitantes. »

Et Lib. XXXVI, Cap. VI, dicit, loquendo de coloribus,

Indicum esse inter *floridos* colores. Clusius, Dioscorides et Dodonaeus de Isatide tinctoria mentionem faciunt; culturam, modum plantam in pastellos convertendi et locos ubi colitur describunt.

Juxta sententiam Dodonaei videtur haec planta sponte nata in Patria nostra reperiri. Dicit sponte natam Isatidem aspectus esse editioris quam cultam; sed folia primae angustiora refert.

Species vulgatissima est *Isatis tinctoria*, quae planta est bisannua, classis *tetradynamiae siliquosae*, familiae naturalis *cruciferarum*. Naturaliter in Europa, in Baltici Maris et Oceani littoribus crescit. Colitur in Occitania, Provincia, Thuringia, Calabria, Germania, Hispania quandoque; et quondam, juxta sententiam Dodonaei et Lobelii, plurimis Belgiae locis. Radix crassa, fibrosa sese altius in terram abdit. Oriuntur caules herbacei, maxime laevigati, duobus ad quinque pedibus alti; caules isti in quamplurimos ramos dividuntur, quorum folia simplicia, alterna, sessilia, amplexicaulia, sagittata et coloris coeruleo-viridis existunt. Folia radicalia sunt ovata, denticulata, in medio nervis abundantibus et distinctis notata. Flores pedunculis instructi in caulium summitate racemos aut corymbos referunt. Calix cum quatuor foliolis ovatis, coloratis et caducis. In corolla quatuor petala flava, oblonga, ad basim arcta, obtusa in extremitate apparent : sex habentur stamina quorum quatuor ejusdem cum petalis longitudinis et duo alia breviora. Ovarium oblongum, applanatum, breviorum staminum longitudinis, in cujus summitate stigma obtusum videtur. Fructus

quamdam cum Fraxini similitudinem habens, est siliqua elliptica vel oblongo-ovata, plana, obliqua, in summitate truncata, cujus valvulae ab invicem difficilius separantur; siliqua haec unilocularis semen unicum includit.

Ante XVII saeculum nullus noscebatur color coeruleus solidus nisi ille qui formabatur ex Isatide tinctoria cujus folia in omnibus fere Galliae regionibus transmutabantur in massulas quae fermentationem et desiccationem expertae, Gallice vocabantur : *Coques de Pastel* : Pastelli Isatidis.

Pastelli hi sunt massae majorem vel minorem Indici copiam cum substantia foliorum vegetabili, includentes, quibus ad coerulëe tingendum utebantur infectores antequam Indicum Indici innotuere, et stante, novissimis his temporibus, evecto hujus Indiae pretio; et quidem satis Indici praebere possunt ut ex iis conficiatur cupa in qua omnes materiae colore coeruleo indui valent et illis aeque ac Indici extranei ope coerulei commessurae concilientur. Hodiedum adhuc quidam infectores, praecipue Galli et Germani, illas massas cum Pigmento Indico miscent ad cupas praeparandas : quarum officio non solum Indici acidificatio expeditior fit, sed etiam suum Indicum Indico ex India allato addunt, et sic multum lucratur.

Tempore belli, mari Gallis impedito, industria vel potius necessitas, quae industriae mater haberi potest, methodum invenit plantam Indigoferis Indiarum substituendi ut ex illa eliceretur Pigmentum Indici Indiae succedaneum : sic praebitum

fuit Indigo indigenum tam pro colore quam pro caeteris dotibus Indico exotico aequans : Indici illius et Pastellorum ministerio, producta aliena respectu coerulei coloris Gallia spernere potuit. Infra sermo erit de modo quo ex Isatide extrahatur Indigo.

Tamen hisce temporibus Indici facili adventu ac summe immunito pretio, iterum fere derelicti fuerunt pastelli, sicque plantae ex qua extricatur cultura : nihilominus de hac cultura et de modo Pastellos praeparandi quaedam dicemus.

Omnes terrae, humidioribus exceptis, ad Isatidis tinctoriae semen recipiendum idoneae : generatim solum compactum, a 3 aut 4 annis incultum, eligitur; sed caveatur ne majorem argillae copiam contineat : solum sit recenter sed alte cultum ob radicem plantae perpendicularem et maxime fibrosam : terra mundata vegetationi plantae maxime conducit; Isatis gelu, pluviis et frigori intempestivo facile obsistit. Observandum Isatidem solum valde extenuare.

Tempus serendi in Europa variat; generatim in Gallia meridionali mense Februario aut Martio seritur. Ut primum planta quinque aut sex folia egit, accurate sarriendum, et haec operatio, antequam tollantur folia, saepius iteranda est.

Momentum quo folia resecari debent, ipsorum colore indicatur : teneribus in foliis color, praesertim ad limbos, est laete coeruleus, jucundissimus; magis fulgens in media aetate; in maturis color coeruleus ad atrum vergit : notandum materiam

colorantem e teneribus difficilius quam e maturioribus foliis extrahi : ultima maturitatis periodo idem occurrit impedimentum; ideo medium tenendum, et folia secanda sunt cum color foliorum coeruleus saturari incipit; hoc plerumque mensis junii medio evenit, ubi prima instituitur resectio, quae quandoque quater iteratur.

Dodonaeus, celeberrimus Rei Herbariae patrius scriptor, accurate Isatidis tinctoriae culturam sermone Flandrico delineavit. Solum, inquit, sit vervactum vel pratum a 2 annis cultum. Dicit Pastellum apud Belgas, medio aprilis mense seri, quum folia duobus digitis longa sunt, sarculandum est, et brevi post rescinduntur folia. Quovis mense nova resectio pariterque nova sarritio instituuntur, quae operationes a mense maïo ad mensem septembrem protenduntur; sicque quinquies secantur folia.

A Pastellorum confectoribus abscissa folia in officinam transferuntur ibique aliquo tempore deponuntur. Deinde sub mola striata teruntur, massulae motantur et continuatur tritura donec filiorum nervi non amplius oculo cernuntur. Succus inter tritum fluens et in parte procliva molae collectus accurate servatur ut eo massulae fermentantes humectentur.

Tunc massae mittuntur sub appendice cujus solum parum inclinatum est, quo facilius succus defluens per rivulos decurrat.

In loco appendicis altiori stratum trium ad quinque pedum

e massulis formatur; tum, ut compactum evadat, comprimitur.

Brevi fermentatio succedit, massa tumefit et finditur, succusque niger ab ea defluit.

Durante fermentatione clauduntur fissurae supervenientes, et cum succo aspergitur massa.

Postquam per duos aut tres dies acta fuit fermentatio, denuo pinsitur materia, quae operatio per 20 aut 30 dies iteranda.

Post fermentationem fieri potest ut massulae nundum satis fulgeant, quapropter iterum teruntur.

Ultima hac operatione in Pastellos massulae converti possunt: quare moduli lignei rotundi ea implentur; Pastelli intus colorem violaceum induunt et gratum odorem exhalant. Moduli in locum siccum et aëri expositum transferuntur, ut siccatio obtineatur.

In pluribus regionibus ita parata placenta infectoribus divenduntur ut Isatidis tinctoriae cupas conficiant vel ut immediate colore dilute coeruleo tingant; sed plerumque aliam subeunt operationem, quae *purgatio* vocatur; et consistit in nova fermentatione et materierum insequenti desiccatione, quarum ope Indicum substantiis vegetabilibus magis denudatur; tunc demum Pastelli perfecti sunt.

Ex Clusii ad Dodonaeum additionibus patet C. Stevens et J. Libaut Isatidis tinctoriae culturam atque Pastellorum confectionem in Belgio antiquitus optime novisse et Opere de *Agricultura Belgica*, vernacule conscripto, descripsisse : quae modo exposita sunt praecepta, fortassis ex eorum scriptis excerpta fuerunt.

Tamen fatendum est Indigo arti tinctoriae multo magis quam Pastelli prodesse; nam compertum est periculis comparativis, Indicum, sub eodem pondere, materiae colorantis quantitatem 175 majorem quam Pastelli includere. Sic Pigmenti Indici 15 librae quae plerumque ad cupam conficiendam adhibentur, 2625 libris Pastellorum quoad materiam inficientem aequivalent. Inde judicandum quanta difficultas adsit ut cum solis Pastellis cupa extruatur; nam praeter impedimentum e mole ac massa ingredientis talis enatum, peritus esse debet infector ut uniformem colorem obtineat. Mirum igitur non est hocce tempore, uti jam diximus, Pastellos derelictos fere ubique esse et proinde plantae ex qua efformantur, cultura.

Attamen in quibusdam Galliae et Germaniae partibus haec planta adhuc adhibetur ut ex illa eliciatur Indigo sincerum. Praeparatio haec eodem modo ac cum Indigoferis extraneis perpetratur; folia simili modo tractantur, eadem observantur phoenomena; solummodo notandum materiam colorantem non tam facile praecipitari et ideo majorem aquae calcis copiam addendam; hinc sequitur majorem subcarbonatis calcis quantitatem efformatam faeculae elicitae junctam, tam colorem Indici debilitasse ut sic praeparatum Indigo ex India

pigmento comparari non posset : sed illud Indicum alternatim tractando cum potassa, quae materiam viridem dissolvit, et cum acido muriatico, quod sub-carbonatem calcis decomponit, obtinetur Indicum purissimum quod Gallorum fide et testimonio optimis exoticis pigmentis aequivalet; quantitas tantum multo minor est.

Extrahi quoque posset Indicum folia cum aqua calida tractando : tunc aqua calcis non petitur, nam temperatura satis evecta est ut concussu oxigenes aeris facile cum Indico, statu acidi exstante, congrediatur illudque insolubile reddat.

Genus *Indigofera*, *Nerium* et *Isatis tinctoria* solae non sunt plantae quae Indicum suppeditant. Quae infra nominabuntur illud in quibusdam suis partibus continent.

Polygona et praesertim *Polygonum tinctorium* et *chinense*, *Gallega tinctoria*, *Amorpha fruticosa*, in foliis Indicum possident.

In floribus habent *Delphinium Consolida*, *Centaurea Jacea* et *Cyanus*, *Campanula rotundifolia*, *Crotum tinctorium*.

Lonicera Pericliminum in radicibus, *Lonicera coerulea*, in baccis Indicum includunt.

Indicum adhuc praebent *Mardenia tinctoria* et *Asclepias tingens*.

Folia *Althaeae roseae*, plantae classis Diadelphiae, familiae naturalis Malvacearum, ubere apud nos in hortis cultae, magna

Indici copia referta esse nuper detectum fuit. In Anglia nunc temporis, Indigo ex illis eliciendi scopo, adhibentur. Campi ingentes *Althaeis roseis* operiuntur.

In commercio plures Indici qualitates distinguuntur, quae grano plus aut minus vero, colore plus minusve fulgenti, quantitate materiae colorantis sub eodem volumine contenta differunt.

Indici varietates maxime vulgares et frequentissimae prostantes sunt :

1°. Indigo *Guatimala*, quod ex nova Hispania adfertur et cujus egregia qualitas sub nomine *Indigo-Flore* divenditur : pigmentorum Indicorum pulcherrimum est; splendenti colore coeruleo induitur; petra ejus nullo cortice tegitur; superficies exterior eamdem ac interior faciem praebet : petra parva est, rarioris texturae et aqua specifice levior.

2°. Indigo ex Saint-Domingue, cujus duae numerantur species, coeruleum nempe et cupri colorem referens. Primum ad Guatimala proxime accedit; coeruleum, minus tamen cultum, ad balani colorem vergit : crassior ejus petra est et cortice coeruleum ardosiae colorem magis referente quam interior superficies, operta : texturae densioris, tamen aquae supernatat. Alterum nomen desumit a cupri rubri colore, quam in fractura exhibet : idem ac praecedens tegumentum habet; densum et aqua specifice gravius colorem ardosiae coeruleum refert. Praeter coeruleum et cupreum, in St.-Domingue duae adhuc conficiuntur Indici species quae horum ultimorum qualitati-

bus plus minus elucent, scilicet : *Violaceum* et *Columbarum colli colorem* referens; hoc sic appellatur quia in superficie diffracta plures inter se mixtos colores offert : splendor ejus ad violaceo-purpuraceum accedit. Violaceum minus solidum, sed parum magis consistens est quam coeruleum : ambo cupreum dotibus superant.

Post St. Domingue cupreum succedit *Carolinae Indicum;* superficies et externa et interna magis ad ardosiae colorem vergit. In commercio quoque occurrunt Indicum *Bengalense*, Indicum *Manillae*, Indicum *Madraspatanum*, Indicum *Coromandelae*, Indicum *Gallicae Insulae;* quorum Indicorum multae inveniuntur qualitates.

Nostris diebus ex insula Java adfertur Indicum optimae notae, quo infectores uberrime utuntur.

Signa igitur externa quibus variae pigmentorum indicorum qualitates cognoscuntur sunt color, textura et gravitas specifica. Sed signum, omnibus commune, quo materia haec a reliquis ei substituendis distingui potest, est nitor cupreus quem induit si superficies ejus ungui fricetur, ut jam initio notavimus. Tamen Coeruleum Berolinense sincerum ungui attritum eumdem splendorem refert. Observandum nitorem cupreum Indico jam vilissimo ope Gummi arabici ante desiccationem additi conciliari posse; idem exeri potest cum *Coeruleo Berolinensi.*

Color Indici hoc notandum habet quod ab acidis non afficiatur nisi ab acido nitrico fumante; destrui immediate non

potest putrefactione substantiae illud includentis; quod probat praeparatio ejus fermentationis ope peracta.

Non existimamus varias illas Indici qualitates a compositionis essentia dependere, nam nullum dubium exstat quin ubique sit ejusdem compositionis; differentia, quoad materiam colorantem, unice pendet a majori vel minori quantitate materiarum heterogenearum Indico adherentium et a raritate vel compactione quam faecula siccando adipiscitur.

PARS SECUNDA.

DE AGENTIBUS CHEMICIS IN INDICUM, DE INDICI COMBINATIONIBUS CUM ALIIS CORPORIBUS, DE ILLIUS COMPOSITIONE, COMPARATIONE, ETC.

PRAEDICTIS Encheiresibus praeparatum Indicum in commercium mittitur; sed in illo statu multum abest ut sincerum sit; quare hic abs re nobis non videtur aliquid de Indici caracteribus chemicis et de methodo illud purificandi enarrare.

Indicum substantia est aqua et alkoole insolubilis; acido vero sulphurico fumante frigide et complete, non fumante calide et incomplete solvitur. Ad 260° R. volatile; sub vaporis violacei forma surgit, dein cristallisat, eumdem colorem induens. Cum calce, potassa etc., una et corpore quodam deoxidante uti sulphate ferri oxidulati, muriate stanni oxidulati, sulphu-

reto arsenici aut antimonii vel hydro-sulphureto quodam solubili, hydrogenis rationem assumit et in acidum hydrogenatum, Hydro-Isiaticum dictum, convertitur.

Indicum vulgo et pro usu chemico ita depuratur ut porphyrisatum, mox cum aqua, dein cum alkoole et postea cum acido muriatico ebullitione et tandem multa aqua ablutione tractetur; sic ad $\frac{45}{100}$ reducitur, et reperitur continuisse materies heterogeneas, nempe materiem viridem alkoole solubilem, aliam substantiam viridem in aqua solutionis capacem, materiem fuscam, oxidulo-oxidum Ferri, Siliceam, Aluminam et Calcem; imo Magnesiam Barytamque includit.

Potest insuper Indicum alienis orbum obtineri, folia plantarum illud suppeditantium debito tempore collecta, primo aqua, deinde spiritu vini extrahendo, vase clauso hoc extractum concentrando et, ut jam supra monuimus, crystallisationi committendo.

Duae aliae sunt methodi Pigmentum Indicum mundandi, quarum altera per sublimationem, altera per praecipitationem perficitur.

1° *Methodus per Sublimationem.*

In crucibulo platineo aut argenteo cooperculo bene clauso Indicum contritum ponitur : tunc igne subito ad grad. 260 R. evecto calefit : quo Indicum purum crystallorum rubrarum splendore cupreo praeditarum forma crucibuli operculum petit, quae crystalli contritu pulverem coeruleum praebent,

et denuo calefactae fumum violaceum emittunt. Hac in operatione, materiae alienae, quibus junctum erat Indicum, in fundo remanent.

Indicum sublimatum defaecans et decolorans est. Donatur igitur in hoc statu carbonis animalis et vegetabilis simili proprietate.

Indicum illud sublimatum dici posset *Indigones*, et tunc Acidum hydro-isiaticum *Hydrogenes indigonatus* nominaretur. Indicum in foliis plantarum *Indigonis hydrogenati* nomen acciperet. Utraque denominatione in sequentibus promiscue utemur.

2° *Methodus per Praecipitationem.*

Sumitur solutio Indici alkalina, processu postea dicendo parata, quae aeri atmospherico exponitur. Sic oxigenis ope Indicum excretum dilabitur. In solutione calcarea, dum illa adhibetur, praecipitatum sub-carbonate calcis inquinatur, sed decomponi et dissolvi hoc potest per acidum muriaticum, quod calcem arripit et acidum carbonicum expellit : tum alkoole, quod acidum et muriatem calcis dissolvit, abluitur; dein siccatur. In hac depurationis conditione, Indicum absque residuo ad debitum caloris gradum volatile est.

Modus ultimus methodo sublimationis anteponendus mihi videtur : nam crystalli quae sublimatione obtinentur, quamvis triturio in pulverem coeruleum conversibiles, fusionis ad

ignem proprietatem amiserunt, quam retinet Indicum ex Isiatate alcalino vel alcalino-terreo dejectum et cui perfecta genuitas denegari non potest, quin admittatur Indicum impurum cum hydrogene in Acidum transmutari valere.

Acidorum Actio in Pigmentum Indicum.

Acidum nitricum fumans tam graviter in Indigo agit ut imo incendium oriatur. Ex qua vehementi actione progignuntur materies flava resinis sic dictis affinis et acidum quod amaro-flavum acidum nuncupatur : hoc in striis flavis cristallisatur; saporis est amari, adstringentis, acidi; quin disjungatur, sublimari potest; calore vel contactu corporis incandescentis horride detonat : parum aqua frigida, magis aqua calida solvitur; solutio ista gelatinam animalem praecipitat. Acidum illud sese alkalibus, terris alkalinis et metallorum oxidis jungit, formatque sales majori calore vel compressione explodentes. Si sicce distilletur, evolvuntur gaz nitrosus, acidum nitrosum et acidum borussicum. Doebereinerus existimat Acidum amaro-flavum ex ratione una acidi nitrosi, duplici ratione oxidi carbonii supersaturati compositum.

Acidum nitricum dilutum Indicum in principium scytodelphicum artificiale, amarum Weltheri ac acida oxalicum et benzoïcum transmutat.

Jam vidimus Indicum Acido Sulphurico fumante solvi : si misceantur partes octo istius acidi cum Indici contriti parte una, et miscela in phiolam leniter obturatam mittatur, post

paucas horas solutio, mox viridis, dein purpurea et tandem opace nigra obtinetur, quam aqua sensim affusa limpidiorem reddit, ita ut quo magis aqua temperatur, eo lucidius coerulescat. In hac solutione videtur vapor acidi fumantis Indicum loco aquae assumere et isto Indico saturari : vapor ille concretus cum sulphure eodem modo agit, nam pro aqua sulphur sibi conciliat, illudque in compositum Indici coloris convertit, quod calefactum in acidum sulphuricum liquidum et acidum sulphurosum resolvitur. Si corpus illud coeruleum cum Indico acido fumante soluto misceatur, et miscela potassae causticae ope decomponatur, materies pulchre viridis fundum petit et liquidum supernatans coeruleum remanet. Si praecipitatum hoc sublimationis calori committatur parca Indici quantitas avolat : creditum fuerat, sed frustra, sulphuris vaporem Indico obvium, cum illo initum fuisse connubium: solummodo in phiolae fundo repertus est pyrophorus partim flammans, partim ignescens. Combustionis residuum cinis erat qui dotibus alkalinis fruebatur.

Solubile quoque frigide est Indicum in residuo adhuc fucescente acidi sulphurici fumantis distillationi, ut vapor concretus asbestinus eliciatur, commissi, ut nobis per pericula innotuit, et etiam in acido albo limpido post oleum glaciale, ope distillationis, evocatum, remanente, quod sane mirum videri debet.

Indigo acido sulphurico simplici vel e sulphure praeparato, sed ad 24° R. calefacto non minus dissolvi jam diximus; solutio frigide succedit si acido isti parca tantum acidi fumantis quantitas addatur.

Alia acida nullam in Indicum actionem exerunt.

Notatu dignum est hasce Indici solutiones sulphurico-acidas in corpus ignitum instillatas Indicum vaporis violacei forma demittere.

Ista solutio cum Ammoniaca liquida mixta colorem viridem assumit; si cum carbone animali tractatur color Indici evanescit.

Solutio aquae chlorinae ope colore orbatur, et Indicum quasi destruitur : incassum miscelam sub-carbonate sodae saturando colorem recuperare conatus, praecipitatum obtinui e bruneo-viride quod Indici omnino dissimile erat. Tamen sulphatis ferri oxidulati additione, visus est liquor sedimentis coeruleis sparsus, et materies viridis praeceps abiit. Appareret igitur Indicum fuisse repristinatum, et praecipitatum primo loco obtentum continuisse materias alienas quibus junctum erat Indicum.

Si solutio cum alkali vel sulphate alkali misceatur, alkali cum acido sulphurico copulatur et Indicum praecipitatur nomenque *Indici praecipitati*, *Laccae coeruleae* et etiam *Coerulini* accipit. Juxta Crum duo principia peculiaria in illo praecipitato adsunt : unum, Coerulinum (coerulin) vocatum, acido sulphurico colorem largitur et est alkoole, aethere et alkalibus insolubile; alterum, coloris purpurei, Phoenicinum (phoenicin) audit. Praecipitatum cum potassa obtentum coerulino-sulphas potassae, cum soda, coerulino-sulphas sodae, cum ammoniaca, caerulino-sulphas ammoniacae nuncupatur. Sal e potassa sicca-

tus nitore metallico splendet, in 140 aquae partibus solvitur; aqua calida facile solubilis est : pars una coerulini 500,000 aquae partes colore coeruleo induit. Ex Crum sententia coerulinum ab Indico majori aquae quantitate differt. Phoenicinum habet ut gradum hydratationis intermedium inter Indicum vulgare et coerulinum.

Praecipitari potest Indicum ex solutione, si nimirum maxima additur aquae copia, donec liquidum mere acidinulum evadat: quo probari videtur acidum concentratum loco aquae Indicum assumpsisse : ex acido minus fumante Indigo multo citius dilabitur.

Si in illo praecipitato cum soda caustica reagatur, color coeruleus in viridem paulatim degenerat et praecipitatum omnino solvitur. Idem fit ammoniaca caustica itemque cum subcarbonate istius alkali; sed tamen paulo segnior est effectus.

His experientiis demonstratur pigmentum coeruleum ab acido vitriolico fumante sic mutatum ut alkalibus dissolvatur : hoc absque dubio pendet ex eo quod in praecipitatione aliquid non separandum acidi cum Indico remaneat et ita illius statum perturbet : videtur igitur praecipitatum sub-sulphas Indici sistere. Notandum alkalia maxime caustica nullam in Indicum non mutatum actionem exercere.

Acida quae Indici naturam nullo modo permutant, V. G. acidum muriaticum, id praecipitatum salvo colore solvunt; sed si acidum sit strenuum color paulum ad rubrum vergit.

Ex quo facile quoque intelligitur tincturam hanc acido-sulphuricam, quae hoc praecipitatum continet, non veram esse solutionem, cui etiam Indicum non integrum sed mutatum insit; quod etiam confirmatur eo quod calefactum praecipitatum vaporem violaceum non emittat, sed in carbonium, quin illum largiatur, convertitur.

De Acido Isiatico.

Cum de acido isiatico jam locuti simus, parum hic de ejus formatione et de quibusdam concomitantibus circumstantiis dicamus.

Ut jam notavimus, materiae quae Indicum ad connubia cum alkalinis propellit, sunt eae quae avide principium oxigeneum arripiunt, V. G., ferri oxidulum, stannique etc. quibuscum et alkalinis conflatum Indicum mutatur, quoad colorem coeruleum, qui primum viridis tum in flavum vertitur; ex quo tempore qualitas notatu digna inest fluido, tactu aëris atmospherici statim in elementa sua discedendi, quam ob causam Indicum reductum praecipitati forma fundum petit. In fluidi superficie aëri exposita, priusquam praecipitetur, cuticulae instar materia nascitur cui splendor elegans metallorum et cupri quidem simillimus est. Striae mobiles et coloris coerulei liquidi superficiem percurrunt et oculis spectaculum gratum praebent.

Cum formatione acidi Indigonici horum phoenomenorum causam quaeramus.

Sunt tres explicandi modi.

Primus. Dicitur mixtione Indici cum oxidulo ferri, aqua, et alkali, oxigenem jam in pigmento exstantem sese oxidulo ferri jungere et sic illud oxidulo-oxidare; quare Indicum oxigene destitutum in statu acidi se constituit, quod alkali dissolvitur.

Tamen, ut credo, hic explicandi modus vix admitti potest et neminem puto fore qui Indicum carburetum oxidatum azotis sustineat : eo magis quod phoenomenis infra exponendis non dubitatur quin acidum Indici hydro-acidum sit; et hoc confirmari videtur existentia Indici in foliis subhydrogenati statu : solutum esset problema, si absque oxigenis accessu alia dimidia hydrogenis ratio acido Isiatico sub-hydrogenato substrahi posset. Chemici quidam se hoc perpetrasse contendunt, cum asserant se folia macerata calori 36° R. exponendo sine aëris atmospherici actione Indicum repristinasse.

Primum quoque foret exemplum corporis quod oxigenis deperditione qualitates acidas indueret; dum oppositum quotidie observatur, et quidem phosphorus per eamdem quantitatem oxigenis acoris indolem accipit, quae Indico esset substrahenda ut acidificaretur; e contra, materies Indico affinis nempe cyanium, et quoque sulphur, selenium, tellurium hydrogenis ratione naturam acidi induunt et hydracida evadunt; nisi forsan Indicum ut acidum siccum cum oxigene haberetur. Sed hoc minus adparens est.

Secundus. Admittitur Indicum carbonio, azote et hydrogene oxidato sive aqua compositum : tum indigo hydras radicalis Indici, nempe carbonii et azotis esset. In tali hypothesi sumitur acidum isiaticum hydrogenatum, ope hydrogenis in Indico jam exstantis aquae, cujus oxigenem corpus deoxidans arripit. Tunc acidum isiaticum acidum existeret in quo sicut in iode et in chlore oxigenes dotem acidam extingueret, hydrogenes illam evolveret.

Haec interpretatio praecedenti verosimilior videtur, tamen difficilius in Indico aqua admittitur; et experimento sequenti fere probatur Indicum anhydricum existere. In phiolam optime siccam Indicum contritum et rectissime siccatum misimus, tunc chloruretum sulphuris addidimus quin certe enatum fuerit acidum sulphurosum et dejectum sulphur quod Indicum viridefecisset; sed nil simile factum est; intactum mansit acidum hyposulfurosomuriaticum. Videtur in Indico azotem aquae organisationis locum tenere.

Notandum insuper est Indicum in solutione acido-sulphurica zinci ope decolorari non posse, nisi aqua solutioni apponatur. Haec decoloratio lente procedit et color Indici diu immutatus stat; unde Indicum aqua hydratationis distitui autumnati sumus; organisationis aquam quoque non continet.

Status Indici inorganicus insuper demonstratur ex eo quod acidum sulphuricum et quidem fumans, imo hujus acidi fumus concretus asbestiformis, qui acidi subhydras sublimatus et crystallisatus est, illud, uti substantias alias organicas, non

destruat, sed potius, colore salvo, solvat. Quod certe non perficeret, si in organisationis aquam agere posset; confiteor tamen talem aquam, si Indico inesset, forsan nimis carbonio esse superstructam quam ut ab acido sulphurico et aliis dehydratantibus suscipi posset: in ligno carbonium pari ratione aquae organisatur, in saccharo duplici; in Indico pro unica organisationis aquae ratione, sex carbonii rationes sese offerrent.

Tertius. Dicitur, cum Indicum substantiis praedictis jungitur, aqua Indici compositioni aliena in elementa sua abire: aquae oxigenes oxidulum ferri ad oxidulo-oxidi statum evehit, hydrogènes ejusdem aquae Indicum petit et cum eo acidum, quod tunc alkalinis solvitur, efformat. Speciem salis aqua solubilis refert ista solutio.

Haec explicatio potius admittenda apparet: cum saepius aqua disjungatur ut alia corpora chemica ejus hydrogenem arripiant et hydro-acida constituunt. Sic, ut supra dictum, Sulphur, Selenes, Tellures, hydro-acidi indolem assumunt, cum in ipsa intime cum metallis vel metallicis oxidis alcalinis permixta aqua simplex vel in quibusdam casibus, aqua acidula infundatur. Licet igitur Indici acidificationem istorum corporum acidificationi comparare et Indici acidum hydrogenatum habere. Hoc solum intercedit discrimen Indicum aquae elementa dispertiri inter radicale et corpus quocum connubium actuale renuit; hoc caeterum inde pendet quod inter proprias partes haec elementa dispertiri nequeat et metallum repristinatum quod aquae oxigenem assumeret, socium sibi non admittat.

Ista acidi efformatio acidi hydro-cyanici efformationi non quidem similis est : nam si aqua in radicale borussicum alkali nuptum fundatur, hujus elementa inter duas radicalis partes ita distribuuntur ut duae hujus liquidi particulae proportionales disjungantur : duae oxigenis rationes ad dimidiam carbonii rationem tendunt et acidum carbonicum exsurgit; sesqui ratio hydrogenis cum dimidia azotis ratione constituit ammoniacam quae avolat et dimidia hydrogenis ratio remanens dimidium carbonii et dimidium azotis assumit, unde acidum hydro-cyanicum oritur. Alia elementorum aquae distributio intercedit dum alkalinis liquidis cyanium vel radicale borussicum gazeosum introducitur; accidit nempe tum ut aquae oxigenes ad unam medietatem cyanii accedat et ad alteram medietatem hujus hydrogenes deferatur, exsurgentibus simul acidis oxi-et-hydro-cyanicis, alkalino nuptis; nil enim simile sub hydro-acidificatione Indici evenit.

Hydrogenem indigonatum obtinuimus solutionem Indici in acido sulphurico fumante sodae hydrosulphureto tractando, quo liquidum hydrogenis sulphurati ope sulphuri commixtum colorem viridem induit et acidi isiatici dotes acquisivit : contactu quippe aëris coerulescebat, telae fragmenta solutioni immersa ad aërem coerulee tingebantur.

Istius acidi color generatim flavus est : incolor forte foret si purum obtineretur; interdum viridis est color, sed provenit ex eo quod parva Indici non soluti parte flavo acido mixta enascatur color viridis.

Ex praecedentibus facile explicantur phoenomena quae in solutione Indici alkalina de qua locuti sumus, notantur. Contactu aëris indigo acidi statu istius aëris oxiginem arripit et comburitur hydrogenes, quo fit ut Indicum repristinetur. Pellicula metallica Indico attribuitur quod splendorem cupreum refert.

Notandum in illa Indici solutione acidum isiaticum acidi vices gerere et sic cum alkali connubium inire; sed excessus alkali habetur : nam exploratum fluidum manifeste alkalinum sese nobis praebuit.

Quae solutio Indici cui hydrogenes inest hactenus non jam optime investigata est. Omnia autem quae in sensum venerunt haec fere sunt :

1° Eamdem per aërem atmosphericum et oxigenem coerulescere.

2° Cum vegetabilium et animalium fibris connubium inire quod, ab initio viride, sub aëre atmospherico coeruleum fiat.

3° Per effectum cujus modus agendi hucusque latet, ita mutari ut facultas aëris tactu coerulescendi prorsus amittatur, quo facto Indicum perditur et nullo modo restitui potest; quod fortasse disjunctioni cuidam adscribere licet; hic effectus *inversio cupae* vulgo ab infectoribus vocatur.

Hic attendamus Indicum esse materiam peculiarem quod ex acido isiatico hydrogene privato non autem oxigenato pro-

venit, substantia haec verosimiliter in foliorum parenchymate accessu azotis aëris ad substantiae vegetabilis carbonium, formatur, quibus adjungitur hydrogenes qui ex aqua lumine disjuncta proveniens, continuo oxigene comburitur et renascitur. Eodem modo fermentum, in fructibus azote ex aëre recepto, conflatur.

Non sum qui negare vellem materiam hanc indigo appellatam pro metallo vegetabili, ut a quibusdam chemicis factum est, haberi posse : opinio haec admittenda evadit si nonnullas ejus dotes, et qualis splendor metallicus, aspexeris. Analogia quidem verosimilior existere videtur, si Brugnatellio et Doebereineiro fides abhibenda est, qui amalgamationem Indici cum hydrargiro se elaborasse contendunt : alter per Indici cum metallo triturium, alter per columnae Voltaïcae actionem. Attamen res denuo indaganda est, eo magis quo multis scrutatoribus non ut illa conjungerent, contigit.

Iidem chemici judicant, cum vapor acidi fumantis in Indicum contusum agat, et producatur acidum sulphurosum, Indicumque colorem rubro-purpureum induat, indigo jam statu oxidi dissoluti existere. Telae coeruleae hydrogenis sulphurati ope decoloratio primum induxit ut supponeretur Indicum natura metallica gaudere.

Restat ut inter Indicum et producta varie colorata succorum plantarum ad aëris contactum comparatio instituatur; succus Chelidonii et Tythimali colorem flavum, Taraxaci et Rhoïs radicantis succus colorem nigrum induunt; hic ultimus primo e

planta exitu colore viridi pallido et nullomodo lacteo donatur: aëris contactu basis coloratae hydrogene orbatus hydras in colorem nigrum saturum transmutatur, qui color fortiter et absque intermedio fixante pannos imbuit.

Nondum satis constat an succus ille tam deleterius azotem carbonio suo sociatum contineat; sed basis cum colore intense nigro et splendoris vitrei carbonis animalis similitudo suspicionem adducit. Compertum est gazem qui in umbra e rhoe radicante emanat et tam metuendas erisipelas inducere valet, azote et carbonio, sed in rationibus non adhuc determinatis, esse compositum.

De Indici acidificati Solutione.

Supra jam de Indici acidificati solutione per calcem seu de isiatate calcis sermo fuit; quaeramus nunc istius solutionis partes constituentes, ad actionem quorumdam corporum chemicorum in solutionem hanc attendamus et aliquorum salium metallicorum cum solutione ista combinationes disquiramus.

Solutio qua ad experimenta cum metallorum salibus utuntur, similis fuit liquido cupae ordinariae exstructae ex Indici parte una cum calcis et vitrioli viridis utriusque partibus duabus et aquae frigidae consueta copia. Facile haec solutio obtinetur miscelam ingredientium, licet in mortario facta, lagenae inserendo et aquam, cujus ratio fere indifferens est, affundendo, occludendo epistomio e subure facto, et interdum

agitando : liquidum pro usu decapitulatur et lagena de novo arcte obturatur.

Ista solutio statu concentrato colore bruneo-flavo gaudet, qui limpidior fit si aqua coctione aëre atmospherico privata diluitur. Odorem spirat ingratum et sapore urinoso donatur.

Alkohol ex solutione diluta sedimentum atro-coerulei coloris praecipitat imminuta aquae, ut isiatatem calcis solvat, capacitate.

Acidorum actio in Solutionem isiatatis calcis.

Acidum muriaticum concentratum ex hac solutione praecipitat materiam coeruleam odoris proprii.

Acidum oxalicum, tartaricum et aceticum progignunt praecipitata albido-coerulea; praecipitatum ex acetici acidi additione ortum, minimo gaudet colore. Aëri atmospherico exposita coerulea fiunt sedimenta, tamen multo citius illud quod acido oxalico est productum, quam quae per tartaricum et aceticum facta sunt.

Cum acido carbonico et sub-carbonate potassae tractata solutio praecipitatum coeruleum largitur : cum acido nitrico atro-coeruleum.

Muriate super-oxigenato potassae materies dilute coerulea fundum petit; cum oxido hydrargiri rubro praecipitatum laete

coeruleum est; cum acido muriatico iode saturo atro-coeruleum. Haec et immediate sequentia propriis experimentis sunt excerpta.

Inutile mihi videtur Indici repristinationis causas referre; per se patent, et evidenter reactioni aëris, sub periculorum institutione accedentis, debetur.

Cum aqua chlorina Indici solutioni admiscetur, subito color coeruleus summe intensus nascitur, chlore acido isiatico hydrogenem substrahente. Color ille persistit si chlores non praevaleat; sed evanescit nulloque artificio et ne quidem hydrogene sulphurato vel hydrosulphureto alkalino repristinari potest, si praeponderans aquae chlorinae copia adsit; fluidum remanens coloris tum e bruneo-flavi est.

Color quoque reproducitur vel destruitur et praecipitatum album efformatur, si cum muriate oxigenato calcis liquido solutio misceatur.

Nunc transeamus ad salium metallicorum in solutionem isiatatis calcis actionem.

Generatim notandum venit sales metallicos solutioni additos progignere, fere sine exceptione, praecipitata quae in pluribus casibus oxidum vel oxidulum metalli cum coeruleo Indico junctum constituunt.

Omnino peculiaris est illa proprietas qua quaedam oxidula vel oxida metallica ab acidis segregantur ita ut cum Indico con-

nubia ineant, quae talem indolem habere videntur ut tanquam substantiae manifeste ex acidis cum basibus conflatae et proinde ut species salium existant.

Tam intimum non semper est illud connubium: nam facile, ut videbimus, separari potest Indicum per aeris oxigenem hydrogene privatum, remanente metallo non repristinato.

Inde probatur metalli oxidum cum acidi isiatici radicali non cum ejusdem acidi hydrogene proportionatum. Haec proportionatio intercedit ex eo quod basis acidi isiatici necessarie perpetuam rationem servet cum acido salis metallici et quoniam excessus basis in isiatate alkalino reperiatur, excessus quoque oxidi metallici in praecipitatis occurere debet; hoc insuper intervenit discrimen quod extra aërem et ad ignem per hydrogenem plerumque aliorum hydro-acidorum metalli oxidum, dummodo modice debile sit, repristinetur, et hoc neutiquam praecipitatis indigonicis contingat, quare minus pro hydro-indicoretis quam pro miscelis ex metalli oxido et acido mox isiatico et dein hujus acidi radicali sunt habenda.

Idem accidit in connubiis acidorum hydro-sulphurici, hydro-selenici, hydro-tellurici et hydro-cyanici cum metallorum oxidis, quae aëri exposita oxigeni suum hydrogenem cedunt vel renuunt prout ipsa connubia vel ex acido solo vel ex acido alkalibus vel terris alkalinis juncto enascuntur. In primo casu connubium inter hydrogenem acidi et oxidi oxigenem intercedit; in secundo casu incipitur inter oxidum et sulphur, et tum hydrogenes, uti in nostris, facile aëre comburitur: hoc

adeo verum est ut hydro-sulphureta mercurii, argenti, platini quae aliquo tempore aëri atmospherico derelicta fuerunt, hydrogene priventur et, quin acidum sulphurosum producatur, in sulphureta oxidata transmutentur. E contra, alia praecipitata calefacta in aquam et sulphureta repristinata reducuntur. Idem fit de acidis hydro-selenico, hydro-tellurico, hydro-cyanico, et verosimiliter sic quoque de acido hydro-indigonico censeri debet.

Notemus etiam acido sulphurico concentrato Indicum ex praecipitatis metallicis obtentum solvi, oxidaque integra relinqui. E contrario, acidum muriaticum oxida assumit et Indicum liberatur. Hic agendi modus acidorum istorum indoli respondet; quorum unum Indicum dissolvendi proprietate gaudet, alterum illius facultatis est impotens.

Indicum quod ex istis connubiis per sublimationem extricatur, in colore plus minus modificatur; sed crystallisandi qualitatem non amittit.

Quae composita in eo congruunt ut Indici colorem, id est, coeruleum impertiantur; quo Indici vis seu potestas chemica confirmatur. Praecipitata omnia potius ut applicatio particularum oxidi metalli cum Indici particulis, colorem conciliantibus, quam ut verum connubium haberi debent.

Ferri Indico-oxidulum et oxidulo-oxidum.

Ex mixtione muriatis ferri oxidulati cum Indici solutione nascuntur flocci viride-flavi, qui ad contactum aëris atmospherici oxigenem arripiunt et colorem atro-coeruleum induunt; idem connubium et quidem immediate vel absque aëris interventu efficit dejectio isiatatis calcis muriatis ferri oxidulo-oxidati ope, ferro oxigenem deacidificationi indigonis necessarium suppeditante. Quod si praecipitatum hoc, quod ab initio atro-coeruleum est, siccatur, frustula oriuntur quae diffracta, etiam non trita, nitore metallico splendent, quod ex magna cohaerentia quam ferri oxidulum Indico imbutum siccando adeptum est, provenit.

In dejectum illud acidum sulphuricum concentratum ita agit ut indicum dissolvatur et oxidulum ferri immune maneat: ab acido autem diluto et acido muriatico, posterius jam suscipitur et prius derelictum manet.

Necessarium non videtur hoc connubium ope attractionis electivae duplicis perfici enarrare; idem fit in sequentibus.

Si in phiola materies praecipitata igne urgetur, Indicum vaporum violaceorum forma auras petit. In crucibulo operculo cavo clauso, ita ut aqua infundi possit, calefactum et sublimatum cristallisat, oculoque praebet crystallos atro-virides ad operculum tendentes. Collecta crystallisatio et agentibus chemicis tractata induxit ut illa materies pro In-

dico natura mutato haberetur, quare *Indici viridis* nomen accepit.

Si decem ferri Indico-oxidulo-oxidi partes optime siccatae incalescunt, ita ut materia igne acta nullos amplius vapores suppeditat, in fundo remanent 3,50 oxidulo-oxidi ferri partes; hinc probatur connubium 6,50 Indici partes continuisse.

Non existimamus colorem viridem praecipitati indigonatibus et oxidulo ferri formati pendere a connubio quod coeruleo Berolinensi comparari potest, sed a colore nigro oxiduli ferri, qui nullam coeruleo Indici, acidificationis hydrogenis combustione repristinati, mutationem inducit : quum praecipitatum in oxidulo productum est, coloris est flavo-viridis, et solum aëris contactu coerulescit; dum praecipitatum ex oxidulo-oxido enatum mox coeruleum est.

Acidum sulphuricum concentratum his praecipitatis Indicum eripit et oxidulum ferri intactum relinquit. Hoc exinde provenit quod sulphas ferri summe sese in statu hydratis unica aquae ratione constituendo obstet. Contra, acidum muriaticum ferrum arripit et Indicum integrum remanet. Ex experientiis nostris elucet alkalina cum istis praecipitatis non sales salibus borussicis triplicibus analogos efformare.

Si cum azotis oxido omnino oxigene libero orbato cupae frigidae liquidum agitatur, Indicum tam complete praeceps abit quam si aëri atmospherico exponeretur. Agnitum est plantarum contusarum succos qui aëris contactu colorem accipiunt

eumdem gazem in azotem transmutare, quum succi illi cum gaze agitantur.

Cupri Indico-oxidum.

Si solutioni affundatur murias cupri oxidati, praecipitatum oritur mox colore coeruleo donatum; sed nitore metallico destituitur, quamvis ungui fricetur. Sub siccatione productum glaucum colorem accipit, destructo verosimiliter partim Indico a medietate secundae rationis oxigenis oxidi, postquam hydrogenis ratio dimidia jam est in aquam conversa. Hoc forte debetur proprietati singulari oxiduli cupri quod nedum adjuvans esset Indici dissolutionis in alkalibus, uti per pericula comperti sumus; imo in omnibus connubiis, ubi Indicum statu acidi existit, cupri oxidum illud repristinat. Oxiduli cupri quod oxigenem tam avide arripit ut illum plerisque corporibus substrahat et vix statu oxidulato nisi aëris arctissima exclusione servari quaeat, insignis proprietas hydro-acidificationem Indici non adjuvandi ab eo pendet quod sumptu oxigenis aquae prima duntaxat oxidatio perficiatur, certe ob defectum calorici in aquae oxigene ut secunda oxidatio succedat; attamen oxidulo-oxidatio ferri, per duplicem affinitatem, ex aqua obtinetur, eo sane quod oxidulo-oxidum compositum sit, ferrum vi combustibili cuprum multum superet et minus calorici requiratur ut sesqui quam ut duplex oxidatio efficiatur; caeterum, vidimus sulphureto-super-sulphuretum ferri nativum, madefactum, ad aërem efflorescere et in sulphatem oxidulo-oxidatum abire.

Frustra conati sumus acidum isiaticum alkali dissolutum obtinere, miscendo Indicum contritum cum muriate cupri oxidulati, soda et aqua. Videbimus quam utilitatem qualitas oxidi cupri salium acidum isiaticum repristinandi arti tinctoriae attulerit.

Si in phiola vitrea calefiat Indico-oxidum cupri, effervescentia, vaporis flavo-viridis formatione stipata, oritur. Vapores illi ad fistulae parietes condensantur, ostenduntque crystallos virides, aqua insolubiles; acido sulphurico si aspergantur crystalli liquidum bruneum offerunt; quod si aqua tractetur, materies viridis praeceps abit; hanc intactam relinquunt, et ammoniaca, et borussias potassae : hinc cuprum in illa miscela non reperiri, demonstratur.

Si Indico-oxidi cupri decem partes igni vivido exponuntur, avolat Indicum et in fundo observantur 5,25, oxidi cupri partes; inde dijudicatur oxidi cupri partes 4,75 Indico-oxidum cupri includisse.

Zinci Indico-oxidum.

Instillando isiatati calcis liquido e sale quodam zincico, licet muriate, prodit praecipitatum atro-coeruleum, splendore metallico, nisi supra chartam corpore laevigato fricetur, nullomodo provisum.

Plumbi Indico-oxidum.

Si acetas plumbi solutioni isiatatis calcis addatur cum excessu, materies coerulea praeceps abit, quae siccata eumdem

colorem retinet; splendor metallicus non apparet, nisi praecipitatum in charta cum corpore duro fricetur.

Si in phiola calefit, fumus purpureus exsurgit, qui refrigeratione ad vitri parietes forma crystallorum rubrarum concrescit.

Suscipiendo hanc plumbi Indico-oxidi sublimationem in crucibulo argenteo operculo ejusdem metalli clauso et quod non ultra ferventis aquae gradum incalescit, sursum fertur compositum plumbo et Indico conflatum quod proprietate stupenda colore rubro sese alkohole dissolvendi praeditum est.

Stanni Indico-oxidulum et Indico-oxidum.

Murias stanni oxidulati cum solutione isiatatis calcis praecipitatum viride ad aërem coerulescens largitur.

Indico-oxidum stanni obtinetur si Indico-oxiduli stanni solutio alkoholica supra dicta aëris influxum experiatur. Praecipitatum enatum aqua et alkohole ablutum stanni Indico-oxidum cum excessu oxidi esse videtur.

Qualitas notatu digna connubio oxidi stanni cum Indico competit; nempe postquam hydrogenes acidi isiatici aëris intermedio destructus fuerit, oxidum stanni cum Indico repristinato efformat compositum quod aqua edulcoratum alkohole colore flavo-aureo solubile est.

6*

Solutio haec spirituosa leni calore alkohole orbata, dum eodem tempore hydrogenes acidi isiatici ab aëris oxigene destruitur, concretum largitur metallici splendoris et colorem ultramarinum aureo colore intermixtum referens. Alkalia et praecipue alkohole soluta vel aliis oxidis nupta ex hac solutione alkoholica stannum Indico-oxidulatum suscipiunt et Indicum colore coeruleo dejiciunt.

Hydrargiri Indico-oxidum.

Miscendo isiatatem calcis cum muriate hydrargiri oxidati aqua soluto prodit dejectum glauco-coeruleum quod siccatum nullo pollet splendore metallico et ne quidem nitet dum supra corpus durum corpore laevigato fricatur. Sub dessiccatione colorem coeruleum amitttit et glaucum servat.

Dejectiones caeterae salium metallorum igne reductibilium, per isiatatem calcis, propter caloricum quo oxigenes in his latitans gravidus est, non solum per se vel excluso aëre dehydratationem experiuntur; sed ob defectum hydrogenis in subsale, ut omnis oxigenes vinculetur, Indici pars oxidatur et ex connubio cum oxigene dotes acidas induit et sic, cyanii adinstar, Indicum oxi-ac-hydro-acidificationis capax se praebet. Sub coloribus variis, qui cuncti a coeruleo recedunt, sedimenta ex his metallis producta adparent, et sive sponte, sive sublimationis via crystallos largiuntur omnis coloris et quarum quaedam acidum oxisiaticum sordibus inquinatum, quaedam hyper-superisiatates diversorum metallorum constituunt; indagatio-

nibus accuratioribus de hujus ox-acidi genuina compositione foret dijudicandum.

Connubiorum praedictorum notio aliquid utile infectori multis in circumstantiis adferet : nam ex colorum permutatione et ex natura physica et chemica conjunctionum Indici cum metallorum oxidis, poterit multas coloris coerulei varietates impetrare, si ante infectionem materiae colorandae variorum metallorum tinctu praeparantur. Producunt autem plumbum, stannum et zincum colores lucidiores : ferri oxidulo-oxido color eleganter atro-coeruleus progignitur.

De Indici sinceri partibus constituentibus.

Ex Indici analysi novissimis his temporibus instituta constat Indici principia proxima esse ratio una carbonis animalis cum 3 carbonii rationibus vel ratio una cyanogenii cum 5 carbonii rationibus.

Principia remota referunt ratio una azotis et sex rationes carbonii.

Fieri potest ut accuratior Indici analysis patefaceret illud pigmentum 5 carbonii rationibus loco rationum sex conflari. Quae compositio cum saturationis capacitate quae azotes in oxigenem exerit, cujus 5 rationes arripit, congrueret.

In sulphuris alkohole animadvertitur carbonium 4 sulphuris

rationes, uti in acido carbonico totidem oxigenis rationes accipit, sibi adjungere. Sulphur cum tribus phosphori rationibus compositum liquidum efformat, quod quidem majorem sulphuris copiam sibi vindicare valet; sed in illo composito combustibile hoc tot phosphori rationibus potitur, quot in acido sulphurico oxigenis rationes assumit.

Ardua Indici decompositio ex eo pendet quod in ratione qua principia ejus constituentia reperiuntur, nullum ex aquae in elementa partitione corpus determinatum oriatur.

Si mirum est azotem rationi aequali carbonii elasticitatem permanenter impertiri, res mirabilior evadit si attendamus eumdem azotem cum 6 ejusdem combustibilis rationibus sese sublimandi facultatem communicare.

Exploravimus variae originis et qualitatis Indicum, quantitatem determinatam hujus acido sulphurico fumante dissolvendo, et e solutione constanti modo concentrata muriatis oxigenati calcis addendo, donec color, qui primo viridis erat, colorem flavum induerit. Fundum petit sulphas calcis, et color chlore destruitur. Ex solutionis muriatis oxigenati quantitate requisita ut Indici color evanescat dijudicatur quantum principio coloranti dives sit Indicum. Aqua diluitur acidum sulphuricum in quo Indicum solutum est, antequam addatur murias oxigenatus. Oxigenes muriatis non in chlorem et in sulphatem conversi, pro dimidia tantum parte colorem abrumpit, quod integre perficitur chlore muriatis decompositi.

Invenimus Indicum quod ad aspectum principio colorante ditissimum videbatur, et quadruplo minori muriatis oxigenati quantitate quam Indicum sublimatum colorem amittebat. Hoc caeterum tanta ad solutionem acidi sulphurici fumantis copia indigebat quanta Indicum cujus destructio majorem muriatis oxigenati quantitatem postulabat.

Acidi Isiatici partes constituentes sunt ratio una acidi hydro-cyanici cum 5 rationibus carbonii vel ratio una carbonii subhydrogenati, ratio una azotis et 5 carbonii rationes pro principiis proximis; pro remotis, ratio una azotis, ratio hydrogenis et 6 carbonii rationes; in acido isiatico 5 carbonii rationes $\frac{1}{2}$ oxiduli ferri in acido ferro-borussico et $\frac{1}{2}$ sulphuris rationis in acido sulpho-borussico vices gerunt.

Quidam oxigenem in Indico admittunt; sed si oxigenem includeret, acidum sulphurosum ejusque salia illum Indico arriperent.

Non negamus Indicum colore imbutum esse valere hydratem naturalem azotis-carburati et hydratem permanentem vel cujus aquae hydratationis oxigenes solus amovibilis est, ita ut in acidum per oxigenis istius ablationem conversione ex substantia hydratica substantia hydrogenata evadat. Exempla alia dantur in quibus corpora aquae hydratationis pulchrum colorem debent : coerulei berolinensis, tam Indico dotibus suis externis similis, color purpureus et splendor cupreus aquae hydratationis reputandi sunt : multa oxida et salia ab aqua colorem suum mutuantur. Olim creditum fuit alkalium me-

talla esse hydrates in aquae oxigene reductione erepta, ita ut alkalia vulgaria cum hydrogene sisterent; sed opinio illa diu stare non potuit, quum demonstratum fuit alkalina in reductione sua, praeter aquae hydrogenem et oxigenem, proprium suum oxigenem amittere. Numerus Indici tam evectus et saturationis capacitas qua oxida assumit, diu obstabunt ut cognoscatur an pro acidificatione Indicum 1 hydrogenis accipiat vel 7 $\frac{1}{2}$ oxigenis perdat.

Probabile est Indicum non tam cito arte productum fore, propter difficultatem azotem majori quam in carbone animali quantitate carbonii saturandi; deinde difficilius adhuc est carboni animali auferre azotem, qui connubia directa plerumque respuit.

Verosimile est acidi dotes ex Indici azote evolvi, quoniam in cyanio, quod multo minori carbonii proportione donatur, idem effici quoque posse videmus.

Acidum hydro-isiaticum, nec phosphoro hydrogenato nec hydrogeni carbonato, ut aliqui dicunt, sed hydro-acidis selenico, sulphurico et cyanico comparari potest.

Alii hydrogenem inesse volunt : quod si fieret, acido sulphurico fumante Indicum hydrogene orbaretur, avolante acido sulphuroso.

Hydrogenis existentiam probare tentant, dicendo, cum oxidulum ferri cum Indico aqua et alkali est in contactu, so-

lummodo dimidiam oxigenis rationem posse oxidulum ferri capere et sic dimidiam tantum hydrogenis rationem ad Indicum abire valere; proinde, ut narrant, Indicum jam hydrogenatum erat et statu indigonis hydrogenati nedum radicalis simplicis statu existit; sed hic objici potest duas oxiduli ferri rationes cum ratione una Indici proportionari.

Verosimile igitur est principia praedicta vera existere.

Fermentum easdem ac Indicum partes constituentes habet; sed insuper tres aquae rationes possidet, unde hydras Indici reputatur.

Hic ad alias carbonii cum azote proportionationes attendamus. Primo loco venit connubium inter rationem unam azotis et rationem parem carbonii, quod Cyanium efformat. Tunc Carbo animalis qui ex azotis ratione una et carbonii rationibus tribus conflatur. Dein una azotis et sex carbonii Indicum componunt. Demum Morphium enascitur ex unione rationis unius azotis cum carbonii rationibus duodecim. Omnia igitur haec composita seriem singularem praebent ex 1, 3, 6, 12 carbonii rationibus cum una azotis.

Immota manet azotis particula : proportionatio igitur azote perficitur; carbonium nuptum huc solummodo tendit ut ex azote quasdam compositis singulis addictas dotes evolvat.

Notatu dignum est Indicum et cyanium ad aciditatis dotem propendere, cum hydrogene azotem petente acida effor-

mari possint; carbonium igitur hic proprietatem hanc determinat. E contra, in Morphio carbonium alkalinum statum inducit, uti ex hydrogene in azote qualitas haec enascitur ad ammoniacam formandam : sic duodecim carbonii rationes in Morphio trium hydrogenis rationum locum tenere videntur.

Quamvis indicum vel potius acidum isiaticum nullam aliis corporibus communem proprietatem induere videatur, tamen in pluribus connubiis analogiam quamdam cum acidis hydro-cyanico et gallico habere apparet; ita ut pro coloratione e jactura vel totali vel partiali hydrogenis orta et aliis dotibus acidum isiaticum acidis hydro-cyanico et gallico comparari possit.

1. Tria illa corpora e basi vegeto-animali oriuntur.

2. Praecipitant solutiones metallicas : nempe connubia cum metallorum oxidis ineunt et praecipitata diverse colorata largiuntur. Acidum isiaticum cum ferri oxido praecipitatum atro-coeruleum tribuit : acidum hydro-cyanicum eodem cum oxido praecipitatum coeruleum, *Berolinense Coeruleum* dictum, efformat : acidum gallicum eidem oxido junctum colore nigro induitur, cui composito nomen *Attramenti* defertur.

3. Acidum carbonicum acidi isiatici cum alkalibus juncti connubia partim destruit : necessarie et integre cum terris alkalinis idem accidit et quoque connubiis similibus cum acidis borussico et gallico.

Radicale borussicum hydrogenatum productum quoque ve-

getabile est et, ut Indicum hydrogenatum, quamvis indolis animalis sit, a plantis elaboratur.

Relaturi hic sumus experimentum quo confirmatur Indicum et cyanium analoga existere.

Primo cognoscitur ambo volatilia esse.

Miscuimus Indicum cum nitrate potassae, et in crucibulum candens, ut inde deflagratio oriretur, projecimus : post deflagrationem peractam, residuum, quod nigrum erat, collegimus et illud in aqua dissolvimus; tunc filtrationis ope praebitum fuit liquidum limpidum fere incolor : huic liquori addidimus sulphatem ferri oxidulo-oxidati; statim efformatum est sedimentum ex albo-coeruleum; hoc praecipitatum aëri atmospherico exposuimus, et parca acidi muriatici additione pulcherrimum coloris coerulei sedimentum enatum est. Praecipitatum hoc omnibus coerulei berolinensis dotibus fruebatur, quare existimamus illud ferro-borussuretum sub-hydrogenatum oxiduli ferri sistere. Iteratum experimentum idem sedimentum nobis praebuit. Notatu digna est illa pigmenti Indici in coeruleum Berolinense transmutatio.

In hac operatione explicanda notandum, primum venit, ope oxigenis acidi nitrici nitratis potassae, quinque carbonii rationes tum acidi carbonici tum oxidi carbonii forma avolasse; residuum igitur erat cyanuretum potassae : mixtione cum aqua illud in hydro-cyanatem potassae abiit compositum, propter nempe aquam disjunctam; tunc sulphatis ferri oxidulo-oxidati

ministerio intervenit decompositio : acidum sulphuricum potassam assumpsit, oxidulo-oxidum ferri dimidiam oxigenis rationem acido hydro-cyanico largitum est, proinde dimidia hydrogenis ratio combusta fuit et sic acidum hydro-cyanicum sub-hydrogenatum oxidulum ferri arripuit et efformatum est coeruleum berolinense. Carbo animalis eodem modo, ope corporum oxidantium vel quae carbonium assumunt, in cyanium mutatur.

Periculum instituimus an cum muriate super-oxigenato potassae Indicum detonationem ederet : quare miscelam grosso modo factam super cupreum mortarium percussimus; sed nulla explosio ne quidem strepitus audita sunt; dein materiem fortiter et per concussus in mortario contrivimus, quin exorta fuerit detonatio. Per aliquantulam sulphuris contusi additionem ex arenati fundo crepitus propulsi sunt. In argenteo cochleare miscela calefacta brevi deflagrationem subiit, flammaque alba, lata, in inferiori parte purpureo colore intertexta aspectui sese praebuit; in fundo sal inquinatus remansit.

Alia miscela cum Indici excessu flammam non suscepit : adjecto sulphure nulla pariter combustio intercedit. Coagmentata majori salis copia flamma alba, flavo, viridi et purpureo coloribus intermixta, oculos grate percussit. Eorumdem ingredientium nova conflatio flammam extensam cujus dimidia pars laete bruneo, dum altera dimidia intense albo et purpureo remixto colore induebatur, monstravit. Nihil fulgentius splendidiusque mirantium visui unquam sese obtulit. Indico cum nitro in argenteo

cochleare igni exposito evolvebantur flammulae intermixtae quarum singula e materiis diversis proficisci videbatur; flammae varie coloratae et solitariae ad inaequales altitudines surgebant. Flammulae flavae numero eminebant, virides, purpureae, rubrae et coeruleae pauciores inveniebantur. Muriate super-oxigenato potassae, iode et Indico simul coadunatis, levissima calefactione enatus est vapor violaceus, spissus, enormis, qui ad altissimum chemicae officinae lacunar usque sese extendit ibique, aliquo tempore moratus, mirantibus adstantibus conspectus est.

Miscendo Indicum cum magna muriatis superoxigenati potassae quantitate auras petiit flamma albo-coerulea, sed vivida, quin facta fuit detonatio: solummodo stridenti non deflagranti jactu in aëra sese tollit vapor. Explosio effectus esse videtur massae gazis oxigenis subito sese expandentis, vel vaporis aquei, gazis acidi praeexistentium et omnino efformatorum, potius quam gazis in aëre se evolventis mox postquam productus fuerit.

Mixtione Indici cum nitrate ammoniacae igne acta, materia primo remollescit per salis fusionem et forsan per aquae separationem; tunc materies tumefit, sed nec inflammatio nec stridor evenit: Indicum intactum relictum est. Quo probatur acidi nitrici oxigenem potius ad ammoniacae hydrogenem et azotem quam ad Indicum contendisse. Progenita est aqua et azotis oxidum produci et connubio exui debuit.

Amylaceo-saccharum liquidum et debite dilutum, fuit cum

Indico alkoholisato tritum et calori 16° R. commissum. Erat hoc saccharum, quod unam octavam rationis amyli immutati continet, amylo radicis Solani tuberosi, acidi sulphurici intermedio, elicitum; brevi motus quidam fermentatorius supervenit qui sensim crevit; sed semper placidus mansit; visibiliter eadem qua progrediebatur fermentatio celeritate, color Indici imminuebatur, donec tandem et nequaquam impedito aëris accessu prorsus evanuerit, in acidum hydro-isiaticum Indico converso. Odor alkoholicus in liquido erat manifestus, et acidi carbonici efformatio aperte patebat e strepitu quem sub evolutione gaz ille edere solet, ac punctura qua nares ferit; sic, hoc in experimento, indicum partes carbonii simul et fermenti egit, quoniam hydrogenem aquae decompositae susceperit et saccharum ad fermentationem induxerit. Jam dubitandum superest utrum Indicum aquae elementa inter proprias partes vel inter suam substantiam indivisam et sacchari carbonium, seposita hujus aqua, dispertiverit, nascente in priori casu acido oxisiatico. Liquidum cum incluso in vase aëre concuti potuit, quin color coeruleus reproduceretur; additum tum fuit e potassa liquida caustica donec sapor alkalinus proeminebat, quo statim et absque concussione cum aëre flocculi Indici repristinati apparuerunt.

Exitu tam optato compulsi fuimus ut experiremur quale productum foret enatum e deflagratione fermenti cerevisiae albidae, edulcorati et sedulo siccati, cum subcarbonate et nitrate potassae; res ad votum successit, nam residuum e deflagratione aqua lixiviatum et per chartam colatum sulphatem ferri chlo-

ris ope oxidulo-oxidatum factum, colore coeruleo pigmenti borussici dejecit. Experimentum illud postremum aliud nobis suggessit, nempe fermenti cerevisiae ejusdem et Indici actionem in subcarbonatem potassae seorsim tentandi. Hunc in scopum commixtae fuerunt utriusque partes aequales, scilicet subcarbonatis et fermenti ac ejusdem et Indici, et miscela calcinationi ignitae fuit commissa; fermenti cum alkali residuum aqua lixiviatum coloris erat fusci et carbonium insolutum manserat; cum sulphate ferri lixivium commixtum largitum est coeruleum borussicum, adspectus quidpiam sordidi; Indici vero cum sale lixivioso residuum rufo colore induebatur et materiam ejusdem coloris, sed intensioris, in filtro reliquit; filtratum autem sulphatem ferri sub colore viridi dilutissimo et sordido praecipitavit; unde conjecimus indigo sub calcinatione in auras magna ex parte avolasse.

Verosimiliter omnes carbonii cum azote proportionationes eodem modo in cyanium et sic in coeruleum berolinense abire possent; carbonium tantummodo evocandum foret : hoc fieri videtur, quia cyanium infimam carbonii cum azote proportionationem refert.

Legimus in *Ephemeridibus chemicis Belgicis*, tom. III., ferri sulphuretum in crucibulo, in quo quondam alkali phlogisticatum fuerat confectum, calcinatum per solutionem in aqua praebuisse liquorem qui cum acidis coeruleum borussicum formosissimum abundanter suppeditabat; e deflagratione, ut eodem loco legitur, nitratis sodae cum supertartrate potassae, exorta

est fluxus nigri species cujus lixivium cum sulphate ferri hydroborussureto-borussuretum hydrogenatum oxiduli ferri (est hoc nomen scientificum genuinum *coerulei borussici*) optimae notae largitum est, quod nequaquam pro dejecto dilutius coeruleo salis ferri per acidum tartaricum habendum erat.

Forsan analysis accuratior, ut jam diximus, demonstrabit Indicum quinque potius quam sex carbonii rationes includere; quo experto, carbonium azoti pro oxigene staret ut pro eodem principio stat carbonio sulphur in alcohole Lampadii, phosphoro idem sulphur in phosphoro-sulphure liquido et carbo elemento acidificanti aequipollens pro saturatione se praeberet. Nullum tamen compositum juxta leges chemicas efformatum e dispertitis aquae constituentibus inter similis connubii componentia exsurgeret, nisi carbonii quatuor quintae connubio exirent et exoriretur e quinta residua acidum oxalicum et prodiret eodem tempore ammoniaca; sed tum cyanium et non Indicum in aquae constituentia reageret. Forsan quoque sexta carbonii ratio aquae conjungentis quae necessarie acido nitrico inest, partes agit et hujus aquae munus prope compositum e quinque-rationibus carbonii cum una azotis adimplet; aqua nimirum in hoc acido ex oxigene vim suam conjungentem desumit.

Carbo animalis pro rationibus carbonii cum acido nitroso per se persistenti, quoad oxigenis istius acidi rationes, congruit; complectitur enim hic carbo tres carbonii rationes pro una azotis. Nitras potassae cum pari ratione potassae causticae ad subincandescentiae calorem ut oxigenis unam quintam deperdat

actus, dein pari ratione carbonii animalis sinceri in crucibulum candens ut deflagret, per vices projectus cyanuretum laudatissimum sui alkali suppeditat; quatuor nimirum rationes oxigenis cum una e tribus carbonii rationibus acidum carbonicum efformant, dum duae superstites cum una e duabus rationibus azotis, scilicet carbonis animalis et acidi, duplicem rationem cyanii proferunt, a duplici ratione potassae, quae adest, excipiendam.

Indicum crudum acido sulphurico fumante calefactum sub evolutione gazis acidi sulphurosi in oleum fuscum, aquam colore fulvo inficiens, abit. Hoc in experimento Indici resolutio in partes mutatas ab acidi oxigene perpetratur.

Compertum est acidum sulphuricum e sulphure confectum quod cum sulphure ebullitioni protractae committitur, nancisci vim magis energicam Indicum dissolvendi; quod nostro judicio potius ab acidi concentratione ex ebullitione orta quam a mutata acidi indole est repetendum.

Si cyanio addi posset carbonium, fortasse successive carbo animalis, Indicum, morphium obtinerentur.

Vapor Indici expansionem 4 aequalem habet; componitur ex 24 voluminibus carbonii et 4 azotis ad 4 condensatis ; juxta legem reductionis infinitae voluminum 4 superiorum ad 4, inter combustibilia acidifiabilia.

Numerus aequipollens Indici, ratione compositionis habita, 82 $\frac{1}{2}$ aequat; sed nondum satis constat an isto numero cum hydrogene in acido isiatico proportionetur. Arduum esset illud

determinare. Quod si fieret, facile animadverteretur an Indigo, ut acidum fiat, unam hydrogenis rationem assumat, an unam oxigenis rationem deperdat; sed evenire posset ut sensibilis ponderum differentia non deprehenderetur.

Putavimus Indicum posse e solutione sulphurica alcoholis ope dejici, quin compositum duplex enascatur, ut hoc, dejectionem per alkalina perficiendo, evenire solet; spes nobis affulgebat posse sic via humida Indicum sincerum et alienis expers constitui: ut scopus ille adimpleretur, saturavimus uncias quatuor acidi sulphurici fumantis notae laudatissimae, Indico selecto: una sexta ponderis acidi fuit ex pigmento praeterpropter assumpta; liquidum fuit dein leviter calefactum ut solutionis capacitas augeretur, et per partes exiguas ex novo Indico fuit adjectum; pluries disparuit, donec tandem insolutum mansit; comperti sumus sub calefactione continua quidpiam acidi sulphurosi emergi; instillavimus dein acido pondus par alcoholis 38° et indesinenter agitavimus; vix erat miscela peracta, quum odor aetheris suavis quaqua versum fuit sparsus; atra erat et opaca, sed nihil subsidebat; liquidum vitreum retortum immisimus et balneo arenae vitro collocato ac excipulo admoto, commissurisque firmatis, destillationi ad calorem ebullitionis subjecimus: prodiit aether alkohole permixtus; residuo in retorta affusae tum fuere unciae duae alkoholis et destillationi miscela fuit commissa: spiritus evocatus vix liquorem anodinum spirabat et, servato eodem caloris gradu, brevi transire desinit. Liquorem superstitem exploravimus et experti sumus illaesum mansisse colorem atro-coeruleum, sed dilutiorem eva-

disse; caeterum, pelluciditate fruebatur et nil acoris consueti amiserat. Pars hujus potassa caustica et pars ejusdem alkali sulphate fuerunt commixtae; in utroque casu praeceps ivit sulphas potassae et Indici. Pars tertia zinci floribus fuit saturata; inde enatus est sulpho-vinas zinci crystallisatus, sal qui hucusque chemicos latebat, et Indicum simplex deciduum fuit latum; in perficienda priori periculorum specie odor aethereus intensus sese manifestavit. Quartae tandem parti liquidi residui e muriate calcis oxigenato liquido fuit sensim admixtum, donec colore nitus esset orbata; ex hoc experimento exsurrexit praecipitatum albidum notas sulphatis calcis prae se ferens. Per haec conjuncta patet Indicum ab acido sulpho-vinico dissolvi et cum eo sulpho-vinatem vel rectius, sulphatem aetheris et Indici efficere. Repertum a nobis est super-sulphatem potassae ad aërem siccum dilapsum, Indicum quocum teritur, suscipere et in *coeruleum mirabile* transmutare. Calor, ut susceptio adjuvetur, est adhibendus; hunc in scopum mortarium in aqua fervente collocatur. Hanc methodum *coerulinum* sibi comparandi ulteriorem indagationem merere judicamus.

Residuum confectionis aetheris per acidum sulphuricum leni igne concentratum cum Indico, decapitulationis ope alcoholisato, calori modico commissum, hoc dissolvit et sulpho-vinatem Indici coloris coerulei pallidi in viridem vergentis constituit. Sulpho-vinas hic Indici diutius ad ignem, accedente aëre, persistens se praebet quam super-sulphas aetheris simplex.

Pauca nobis de Indici et isiatatis calcis in animalia viva actione dicenda judicamus.

Indicum statu integro nullam in corpus deleteriam impressionem exerit.

Sed a longo jam tempore infectores notum habebant canes qui cupae ad gossypium tingendum destinatae liquorem lamberant, morte plecti. Istius actionis causam auripigmento quod cupas ingrediebatur, referebant.

Recentiora experimenta probant effectum istum non auripigmento sed isiatati calcis adscribi debere, nam e cupis frigidis ubi nulla auripigmenti pars invenitur, sumptus fuit liquor ex isiatate calcis constans et liquidum hoc canibus porrectum est. Brevi post liquidi deglutitionem convulsiones, vertigines, subsultus tendinum et tandem mors orta sunt. Idem liquor ab hominibus degustatus anxietates praecordiales, obnubilationes et dolores colicos produxit.

Ex his patet Indicum coeruleum innocuum esse, statu vero acidi alkali aut terrae alkalinae juncti, effectus deleterios exhibere. Indagandum esset an acidi puri statu eosdem effectus exerceat.

Ignari huc usque sumus de methodo qua Angli foliis *Alceae roseae* pigmentum coeruleum, Indici succedaneum, eliciunt. Interea temporis enarrabimus quaedam quae per pericula nobis de florum materia colorante innotuerunt. Comperti enim sumus infusum florum quos varietate flore roseo saturo excerpimus per lumen reflexum colore coeruleo intenso, per lumen autem refractum, colore rubro indui; alkohol ex eo infuso

faeculam laete coeruleam deciduam ire cogit; idem facit sulphas aluminae et potassae nec non murias stanni oxidulati; acetas plumbi faeculam viridem dejicit. Pannum laneum coeruleo obscuro inficit; qui color saturatior exsurgit, pannum sulphate ferri imbuendo. Alkalina in illo per viridescentiam, acida vero per rubescentiam, se adesse indigitant.

In flores varie coloratos, eadem pericula instituta, exitum habuerunt nempe : infusum aquosum florum recentium, varietate atro-fusca desumptorum, a reactivis nominandis sequentes mutationes induxisse expertum est.

Coloris violacei diluti haec infusio erat. Acidum sulphuricum debile hanc colore rubro saturo induxit.

Subcarbonas potassae liquidus faeculam viridissimam ex ea dejecit : liquor superstes ejusdem coloris erat.

Alkohol nihil effecit.

Alumen colorem violaceum saturatiorum fecit, sed nihil praeceps ire coegit; additus fuit sub-carbonas potassae, qui laccam pulchre coeruleam praecipitavit.

Acetas plumbi mutavit colorem in viridem amoenum et ejusdem coloris praecipitatum sponte provocavit.

Murias stanni oxidulati mutationem coloris in violaceum obscurum induxit et dejectum eodem colore tinctum attulit.

Infusum florum alborum a variis supra adhibitis reagentibus vix quidpiam est expertum; infusum flavidum erat et producta ejusdem coloris. Hoc idem de floribus flavis est dicendum.

Florum rubrorum infusum eadem fere passum est ac atro-fuscorum, sed colores rubri splendidissimi successerunt; cum acetate plumbi praecipitatum enatum est dilute viride, cum alumine et potassa, fuscum sordidum.

Infusum florum varietatis sature violaceae cum albo variegatae, incolor erat.

Acidi sulphurici additione in rubrum dilutum migravit; cum potassae sub-carbonate laete viridem colorem assumpsit.

Cum alumine et potassa, dilute viride suppeditavit praecipitatum.

Simile cum sale Saturni.

Cum muriate stanni dejectum protulit dilute et jucunde rubrum et quasi roseum.

Ex his, nostro judicio, deduci nequit mutationes supra enarratas colorum Indico in floribus Alceae latitanti esse adscribendas, quoniam nihil Indici naturae in iis elucet; color coeruleus e contra ab acidis transitum in rubrum et ab alkalibus in viridem necessarie experiri debuit.

Flores varietatis atro-fuscae per ventum agitati statuam e

gypso qui sulphas calcis est, prope quam crescebant affricantes, eam macula conspicua coloris coerulei, Indici splendidissimi aemula, infecit. Partem maculatam madefecimus tum liquore alkalino, tum liquore acido; ad prioris contactum color coeruleus in viridem, ad posterioris, in rubrum transmigravit. Caeterae varietates nihil simile praestiterunt.

Tentavimus ex dissolutione concentratissima isiatatis potassae et qualis exsurgit coeruleum gossypii pannis adplicaturum, gallice *bleu d'application* dictum, aquae quam minima copia lixiviando, acido tartarico acidum isiaticum seorsim ponere; sed res minus prospere successit, nam Indicum maxima ex parte repristinationem subiit.

PARS TERTIA.

Enarratis jam Indici analysi ejusque ad alias materias habitu, restat ut ad artes Indici applicationes recenseamus. Usus pigmenti Indici frequentiores ad artem tinctoriam vulgo *tincturam* dictam referuntur.

Ars tinctoria in vegetabilium substantiarum tincturam et in tincturam animalium fibrarum dividitur.

Varii sunt modi quibus Indicum ad coeruleam tincturam ab infectoribus paratur; sed potissimum ad materias inficiendas utuntur apparatu qui vulgo *cupa* vocatur.

Cupa est vel *frigida* vel *tepida*, vel *calida*: haec *fermentatio-*

nis vel *auripigmenti* ope conficitur. Successive tres illas cupas examinabimus.

Notandum cupas praesertim cupam frigidam plerumque adhiberi ut materiae vegetabiles rarius animales inficiantur.

Cupa frigida.

Ad cupam frigidam perficiendam, generatim sumuntur boni Indici librae octo, quod accurate, ut inde oriatur pulvis subtilis, cum aqua conteritur; tunc in cortinam ligneam immittitur; deinde sexaginta librae calcis aqua extinctae adduntur; admiscentur tum sexaginta sulphatis ferri oxidulati aqua soluti librae; denique duae muriatis ammoniacae librae aqua soluti instillantur et cortina aqua repletur. Plures infectores loco muriatis ammoniacae sex vel octo libras calcis praevalentes ponunt; sed multi contendunt salis ammoniaci officio colorem et pulchriorem et solidiorem evadere : sed plerique neutram additionem consulunt. Olim insuper risigallum adjungebatur et a quibusdam quidem sublimatum corrosivum, sed inconsulte. Angli pro cupa frigida has sequuntur rationes : Indici alkoholisati pars 1, sulphatis ferri oxidulati et calcis utriusque partes 2, aquae sufficiens quantitas ut commode infectio perficiatur.

Miscela peracta agi incipit, qua agitatione connubia brevi succedunt. Primum calx sulphatem ferri aggreditur et proportionatio inter tres calcis rationes, duas sulphatis et unam Indici intercedit. Duae calcis rationes sulphatem disjungunt et

altera Indicum dissolvit : sal ammoniacale idem ac ratio calcis ministerium praestat.

Alia formula est quae cupa calida vocari solet; commiscentur nempe intime partes sex calcis vivae cum partibus duabus Indici laevigati; huic miscelae, in aheno nitido positae, adfunditur sensim aquae sufficiens copia : deinde modice ad ignem calefit et adduntur sulphatis ferri viridis partes quinque. Semel, semelque agitatur materies ut sulphas solvatur et a calce disjungatur; liquor, postquam spissum subsedit, coloris flavi est et pellicula splendore cupreo fulgente obtegitur; tunc limpidum in aliud vas effunditur, decapitulatur et infectio instituitur. Ex tali cupa 500 ulnae telae lini colorem coeruleum saturum suscipere valent et totidem insuper ulnae a liquore residuo, tincto pallido infici, quod *maculare*, *tacheter*, belgice *smetten*, ab infectoribus vocatur.

Secundum processum jam antiquitus adhibitum potassa cum paulo minori pondere suo vitrioli viridis Salisburgici copia in aqua solvitur. Est hoc vitriolum sulphas ferri oxidati sulphati cupri oxidulati junctum. Aliquot diebus exactis, decantatur aqua et additur Indici sesqui major quam potassae copia. Miscela per 24 horas quieti committitur, dein tantum calcis quantum potassae immiscetur. Post horam, materiae infunditur aquae decantatae pars, et loco calido per 14 dies reactio expectatur. Tandem reliqua aqua adjungitur, et pigmentum frigide adplicatur simul atque substantiae inficiendae sunt. Cupa rite clausa durantibus operationibus esse oportet. Tinc-

tura splendidior evadit, si auripigmenti tres quartae potassae partes usurpantur. In processibus technicis generatim auripigmento attribuitur qualitas colorem vividiorem efficiendi et cupreum repercussum cupae inducendi. Haec compositio *coeruleum infectorium* audit.

Ad praeparandum applicationis coeruleum, una ex sequentibus methodis eligitur.

1° Sumitur pars una potassae in deliquium delapsae, dimidia Indici contriti et cribro succreti pars coagmentatur, additur dimidia pars calcis efflorescentiam passae, tunc eadem auripigmenti aut risigalli quantitas : post horae quadrantem gummi arabici $\frac{1}{3}$ vel $\frac{3}{4}$ partis admiscentur. Quae praeparatio telarum impressioni aut picturae dicatur. In gummi arabici locum substitui potest amylum.

2° In alia formula solvitur pars una potassae in pari aquae copia, per telam colatur solutio et evaporatione coarctatur; tunc apponitur 1 $\frac{1}{4}$ Indici cribro succreti aut leviter calefacti pars; dimidia calcis in pulverem delapsae pars et $\frac{3}{4}$ auripigmenti vel risigalli immiscentur. Injicitur tandem gummi arabici tantum quantum pro consistentia optata requiritur.

3° Immittuntur in tres aquae pintas unciae duae vel tres rubiae tinctorum radicis et quinque vel sex unciae potassae; exiguo tempore ebullitioni committitur miscela et per telam colatur : tunc liquido infunditur sesqui Indici subtilissime pulverati uncia. Materiae per dimidiam horam agitatae adduntur calcis

extinctae unciae sex et duae unciae vitrioli Salisburgici et mixtio per horae quadrantem igni exponitur. Deinde adjunguntur unciae quatuor auripigmenti contriti, et quum color pellicula splendore cupreo operta reperitur, pro quaque materiae duplici pinta, $\frac{3}{4}$ librae gummi arabici dissolvuntur.

Textorum infectio uti pictura et impressio mediante Indico commodum praebent quo caetera pigmenta minus praedita sunt; nempe, absque intermedio fixante applicari color valet, et filum aut pannus sine alia ac tersu praeparatione infici possunt. Fibra et vegetabilis et animalis colorem Indici per affinitatem immediatam recipit et illum pertinaciter figit. Color insuper solidissimus est ex eo quod a decolorantibus fortioribus alterari nequeat. Vidimus per affinitatem superstitem post binarum fibrarum in carbonem vegetabilem et animalem conversionem liquida Indicum continentia ab istis carbonibus colore adhuc orbari. Notandum peculiariter erit corpora quae majori carbonii vel azotis quantitate solum differunt, tam validam reactionem destructionis, vel si vis, appropriationis physicae possidere.

Alia tincturae cupa sic conficitur : extinguuntur et diluuntur in quintupla aquae copia calcis librae tres. Postera die adjiciuntur sodae crudae libra semis et librae tres sulphatis ferri; si spissior est materia, paulum aquae adjungitur : calefit miscela et infunditur Indici optime contriti libra sesqui. Qualibet tertia hora agitatur per 8 ad 14 dies miscela : curandum ut cupa panno laneo tegatur : tunc additur aqua donec mixtio libras 50 includat. Plerumque infusio quatuor vel sex

librarum radicis rubiae tinctorum vel ligni campechiani aquae isti admiscetur.

Inter operationem aqua in elementa sua abit : oxigenes sulphatem petit et dimidiam oxigenis rationem oxidulo ferri largitur, qua hoc oxidulo-oxidatur : hydrogenes aquae disjunctae sese confert ad Indicum et illud in statu acidi constituit. Animadvertamus ad minus duas sulphatis ferri oxidulati particulas pro una Indici adesse debere; nam ferri oxidulum dimidiam tantum oxigenis rationem accipere valet, unde patet dimidiam solummodo hydrogenis rationem Indico tribui posse.

Indici acidificatio circumstantiis sequentibus determinatur : in miscela reperitur ferri oxidulum, quod quidem oxigenem avide arripit, sed oxigenis absorptio fieri non potest quin alkali adsit : hoc probatur ex eo quod Indicum cum sulphate ferri oxidulati absque alkali vel terra alkalina mixtum omnino non mutetur. In mixtione igitur adsit necesse est corpus quocum Indicum jungi valeat; et tum maxime calx istum effectum producere potest. Itaque, ex una parte Indicum acidificationis avidum dissolvens invenit, ex altera oxidulum ferri oxigenem appetens ad illum recipiendum apprime idoneum est; proinde aquae disjunctio inducitur et sic connubia succedunt.

Si hoc in processu Indici acidificatio ab oxigenis jactura potius quam ab hydrogenis acquisitione esset repetenda, effectus e simplicis attractionis exertione, nempe oxiduli ferri di-

recta cum oxigene conjunctione oriretur, dum in hypothesi opposita, duplex attractio intercederet et quidem hydrogenis aquae in Indicum et ejusdem liquidi oxigenis in ferri oxidulum.

Brevi post apparet spuma coerulea, et liquidi superficies nitore metallico cupreo splendet; hoc ab Indico aëre repristinato provenit. Si tunc mediante instrumento fundum petente agitatur tota miscela, videtur fluidum flavum vestigiis coeruleis sparsum : color ille ex acido isiatico, ex oxidulo-oxido ferri et calcis sulphate praecipitato, pendet. Si tunc cupa quieti committitur, liquidum colore flavo-viridi induitur.

Cupa materias inficiendas recipere potest postquam decem aut duodecim horis quieverit. Primum in cupam immergitur textum, aliquot minutis in liquido relinquitur, tunc extrahitur. Color panni exeuntis viride-flavus se prabet; sed primo aëris atmospherici contactu color viridis coeruleus evadit. Ut color iste coeruleus citius appareat et vividior sit, texta in aliud receptaculum aqua acido sulphurico acidinula repletum mittuntur, quo fit ut calx quae cum acido isiatico pannis adhaerebat, acido sulphurico resumatur et praecipitatum inde natum ablutione dejiciatur linteumque elegantius relinquatur : tunc tela abluitur et aëri exposita siccatur.

In hac tinctura videtur acidum isiaticum textum penetrare et in omnes ejus partes per vasa capillaria sese diffundere : aëris contactu Indicum dissolventem hydrogenem amittens repristinatur et fibrae vegetabili firmius applicatum remanet.

Coerulei varietates substantiis tingendis duplici modo conciliantur : primo per immersionum numerum, secundo per Indici in cupam dissoluti quantitatem : sunt enim infectores qui 15 libris Indici ad cupam conficiendam utuntur.

Ut saturus color enascatur, texta quinquies vel sexies in cupam demerguntur; bis terve, si lucidior desideretur color. Plerumque gradatim ex pejore in meliorem cupam mittuntur panni.

Alia est methodus cupam frigidam conficiendi : nempe sumuntur sex calcis vivae partes et cum Indici contriti partibus duabus miscentur; dein miscelam hanc modice calefaciunt; tunc adduntur 5 partes sulphatis ferri oxidulati : in hac praeparatione eadem ac in praecedenti observantur phoenomena : materiae calefactae in cupam aqua frigida repletam infunduntur, dein tingitur; cupa haec tepida vocatur.

Plures infectores, postquam cupa fere exhausta est, aliam componunt; alii e contra ipsam cupam reficiunt; quae operatio gallice et sermone technico dicitur : *donner un brevet.*

Primum considerandum est ferri sulphatem deesse posse, manente calcis et Indici excessu; tunc certa sulphatis soluti quantitas inseritur. Dignosci potest sulphatis penuria, si cupa inspiciatur, quae tunc est coloris nigridi : si calx deficiat, color est rufus; tunc calx additur.

Quandoque cupa calce et sulphate simul eget, interdum

Indico. Haec omnia melius discernuntur si, hausto per cupulam quidpiam liquidi, per successivas additiones et mediante panno immerso accurate quod ingrediens in defectu vel excessu est exploratur.

Haec cupa, cujus compositio simplicitate singulari eminet, plerumque ad filum et telam e lino inficienda adhibetur.

Cupa frigida per menses plurimos salva servari potest; ad superficiem adparet cuticula coerulea ex Indico repristinato cum sub-carbonate calcis commixto enata; haec cuticula, ab infectobus *pallium* dicta, impedit quominus liquidum remanens a contactu aëris repristinationem experiatur. Mira videri debet repristinatio Indici a sulphate ferri oxidulo-oxidati ut et ab hydrate oxidulo-oxidi recens praeparato et adhuc e praeparatione humido, qui effectus vere anomalicus dici potest; sulphate ejusdem metalli simpliciter oxidulati, cupae post subsidentiam et decantationem addito vel mox sub dispensatione ingredientium in excessu posito, una cum acido isiatico et sulphate calcis, oxidulum praeceps fertur.

Cupa hac lanae ac serici fila et panni inficiuntur. Infectio tepide perficitur; colorem cyaneum perennem indipiscuntur et qualis absque injuria saponem fert.

Quidam infectores cupae frigidae adjungunt, sive sodam, sive potassam, unde isiatas calcis harum basium isiatatibus commiscetur. Alii adjungunt muriatem ammoniacae, ex quo hujus alkali isiatas et calcis murias cupae liquido insunt; sed

addimenta similia, quae prorsus supervacanea sunt, apud infectores suae artis compotes omnino obsoleverunt.

Cupa in qua sulphatis ferri cum defectu calcis reperitur, ita disjungitur ut enascatur Indico-oxidulum ferri e basi sulphatis cum acido isiatico, unde cupa ea ratione qua permutatio illa basium et acidorum contingit, in egestatem dilabitur; Indico-oxidulum autem ferri, antequam aëris contactum expertum sit, statu isiatatis extat et ab oxidis fortioribus in partes resolvitur; quare, dum cupa nigridine sulphatis ferri excessum indigitat, mox calx addenda venit donec viriditatem pristinam recuperaverit et sedimentum e viridi-flavum colorem induerit. Possunt tamen, ut supra monuimus, indicationes oppositae ex iisdem coloribus intercedere.

Cupa cum sulphate ferri calide a quibusdam exstrui solet; assumunt enim potassae partes duas, eas aqua dissolvunt, per elutriationem clarificant et cum parte una Indici pollinacei ebullire cogunt, ab agitatione vix desistendo.

Ex altera parte aqua extinguitur calcis vivae pars una et eodem liquido diluitur ut lac calcis tenue exoriatur; seorsim deinceps aqua dissolvuntur sulphatis ferri partes duae; ex commixtis et simul rite agitatis ac aqua multa dilutis, exsurgit cupa quae post diem alterumve usui infectorio adaptatur.

Cupam hac methodo exstructam intensiorem pannis colorem consiliare e majori isiatatis potassae quam calcis in aqua so-

lubilitate facile concipitur et interpretatur. Superfluum censemus monere sulphatem ferri oxidulo-oxidatum, ut qui oxigene saturior est, nullam in conficiendo cupam obsequium praestare, quare forsan non inconsulte agunt ii qui, ut certius oxidulatus sit sulphas, hujus solutionem cum rubia comminuta ebullitioni committunt, unde excessu oxigenis orbatur. Hydras ferri oxidulati recens dejectus efficacius quam hujus sulphas oxigenem sibi vindicat.

Cupa non tantum ob temperaturam ad quam exstruitur quam ob eam ad quam immersiones perficiuntur, frigida, tepida et calida nuncupatur, quae diversa omnino esse debet prout vel lana, vel seta, vel linum, vel gossypium aut cannabis inficienda sunt.

Multum Indici, quod telae infectae superficialiter quasi incumbit, deperditur; potest illud levi affrictu a tela et quidem a solertissime abluta divelli. Quare congrue agerent qui hunc pigmenti excessum cupa absque Indico exstructa arriperent et denuo in usum consuetum protraherent.

Nonnulli, et inter eos, ni fallor, summus Bertholletius, autumnantur Indicum per affinitatem electivam a basi alkalina ad fibram inficiendam accedere; nostro vero judicio, sal integer vel in partes irresolutus fibram pervadit et modo hygrometrico madefacit, et tum primo disjunctio intercedit cum ad aëris contactum, uti in cupae liquido, pervenit, et basis alkalina Indico hydrogene destituto solvendo impar fit.

Cupa Fermentationis ope.

Cupa haec ex aqua, potassa, Indico, rubia tinctorum et furfure componitur. In cortina cuprea calefit mixtio et interdum agitatur. Fermentatio, ut dicitur, intercedit et aqua disjungitur; sed verosimilius existimatur rubiam materiae colorantis hydrogenem amittere, qui hydrogenes Indicum acidum efficit, quod alkali solvitur. Rubia compositionis mutationem experitur, qua colore coeruleo verosimiliter induitur, nam colorem per Indicum praebitum intensiorem facit, non quidem propter rubrum, cum liquidum ex hujus cum coeruleo mixtione purpureum evaderet, sed propter coeruleum vel saltem nigrum quod in liquore diffundit. Sub calefactione cortina arcte est obtegenda.

Statim ut liquidi superficies pellicula cuprea vestitur, cupa ad inficiendum apta est. Sub cuticula color liquoris viridiflavus est; pannus immersus colorem habet viridem, qui aëris tactu in coeruleum transit.

Haec cupa, ut substantiae laneae et setaceae tingantur, generatim impenditur.

Cupa fermentationis e Glasto.

Vera cupae fermentationis species ea est quae e glasto et Indico conjunctis exstruitur; quoniam partes fermentationis

compotes glasto insunt. Cupae exstructio ita concinnatur: isatidis maturae et comminutae octo librae cum aquae calidae quantitate requisita macerationi committuntur; post aliquam moram adfunduntur unciae duae fermenti cerevisiae aqua temperati, et materies sedulo agitatur; operculo tegitur vas: laete viridescit materia; aqua frigida additur et duo pastelli placenta adjiciuntur ac pistillo ligneo subiguntur; iterum tegitur. Intercedit fermentatio, quae compescenda est, modicam calcis copiam introducendo, prout debito strepitosior fit. Simul ac striae cyaneae ad cupae superficiem adparent, duae immittuntur Indici alkoholisati librae, et vivida agitatio instituitur. Post quatuor horas exploratur cupae color per linteum huic immersum; si viridis sit et ad aërem cito coerulescat, res ad votum successit. Interea temporis fermentatio progreditur, et dum aequos limites superat, calce compescenda denuo est; avara vero manu terra haec est addenda, quoniam fermentationem ultra modum cohibere et penitus extinguere potest. Quod ubi evenit, glasto contuso et ad priorem quantitatem immixto est reficienda. Cupa haec ad praecedentem redit et isiatatem calcis includit, quare hujus terrae immissionibus successivis munus acidum isiaticum, prout efformatur, excipiendi competit. Eodem tempore quo fermentationis impetum moderat, calx acidum carbonicum ex fermentatione et per aquae in partes resolutionem ortum sibi adnectit et sub-carbonatis statu cum eo praeceps it. Cupa haec magis quam caeterae inversioni obnoxia est et quandoque in ea pigmentum ita destruitur ut nullum hujus vestigium supersit, quod Bergmanus excessui Phlogisti, vel, quod idem sonat, hydrogenis, adscribendum

censebat; et forsan coloris discessus a conjunctis carbonii per aquam organisatione, acidificatione et hydrogenatione ac cum azote ad rationem a prisca diversam copulatione est repetendus.

Olim sola illa cupa pro inficienda lana adhibebatur. Cupa e pastello sine Indico non nisi pallido colore lanam tingere valet.

Extrui quoque ita solet cupa fermentationis via e glasto; pastello comminuto et in lebete locato, affunditur decoctum e Reseda luteola, Rubia tinctorum et furfure; ebullitioni post breve tempus supersedetur et aqua, refrigerandi animo, adjicitur, dein quieti committitur; resedae stipites auferuntur, et liquidum continua sub agitatione in cupam ligneam transfunditur.

Cooperculum cupae imponitur; post horas sex vivide agitatur, quod singula tertia hora, et donec striae coeruleae ad superficiem adpareant, reiteratur. Calx in pulverem delapsa tum adjicitur; ex ea additione cupae color mutatur et ad coeruleum atrum vergit; flatum quoque acriorem emittit.

Brevi post, Indicum sub aqua tritum et a triturio adhuc madidum introducitur, et alacris permixtio instituitur. Quod si percutiendo exterius cupam, spuma pulchre coerulea ascendit, cupa inficiendo apta declaratur. Sub perficiendis cunctis operationibus, aëris accessus sedulo est avertendus, tum ut debitus calor servetur, tum ut a repristinatione Indicum impediatur.

Duae mutationes adversae cupae cum glasto accidere possunt, quarum altera a calcis defectu, altera ab ejusdem excessu est repetenda : inducit enim calcis moles aequo minor putredinem, pigmenti deperditione stipatam; ejusdem copia justo major liquidi nigredinem producit et cupa despecta evadit. Huic defectui per corpora quae calcem dejiciunt et qualia sunt supertartras potassae, acidum carbonicum et alia, obviam ire conantur infectores; sed raro optatum exitum obtinent : cupa enim putredinem experta pertinaciter omnem suam spem frustrat.

Cupa Auripigmenti ope.

Ad cupam hanc exstruendam pars una potassae, calcis et auripigmenti cum Indici sesqui parte in cortinam transmittuntur. Primum potassa calcis ministerio caustica redditur; tunc aqua additur in eaque miscela dissolvitur auripigmentum; denique Indicum apprime tritum injicitur : intercedit aquae disjunctio; hydrogenes Indicum petit et oxigenes ab arsenico resumitur; quo acidum isiaticum, sulphur et secundum arsenici oxidum enascuntur : in hac operatione verosimile est mox hydro-sulphuretum arsenici efformari et Indicum ex hoc composito, non vero directe ex aqua, hydrogenem suscipere, et sulphur cum oxido arsenici congredi.

Cupa haec pauca aqua confecta et consistentiae spissae cum gummi arabico vel amylo cocto obtenta in gossypii bapheis ad usum protrahitur, vel ut color coeruleus, vel ut viridis color

praebeatur; ut color viridis producatur gossypii panni flave tincti in auripigmenti cupam immittuntur, vel linteis coerulee infectis tinctura flavida applicatur.

Certo certius praestaret hanc cupam ita exstruere ut praevie potassa, calcis ope caustica facta, arsenici sulphuretum dissolvat et dein cum Indico teratur; eo saltem impediretur ne infector compagem cretae efformatae et calcis insolutae debellandum habeat; sed haec est consuetudinis potestas ut vix expectari possit hanc correctionem in bonam partem accipi ab infectoribus, qui nimis praejudicio indulgent sine calcis interventu cupam qualemcumque exstrui haud valere. Liquidum auripigmento onustum, non nisi post adjectum Indicum, aqua temperandum esset; tamen Indicum a plurimis ante auripigmentum lacti e potassa et calce adjicitur.

Quidam huic cupae, postquam exstructa est, varium pondus vitrioli viridis, quo proposito sane ignoramus, addere solent.

Eodem scopo ac sulphuretum arsenici inservire posset sulphuretum stibii nisi e copula dimidiae rationis sulphuris cum ratione integra suboxidi stibii exsurgeret pulvis ruber qui subsulphuretum hujus suboxidi est. Ope zinci a solutione potassae causticae Indicum dissolvitur, quod non aeque bene a ferro perficitur, etiamsi absque Indici adjuto a posteriori non a priori metallo aqua in partes resolvatur, suscipiente tamen oxigene aeris hydrogenem aquae.

Supersulphuretum potassae aqua solutum Indicum hydro-

gene onerando et eo onustum suscipiendo impar est; hoc, vel a majori acidorum hypo-sulphuroso et hydro-sulphurico quam Indici acidificati cum potassa affinitate, vel a defectu suscipientis pro sulphure hydrogene orbo dependet; sulphureta metallica et composita e duplici combustibili acidifiabili hoc excipiens in metallo vel combustibili altero sub-oxidandis possident.

Stanni oxidulum potassa caustica liquida solutum Indico subito indolem acoris infert: acidum cum potassa copulatur et stanni oxidum dejicitur; haec praestans methodus est cupam obscure tingentem sibi comparandi; indagandum foret periculis accuratis quid praestarent sulphuretum ferri simplex et hujus metalli hydro-sulphuretum nec non sulphuretum stanni simplex, sulphuretorum arsenici in erigendo cupam partes agentia vel ut horum succedanea adhibita.

Cupa e Lotio conflata.

Cupa lotii, gallice *à l'urine* dicta, isiatatem ammoniacae continet. Aliis minus fugax est et per longum tempus asservari potest, quin inficiens vis imminuatur. Sequenti modo praeparatur haec cupa: lotium post moram plurimarum dierum a sedimento decantatur; dein ad gradum infra ebullitionem incalescit et spuma aufertur; ignis amovetur, et, pro 240 pintis liquidi, Indici in pollinem redacti unciae 4 adjiciuntur; rite permiscentur et unciae 4 aluminis adduntur; cooperculum imponitur et calori post extinctum ignem superstiti per noctem relinquitur;

colorem nacta erit dilute viridem et ad usum erit adaptata. Ammoniaca, prout ex ureae disjunctione prodit et dum adhuc nascens est, Indicum, quod simul hydrogenem accipit et dotes acidas induit, assumit. Quo vetustior similis cupa est eo materia tingente ditior esse debet, dummodo Indicum quod illam onerat, abundet; notum enim est in lotio ammonica magis magisque efformari. Indicum una cum azote hydrogenatur, altero indolem acidam, altero indolem alkalinam induente.

Processu vulgari in lotium putredine correptum matronae Indicum tritum injiciunt et post breve tempus lanam immergunt, quae viride tincta exsurgit et ad aërem cyanea evadit. Quidam, ducibus Hellot et aliis, cupae e lotio rubiam tinctorum adjiciunt.

Infectores Indicum quoque consumunt ut *telas* sic dictas *pictas* (*toiles peintes*, *Indiennes*) conficiant. Harum telarum duae sunt species, et fundus vel albus est vel pallide coeruleus.

Ad hoc perpetrandum miscela utuntur gallice *reserve* vocata, quae ex $\frac{1}{4}$ sulphatis cupri librae, libra una sub-acetatis cupri, septem aceti pintis dissolutorum et in pultim reductorum $\frac{1}{2}$ amyli libra, et 10 cretae libris, quae sales ambos disjungit, constat. Adduntur quoque interdum $\frac{1}{16}$ librae aluminis, $\frac{1}{4}$ saponis albi et $\frac{1}{2}$ gummi arabici. Omnia simul ebullitioni committuntur.

Ut hoc compositum telis applicetur frustula lignea in qua-

drata efformata et proëminentiis armata eliguntur; quadrata in miscelam immittuntur et tunc seriatim in telis imponuntur, quae siccantur et dein ut aliae tinguntur.

Cum extrahuntur telae, partes quae mixtione de qua dixi, imbutae fuerunt, a colore coeruleo immunes remanent et eumdem ac ante immersionem colorem servant. Hoc effici videtur oxido cupri duorum salium creta disjunctorum : oxidum hoc, ut jam notavimus, illico acidum isiaticum assumit, illud per secundam rationem sui oxigenis repristinat indicumque sibi adnectit et quin pigmentum telae adplicetur, vetat : Indicum deacidificatur et compositum insolubile, quod cupri Indico-oxidulum vel indigonuretum oxiduli cupri est, efformatur : pinguedo saponis ab acidis salium alkali expulsa hic forte aliquo modo quoque agit, nempe illius ope quin liquidum inficiens partes servatas permeare possit, impeditur.

Si fundus albus esse debet, miscela tegens telae albae imponitur, dein tela inficitur; si fundus dilute coeruleus desideratur, tela semel in cupam immittitur, dein applicatur miscela, et denuo immergitur donec color optatus obtineatur.

Alia compositio tegens, *reserve*, haec est : sub-acetas cupri aceto saturatur et ad siccitatem evaporatur; tum argilla alba, terra fistularum tabacinarum dicta, additur donec pultis consistens proferatur, qua, aqua gummi spissa debite madefacta, tela locis haud inficiendis obtegitur : simplicissima haec formula est et efficacissima praedicatur.

Idem obtinetur, sed via omnino diversa; inficiuntur enim ista methodo hae delineationes quae in processu *servationis* incolores persistunt. Discrimen in eo situm est quod in altero casu fundus tectus albus maneat et delineationes infectae efficeantur, in altero, fundus inficiatur et delineationes albae maneant; pigmentum sic impositum *coeruleum anglicum* et *faventinum* nuncupatur. Ita peragitur res : mox Indicum subtilissimum cum sulphate ferri commixtum telae ligni incisi ope adplicatur, dein calcis lacte diluto tela immergitur; postea solutionem ejusdem sulphatis pervadit ; dein iterum per calcis lac transmittitur, et hoc vicissim quater repetitur; tandem solutione potassae debili imponitur et, postquam in ea per horam morata est, acido sulphurico dilutissimo et tepidefacto abluitur ut a calce ac ferri oxidis mundetur.

Color lucidior vel obscurior exsurgit prout Indici ad sulphatem ratio imminuitur vel augetur.

Multi infectores oxidi cupri proprietate Indicum per regenerationem producendi utuntur ut hoc exhauriantur cupae in quibus pannus immersus colorem dumtaxat pallidum vel vix ullum assumunt.

In hunc finem lintei sulphate vel acetate cupri humectantur, tunc in cupam demerguntur : sic Indicum fere omne eripitur; dein lintei in nova cupa ponuntur Indicumque denuo dissolventibus cedunt. Id minime, uti quidam putant, et inter eos artis peritissimi, ideo perficitur ut hoc inficiantur Indico, sed ut color a linteo excipiatur et in cupam aliam

transferatur : est enim Indicum a cupri oxido dejectum inficiendo nequaquam adaptatum, et illud ipsum quod in liquido inficienti optime solutum haeret aegerrime internas lintei vel fili partes pervadit ut hoc sectio eorum transversalis indigitat.

Quandoque infectores eodem modo agunt cum Indico acido sulphurico fumante dissoluto et aqua temperato, quod linteorum alborum ope acido substrahitur; Indici pannorum auxilio cupa conficitur. Hujus operationis officio color coeruleus ex Indico depurato splendidior evadit.

Alii, et hoc praecipue tempore quo evectissimo praetio Indicum divendebatur peragebant, pannorum variae indolis fragmenta et partes qualescumque extra usum positas acido sulphurico concentrato immergebant; quo color detrahebatur et iterum infectioni inserviebat. Pannus textura turbatus Indicum amittit.

Secunda tincturae methodus, qua ad extrahendum ex Indico pigmentum utuntur infectores, illa est quae ex Indico ab acido sulphurico fumante dissoluto obtinetur : tinctura haec *Saxoniae coeruleum* (*bleu de Saxe*) et *coeruleum liquidum*, (*bleu en liqueur*) vocatur.

Ista Indici tinctura sequenti modo componi solet : duae Indici subtiliter triti unciae in phiolam vitream conjiciuntur et superfunduntur unicae duodecim acidi sulphurici fumantis, oleum vitrioli et acidum vitriolicum nordhausianum dic-

ti, quoniam ferri vitriolo eliciatur et technice Nordhausii praesertim praeparetur: laxe obturatur lagena et frigide perficitur solutio (1).

(1) Jam diximus faciliorem solutionem Indici per acidum sulphuricum e sulphate ferri elicitum quam per illud ope sulphuris praeparatum praesentiae vaporis concrescibilis in priori acido esse adscribendam; est enim ille vapor concrescibilis ita constitutus ut aquae rationem dumtaxat dimidiam pro ratione integra acidi anhydrici includat; ad omnem temperaturam in aëre volatile est et ejus vapor fumum spissum, lente surgens et undulatorie sese movens, spargit; absque residuo ullo et omni atmospherici aëris hygrometrica conditione, ad molem qualemcumque vaporisatur; unde elucet aëris humorem minime appetere, ab aëre autem avide dissolvi et hujus humido sensim condensari; vasis clausis, infimo calore jam expellitur et ad minimum decrementum temperaturae concrescit, vegetatione crystallina subpellucida splendidissima et undulationi metallicae qui gallice *moiré métallique* audit quam simili, parietes excipuli obsidens. Ab aqua huic quamvis candidissimo sensim addita vel humore aëris quocum vase ampliori includitur mox nigrescit et dein fucescit, liquidum tandem fuscum proferens; eumdem colorem acido sulphurico e sulphure, concentrato, incolori, adjuvante leni incalescentia, conciliat, et ex eo, calore parum evectiori, iterum expellitur; hunc vaporem, ad ebullitionem levem perducto calore, sequitur alius qui concretus est et *olei vitrioli glacialis* nomen fert et prioris ac acidi liquidi absoluti rationibus paribus conflatur; pellucidum est, grave, glaciforme et ita tenax ut vix cultro conscindi possit; progressu destillationis transit acidum partim concretum et partim liquidum, nivi subliquatae non absimile, quod fumare pergit; educta illa cuncta penitus colore expertia sunt, et acidum fumans, per se fuscum, eadem qua illis orbatur ratione, albescit, donec tandem candidissimum evadat; incassum tentari vidimus vaporis levioris cum illo acido residuo iteratam conjunctionem, quae non magis calide quam frigide succedit; concretus vapor praeterea, qui in acido modice calefacto liquidi fundum occupat, adaucto caloris gradu, illud vaporis forma pervadit et ebullire cogit; nec acidum glaciale calore in constituentia resolvitur, sed immutatum per destillationem ascendit; sine praevia liquatione vasis obturatis vapor asbestinus sursum fertur, et hoc idem strenuo et repente admoto calore, unde liquationis impatiens dici potest. Ante vaporis subpellucidi emissionem, acidum fumans bonae notae 67° in areometro B. indigitare consuevit; post hanc emissionem, 66°; evocato vero acido glaciali, 65°, et postquam eductum est acidum hemiliquidum, 64 $1/2$°; nihilominus, acidum ita debilitatum non gravius Indicum frigide et complete dissolvit; et, uti supra diximus, connubium arctum cum vapore asbestino concreto renuit. Caeterum, acidum sulphuricum fumans maxima ex parte concrescit ad gradum frigoris

Huic acido illud quod e sulphure obtinetur suppeditari potest, sed tum calor et quidem a 24 ad 30 graduum R, in auxilium est vocandus; a triturio, minus ab agitatione, est abstinendum; exsurgit liquidum spissum, atrum et opacum.

16^m R, qui gradus praecise obtinetur nivem cum sale marino contuso celeriter commiscendo; perfecta congelatione, haec usque ad gradum caloris 8^m persistit, et postquam demum liquatum est acidum, ad 0° iterum conglaciatur, quasi ex priori congelatione majorem ad insequentem propensionem nancisceretur. Haec et infinite alia quae enarrare prolixius foret, sub oculis nostris a solertissimo et perspicacissimo Viro, HENSMANS, Matheoseos et Physices Doctore, in hac Academia Periculis Chemicis absolvendis praeposito, quem amicum habere mecum fortunam meam multum laudo, peracta sunt.

Praecipiente Doebereinero, cum vapore sulphuris asbestino conjunximus indicum pulverisatum : ut hoc fieret, parietes excipuli capacitatis mediae, qui erant ex praeparatione hoc vapore vestiti, conspersi fuerunt pulvere Indici; mox ad partes in contactu perfecta est conjunctio absque liquatione, et dein, exorto calore, cum liquefactione et sub gazis acidi sulphurosi evolutione, penetratio generalis successit. Color tunc temporis erat splendide purpureus, et paulo post, decrescente calore, concrevit materies, crystallos exhibens ejusdem coloris et quibus erant quaedam incolores; sic unitae fuerunt Indici et vaporis concreti praeterpropter partes aequales et utriusque non minus quam dragmae tres. Admota fuit pruna una ulterave candens unde magis coiret et arctius copularetur materies; sed propositum hoc fuit incassum tentatum, et progressu caloris constituentia corporis purpurei potius sejungebantur, vapore ad parietem oppositum translato et Indico sui juris facto, quo etiam pristinum colorem recuperavit : tunc excipulum rite clausum linteo fuit obductum et hoc aqua ferventi copiosa irrigatum; quo quaquaversum vapor acidus diffundebatur et color purpureus una et forma crystallina evanescebant; exinde jure dici potest vaporem in unum cogere impossibile esse; in mentem dein venit inspergere materiam sulphuris floribus ablutis et rite siccatis; apparuit mox color ex omni parte viridis : successit huic color coeruleus, sensim accrescens et qui tandem universalis factus est; sub spontaneo temperaturae incremento haec colorum mutatio producebatur; unde patuit sulphur Indicum vapore acido expulsisse; iterum calor fuit adhibitus, quo vapor acidus, concretus, incolor surgit et color viridis passim rediit e sulphuris repristinati cum indico miscela. Tandem adjuncta fuit aqua, exiguas per partes ne nimio evoluto calore excipulum resiliret; enatus est modicus calor et infinite demissior quam qui e sinceri vaporis cum aqua congressu exortus fuisset; quo probatur connubium arctius vaporem acidum inter

Solutio non adeo ut praedicatur a concentratione summa acidi pendet, quoniam acidum fumans, quod tam potenter Indicum suscipit, post expulsionem vaporis concrescibilis et antequam humor aqueus exierit, gradum duntaxat 65um Baumeanum indigitat.

et sulphur quam inter illum et Indicum intercedere; sensim color universaliter viridis apparuit et, addita multa aqua, materia superstes hunc servavit; quae res palam facit vaporem acidum statu concreto in sulphur extensiorem solutionis capacitatem exerere quam statu liquido, quoniam viridis color e miscela Indici cui vapor acidus valedixerat cum sulphure per aquam dejecto proficisci debuerit. Adjungendum superest subhydratem sulphatis Indici colorem rubro-violaceum solutione in acido sulphurico vulgari minime amittere; aquae vero additione cum coeruleo consueto permutare.

Dum copula supra notata, ex Indico et vapore asbestino, cum sale marino decrepitato miscetur et conteritur, color purpureus evanescit, et auras petit gaz qui, collectus et exploratus, acidum muriaticum simplex cum acido muriatico-sulphurico intermixtum sese ostendit. Triplex horum gazium fontem interpretandi norma occurrit, scilicet, 1° vaporis anhydrici partis medietas suscepit acidum muriaticum radicale eo ipso tempore quo altera medietas ejusdem vaporis hoc muriate expellere conata est. 2° Oxigenes medietatis vaporis anhydrici cum acido radicali muriatico connubium inivit, et chlorem efformavit, qui acidum sulphurosum sibi adjunxit. 3° Oxigenes medietatis vaporis anhydrici sodam in metallum repristinatam a chlore distraxit et sodii oxidum cum altera ejusdem vaporis medietate congressum est, nexu inter chlorem et acidum sulphurosum perpetrato. Pars hydrica vaporis, in quacumque hypothesi, et sive aqua vaporis suscipiat acidum muriaticum radicale ab acido sulphurico e soda fugatum, sive ejusdem liquidi oxigenes chlorem sodio ejiciat et hydrogenes cum chlore sui juris facto coeat, unde, in utroque casu, acidum muriaticum gazeosum et sodae sulphas proferuntur. Sic, ut una enascatur acidi duplicis ratio, quatuor vaporis asbestini et totidem muriatis sodae rationes sunt adhibendae. Similis intercedit disjunctio, sed permutatione elementorum multum dissimili, e triturio vaporis asbestini a sulphure coerulefacti cum eodem sodae muriate: acidum muriaticum simplex gazefit et gaze acido sulphuroso intermiscetur. Acidum hypo-sulphuroso-muriaticum e chlore sulphuri nupto procedit. Idem qui in praecendenti processu interpretando valuit sermo theoreticus huic enucleando adhibendus venit.

Collocando sub campana tabula lignea imposita vaporem ex Indico violaceum et acidum

Tunc sensim sensimque 91 partes aquae purissimae adduntur, et granula pigmenti, si quae insoluta supersint, in mortario fictili comminuuntur. Sic coerulea tinctura nascitur, quae tamen, ut pellucida fiat, multa aqua dilui debet, quanquam in centenario vix unam Indici partem habet. Quo probatur Indici coloris intensitas, quae tanta est ut 240 panni ulnae libra una Indici infici possint; sed sub fine pallidissimus est color.

Panni prius aluminis et cremoris tartari solutionibus madefacti in tincturam sic praeparatam immerguntur in illaque satis diu remanent ut color coeruleus substantias rite imbuat : quo facto, retrahuntur, abluuntur aqua pura et aëre siccantur. Animadvertendum colorem tali tinctura obtentum fugacem existere et materias tinctas immitti non posse in liquidum quod alkali quoddam includit : etenim vel prima ablutione color fere omnis evanescit; hoc verosimiliter pendet ex eo quod Indicum acido fumante tali modo mutetur ut facile ab alkalibus solvatur. Manus tinctura ista maxime in-

muriaticum concentratissimum, seorsim in scyphis vitreis inserta, et hermetice commissuras firmando, brevi gaz acidus muriaticus ad vaporem, vi quasi attractiva allectum, defertur, aquam parti hydricae vaporis tradit, et acidi radicalis statu cum vaporis anhydrica parte sistit acidum muriatico-sulphuricum, quod neque ab acido residuo retinetur, neque ab acido muriatico absorbetur. Acidum hoc residuum alteram aquae rationem acquisivisse reperitur et Indicum in eo solutum colorem coeruleum nativum recuperavisse. Substituendo, sub campana, vaporem e sulphure coeruleum vapori ex Indico purpureus surrecto, eadem conspiciuntur phaenomena, eo excepto, quod ab acido residuo sulphuri valedicatur; mirum satis videri debet hoc in casu acidum sulphurosum sulphuri a chlore antepositum fuisse, unde conjici posse persuasum habemus potius vaporem anhydricum, acidum muriaticum radicale quam chlores acidum sulphurosum excepisse. Sulphur ab acido sulphurico aqua e gaze acido muriatico profecta diluto fuit derelictum.

quinatae, solutione alkalina adspersae vel sapone lotae, colorem statim deperdunt.

Quare ista tinctura ad bombycina et lanea lintea inficienda vulgatissime adhibetur: istae materiae, quibus Indicum tantummodo applicatur, fere numquam lotionem experiuntur.

Tamen solidior est in textis laneis quam in sericeis color: lana enim majorem materiae colorantis copiam et facilius quam sericum assumit.

Acidum phosphoricum summe concentratum non impedit quin ab acido sulphurico Indicum suscipiatur, dum ab aliis acidis aqua dilutioribus hoc impedimentum exeritur.

Varii quoque coerulei gradus in illa tinctura perpetrari possunt.

Quidam huic cupae parem, alii dimidiam Indici molem e potassa depurata adjungere solent; efficit haec additio ut pigmentum sulphatis potassae et Indici statu adplicetur. Incerti sumus an ablutione supersulphas potassae distrahatur, an una cum Indico fibrae adhaerere pergat.

Fila et panni e fibra animali elaborata, postquam hac cupa infecta sunt, si dein balneo ligni *Mori tinctoriae* immergantur colorem viridem splendidum induunt.

Nequaquam inficiendis filis et pannis originis vegetabilis coeruleum Saxonicum appropriatur; exeunt enim hac tinctura pallide et sordide infecta, quamvis liquidum tingens saturatissimum sit.

Acidum sulphurosum Indici ab acido sulphurico soluti colorem destruit et ipsemet in acidum sulphuricum mutatur. Verosimile est aquam in elementa sua abire, cujus hydrogenes cum Indico connubium init, oxigenes vero cum acido sulphuroso copulatur. Corpora deoxidantia eumdem praebent effectum, sed Indicum disjungitur.

Alia Indici ad artes applicatio habetur in mixtione Indici cum amylo ut *Coeruleum novum* (*bleu de linge*) efformetur.

Ut illud fiat, acidum sulphuricum fumans Indico, quantum potest, saturatur : solutione peracta, additur sub-carbonas potassae, quo obtinetur praecipitatum; tum amylum contritum et aqua dilutum, coloris intensi vel pallidi ratione, praecipitato admiscetur. Quandoque amylum aqua tritum ante praecipitationem infunditur. Post debitam edulcorationem ut excessus sulphatis potassae auferatur, massula siccatur et in parvas petras efformatur. Praecipitatum hoc continet amylum sulphati potassae et Indici nuptum; quidam sub-carbonatem sodae assumunt, sed pulchrior est color cum potassa, quare generatim haec sodae anteponenda est.

Coeruleum novum quoque praeparatur, sed tum coloris dilutioris est, acidum sulphuricum fumans Indico per spiritum salis et vini depurato saturum et aqua copiosiori debilitatum amylo commiscendo et acetatis vel muriatis calcis ope dejiciendo; praecipitatum sedulo abluitur et in umbra siccatur; exsurgit sulphas calcis et Indici qui sulphate calcis simplici

commixtum prodit; acidum salis calcarei sui juris factum per elutriationem removetur. Miscela per unicam conjunctionem binorum liquidorum est perficienda, et indesinenter ac diu agitandum, dein aqua adhuc diluendum et agitatione pergendum donec pultis aequalis prodeat: sulphas simplex sulphati duplici intermixtus ab excessu acidi in Indici solutione, origenem ducit.

Dejectio praeterea perficitur sali calcareo liquorem silicum, qui species siliceatis potassae est, substituendo; caeterum, ad normam supra dictam operatio instituitur et absolvitur : intercedit conjunctio inter super-sulphatem potassae et Indicum, cui adeo firmiter adhaeret silicea ut ne quidem ex addito alkali ab eo divelli possit; et non magis acidum sulphuricum ut detrahat Indicum compos est. Sedimentum repetitis vicibus et donec aqua defluens a sale barytico praecipitari desinat, est edulcorandum et, ut consuevit, in umbra siccandum. Coerulei jucunde lucidi coloris est et linteo commissuram albam conciliando optime adaptatur.

Quidam loco salis calcarei, pro praecipitando solutione Indici, lac calcis per decantationem laevigati, adhibent, et post dejectionem atque acido muriatico adlutionem amylum aqua dilutum addi curant; sed raro aequalis miscela et color uniformis exsurgunt.

Alii dein processum primo loco relatum sequuntur et una cum binis solutionibus potassae et Indici nec non cum dilu-

tione amyli, aluminis solutionem unica conjunctione commiscere jubent; dejectum donec insipida defluat, aqua, abluitur et siccationi in umbra committitur; coeruleum hac via perfectum perenni colore et qui brevi viridescit linteum inficit et ideo coerulescendis linteis minus adornatur; sistit enim alumina, quae dejectum sulphatem potassae et Indici concomitatur, intermedium conjunctionis persistentis inter Indicum et fibram vegetabilem; unde, monente summo Kastnero, haec miscela, omisso amylo, chartam coerulee et viride inficiendo inservire posset.

Praetera, Indicum usurpatum technice est ut colore, tum coeruleo, tum viridi, accedente flavo, tum violaceo et purpureo, advocato rubro, inficiantur globuli eburnini, corium, crinum, plumae et alia, fibra, sive animali, sive vegetabili, conflata.

In pictura Indicum crudum et idem praecipitatum adhibentur, vel ut per se colorem coeruleum, vel ut, cum flavo pigmento mixtum, colorem viridem producat.

Quondam, eruditus in Academia Lovaniensi Medicinae Professor Favelet in usum vocabat Indicum ut illud cum curcuma et oleo amygdalarum dulcium miscendo viride inficeret *tabacum* vulgo Favelet dictum quod propter auctorem celebratum erat.

Antequam huic labori finem imponam mihi pauca dicenda supersunt de apparatu qui vulgo sub *Berthollimetri* nomine notus est. Sic appellatur, quia circa aquam chlorinam vergit,

quae aqua *Bertholletum* dicitur; a nomine auctoris insignis BERTHOLLET, qui primus aquam chlorinam ad dealbandas fibras vegetabiles adhibuit.In nostro casu dici potest *indigometrum.*

Jam supra monuimus solutionem Indici sulphuricam ab aqua chloris admixta colorem deperdere: Berthollimetrum in aquae chlorinae cum Indico acido sulphurico soluto mixtione consistit. Experimentum sequenti modo instituitur. Sumitur solutio Indici sulphurico-acida et huic solutioni partem unam Indici includenti adjunguntur aquae, V. G., mille partes; tunc mediante aqua chloris destruitur color Indici et annotatur copia aquae chlorinae adhibita : deinde alia Indici solutio mille partibus aquae temperata et partem unam Indici continens eligitur, pariterque eadem chloris aqua decoloratur et observatur quantitas aquae chlorinae quae fuit impensa; sic eodem modo tentantur omnes pigmenti Indici species et ex aquae chlorinae adhibitae copia judicatur quodnam Indicum materia colorante ditius sit, nam quo materiae colorantis quantitas major est, eo major aquae chlorinae copia requiritur.

Hoc instrumentum in auxilium praecipue vocari solet ut despiciatur quantum chloris aqua solvatur; sic deprehenditur vis decolorans qua gaudet aqua chlorina si in aquam istam mediante Indico soluto reagatur.

Haec sunt, Professores Eruditissimi, quae judicio vestro submitto; hosce laborum meorum fructus animo benevolo accipere velitis.

XII.

CAR. CHRIST. SIGISM. BERNHARDI

COMMENTATIO

AD

QUAESTIONEM HISTORICAM.

CAR. CHRIST. SIGISM. BERNHARDI

OTTRAVIA-HASSI

PHILOSOPHIAE ET LITERARUM STUDIOSI
IN ACADEMIA LOVANIENSI

COMMENTATIO

AD QUAESTIONEM AB ORDINE PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM PROPOSITAM:

Exponantur caussae, quibus effectum sit, ut Regnum Judae diutius persisteret quam Regnum Israël.

QUAE PRAEMIO ORNATA EST IV NONAS OCTOBR. MDCCCXXIV.

ויהי כי־חטאו בני־ישראל ליהוה אלהיהם וייראו אלהים אחרים :

ויתאנף יהוה מאד בישראל ויסרם מעל פניו לא נשאר רק שבט יהודה לבדו :

מלכים ב יז ז יח .

Factum est enim, cum pecassent filii Israël Domino Deo suo, et coluerunt Deos alienos, iratusque est Dominus vehementer Israëli, et abstulit eos a conspectu suo, et non remansit nisi tribus Juda solummodo.

II Reg. XVII. 7. 18.

PROOEMIUM.

ORDINI PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM
IN ACADEMIA LOVANIENSI

SALUTEM.

Jam pluribus abhinc annis, VIRI DOCTISSIMI, Hebraeorum res accuratius tractare susceperam, tum quoniam *Lux illa divina*, apud Judaeos e tenebris orta, omnium fere oculos in Palaestinam convertit, tum quoniam leges et instituta, quae post tot saecula hodienum quodammodo vigent, in primis, ut in ea singulari quadam diligentia inquirerem, me permoverunt. Hinc quaestio illa *de caussis cur regnum Judae diutius perstiterit quam regnum Israël*, a Vobis anno superiori proposita, et jucunda studia mihi offerre, et vires meas non excedere videbatur. At, quum multis negotiis impeditus rem sero adgressus essem, plures quam quis crediderit offendi difficultates, non tam in caussis ipsismet investigandis, quam potius in eligendis atque ordinandis iis, quae ad hanc disputationem spectarent. Quum enim *omnia*, quae ad res alteru-

trius regni aliquid facerent, exponere instituissem, hanc commentationem justo latiorem atque longiorem fore videbam; quum vero in *sola ipsorum regnorum historia* me continere vellem, de rebus eorum sine accurata quadam tractatione universae Hebraeorum historiae recte disputari non posse, intelligebam. Medium itaque tenere conatus, et de institutis Hebraeorum et de rebus ab ipsis antea gestis ea, quae maxime necessaria videbantur, commemoravi. Ne vero ipsa caussarum expositio longioribus disquisitionibus historicis quasi obrueretur, satius esse putavi, ut *statum imperii Hebraeorum qualis fuerit ante scissionem factam* in Prolegomenis exponerem, in ipsa autem Dissertatione *caussas quaesitas, instituta inter utrumque regnum comparatione*, paullatim eruere conarer.

In *Prolegomenis* igitur expositum est, *quo modo imperium Hebraeorum ad eam amplitudinem pervenerit, quam Salomonis tempore habebat; et quibus rebus effectum sit, ut statim post hujus regis obitum in duo regna dilaberetur.* Has disquisitiones in tria capita ita distribui, ut in *primo de finibus regni pedetentim prolatis* disputetur, in *secundo antiquior civitatis ratio* exhibeatur, in *tertio* denique demonstretur, *quo modo res novae a Regibus inductae scissionem regni effecerint.*

Ipsam caussarum expositionem tribus itidem capitibus complexus sum, pro triplici fonte, ex quo diversi civitatum casus oriri possunt. Omnis enim civitatis fortuna tum *a situ geo-*

graphico et naturali terrae conditione, *tum ab ipsorum civium indole et agendi ratione*, *tum ab extraneorum conatibus* necessario pendet. Quapropter haec momenta sigillatim tractanda esse putavi, eo ordine ut in Capite Primo *regnum Judae ratione situs geographici et naturalis terrae conditionis cum regno Israëlis conferrem*; in Secundo *res internas utriusque civitatis compararem*; in Tertio *e rebus*, *quas utrumque regnum cum gentibus alienis gessit*, *singulas caussas*, *cur Juda diutius steterit quam Israël*, demonstrarem. — Haec de opusculi distributione in universum sufficiant; singularum partium necessitudo e tabula huic Prooemio subjecta luculentius adparebit.

Tabula geographica quoque addenda esse videbatur, ut ea quae de montium jugis et de diversis imperii finibus disputata sunt, rectius intelligerentur. Neque enim tabulae quae antiquam Palaestinae faciem referunt, neque eae quae hodiernum illarum regionum statum exhibent, quae quidem mihi innotuerunt, ita sunt comparatae, ut ad eas facile amandare lectores possem; in illis enim montium tractus minus accurate indicati sunt, in his recentiora locorum nomina et diversarum regionum divisiones novas explicationes requirebant. Ex utrisque igitur ea desumsi, quae ad rem meam spectare videbantur. In primis vero secutus sum praestantissimam chartam geographicam Volneyi operibus adjectam, eàmque e Thomp-

sonis itinerario et e Palmeri opusculo infra indicato hinc inde amplificavi.

Ceterum vix est, cur ipse moneam, quanto temporis et subsidiorum penuria in tractando hoc argumento laboraverim, quippe quod levissima opusculi inspectio vel nimis demonstrabit. Nam in rebus geographicis nec Bocharti nec Relandi opera, neque Hasii descriptionem regni Salomonis consulere licuit; et ad ipsam quoque historiam tractandam, praeter opera passim laudata, nulla omnino subsidia mihi suppetiere, quum malo quodam fato plures libri, quos librarii mihi brevi comparare promiserant, hodieque etiam frustra exspectentur. Veri quidem hujus historiae fontes, Biblia Sacra, mihi praesto erant, neque defuit locupletissima editio Flavii Josephi, quam curavit Havercampius; sed hos quoque libros, propter temporis angustias, non ut voluissem revolvere poteram. Praecipue doluit quod diligentiori librorum propheticorum lectione, quam institueram, nondum absoluta, ad commentationem conscribendam accedere oportuit; unde vereor, ne subinde opiniones minus accurate perpensas ac probatas in medium protulerim. Attamen hoc opusculum meum judicio vestro libenter subjicio, quum, etiamsi nil nisi aliunde nota aut fortasse minus vera proposuerim, tamen ea, qua rem tractavi, ratione sincerum veritatis studium satis probasse mihi videar.

Quod ad scriptores a me laudatos attinet, locos Sacrarum

Literarum e versione vulgata excitavi, collata tamen cum ea, ubi res monebat, textu Hebraïco. Binos autem libros qui in versione illa *priores libri Regum* vocantur, ego e more Hebraeorum *priorem* et *alterum librum Samuelis*, ac *libros Regum tertium* et *quartum*, *priorem* et *alterum* vocare malui. Flavius Josephus secundum editionem Havercampii laudatus est, ita ut primus numerus librum indicet, alter caput, tertius paragraphum. Strabonem secundum paginas editioni Almeloveni adscriptas excitavi, et Thompsonem secundum versionem Germanicam, quae continetur Tomo primo operis, quod inscribitur Erlaeuterungsschriften und Zusaetze zur allgemeinen Welthistorie herausgegeben von Baumgarten. Halle 1747.

In scribendis nominibus propriis plerumque versionem vulgatam secutus sum; si vero interdum minus recte ab ea recesserim, hisce ut reliquis quae forte occurrerint mendis, quae vestra est humanitas, indulgeatis. Valete.

Scripsi VIII Kal. Jun. MDCCCXXIV.

ARGUMENTUM COMMENTATIONIS.

PROLEGOMENA.

DESCRIPTIO IMPERII HEBRAEORUM ANTE SCISSIONEM FACTAM.

§ 1. *De imperio Hebraeorum sub Salomone in universum.*

Salomo mutata civitatis ratione civitatem *locupletat* quidem, verum etiam *debilitat* :

I. Fines nimium prolati non satis muniuntur.

II. Legum et institutorum antiquorum propugnatores exsurgunt.

III. Novae res a Regibus inductae scissionem regni efficiunt.

CAPUT I.

FINES ET AMBITUS REGNI SALOMONIS.

§ 2. *De finibus regni in universum.*

I. Triplices fines distinguuntur :

a. Fines terrae Israëlitis a Mose assignatae,

b. Fines regionis quam, revera occupatam, Hebraei tenuerunt,
c. Fines terrarum quae, armis subactae, Davidi et Salomoni paruerunt.

II. Naturalis locorum situs, cujus in constituendis finibus ratio habita est, describitur.

§ 3. *De finibus terrae Israëlitis a Mose assignatae.*

I. Fines Num. XXXIV a Mose scripti explanantur.

II. Ratio quam Moses cum populis vicinis haberi jussit exponitur.

§ 4. *De finibus regionis quam, revera occupatam, Hebraei tenuerunt.*

I. Praecepta Mosis de terra occupanda negliguntur. Populi peregrini intra fines Hebraeorum invicti remanent.

II. Terra maturius dividitur.

III. Divisione facta *singulae tribus* cum diversis gentibus peregrinis *sua quaevis foedera* ineunt.

§ 5. *De finibus imperii a Davide et Salomone prolatis.*

I. David Chanaanaeorum reliquias magnam partem delet, Philistaeos, Moabitas, Idumaeos, Syros et Ammonitas tributarios reddit.

II. Salomo primum quidem, Chanaaneis penitus devictis oppidisque munitis, regnum firmat; postea vero Syriam amittit.

CAPUT II.

DE ANTIQUIORI CIVITATIS HEBRAEORUM ORDINATIONE EJUSQUE PROPUGNATORIBUS.

§ 6. *De legibus Mosaïcis in universum.*

I. Leges Hebraeorum non e populo nascuntur, sed populus ipse legibus latis creatur.

II. Leges Mosaïcae, mira quadam firmitate insignes, suis ipsae viribus vigent.

III. Reges, lege Mosaïca secundum in Republica locum tenentes, leges immutare summopere conantur.

§ 7. *De legibus Mosaïcis ad rem nostram facientibus.*

I. Singulae tribus, more patriarchali, res suas ipsae gerunt.

II. Religione junctae de rebus publicis in comitiis generalibus deliberant.

III. Pontifex Max. primum locum tenet in Republica.

IV. Suffes et Rex Senatus decreta exsequitur.

V. Tribus Levitica, sui ac proprii commodi caussa legibus Mosaïcis addicta, Pontificis auctoritatem tuetur.

§ 8. *De institutis Mosaïcis temporum decursu mutatis.*

I. Eleazar et Phineas, Pontifices Maximi, res sic satis bene gerunt.

II. Hebraei, connubiis cum peregrinis juncti, cultum Jehovae deserunt.

III. Populi peregrini invalescunt.
IV. Pontifices rempublicam parum curant.
V. Prophetae auctoritatem Pontificum usurpant.

§ 9. *De Prophetarum vi ac momento in civitate Hebraeorum.*

I. Prophetarum origo a legibus Mosaïcis repetenda.
II. Samuel prophetarum auctoritatem auget.
III. Prophetarum Ordinem (scholas prophetarum) instituit.
IV. Exhibetur ratio quae intercedebat inter reges atque prophetas.

CAPUT III.

DE REBUS NOVIS A REGIBUS INDUCTIS.

§ 10. *Imperium Sauli et Davidis.*

I. Saulus, quod Prophetae auctoritatem contemnebat, rejicitur.
II. David Sacerdotes sibi devincit, prophetarum gratiam sibi conciliat, milites auget, et prudenti reipublicae administratione tribus aemulas coërcet.

§ 11. *De imperio Salomonis.*

I. Salomo exstructo templo Sacerdotes sibi subjicit.
II. Prophetam se ipse professus horum auctoritatem frangit.
III. Religionis cultu neglecto, atque duriori imperio usus et Prophetas, et singulas tribus a se avertit. Hinc
IV. Turbae, scissio regni, et Israëlitarum a lege Mosaïca defectio.

EXPOSITIO CAUSSARUM CUR REGNUM JUDAE DIUTIUS PERSTITERIT QUAM REGNUM ISRAEL.

§ 12. *De harum caussarum expositione in universum.*

I. Triplices sunt caussae cur regna aut floreant aut intereant :

a. Sive enim *a situ et naturali terrae conditione* repetendae sunt,

b. Sive *a civitatis ratione et rebus internis reipublicae,*

c. Sive *a rebus cum populis externis gestis.*

II. Caussae quaesitae, instituta inter regna Judae et Israël circa tria haec momenta *comparatione*, enucleandae sunt.

CAPUT I.

SITUS ET NATURALIS CONDITIO UTRIUSQUE REGNI COMPARATUR.

§ 13. *De situ et naturali conditione regni Israël.*

I. *Fines* regni describuntur.

II. Singulae regni partes ratione *fertilitatis* componuntur:

a. In *Samaria* regiones planae fertilissimae sunt, et montes amoenis vallibus secantur.

b. *Galilaea* multo feracior est.

c. *Tractus ultrajordanenses*, licet asperiores, tamen non infoecundi sunt, et vero subinde felicissimi.

III. Quod *ad mercaturam faciendam* attinet, regnum Israël, mare tangens et intermedium quasi inter Phoenices, Syros et Assyrios, opportune situm est.

IV. Si vero *regni defensionem* spectes, Israëlitae finibus naturalibus non teguntur:

a. Meridiem versus Judaeis, Philistaeis, Aegyptiis,

b. A septentrione Phoenicibus, Syris et Assyriis omnia patent.

c. Terrae ultrajordanenses a reliquis natura sejunctae sunt.

d. Galilaea a Samaria facillime intercipi, et

e. Ipsa Samariae urbs obsidione continuo premi potest.

§ 14. *De situ et naturali conditione regni Judae.*

I. Indicantur regni fines et ambitus.

II. Ratione *fertilitatis*

a. *Judaea* in duas partes dilabitur: *pars orientalis* sterilis est et nonnunquam deserta; *pars occidentalis* valles habet feraces et populosas. *Hierosolyma*, urbs in confiniis utriusque tractus sita, licet colles insideat, ipsa irrigua est, regio autem circumcirca sterilis et aqua saepe carens.

b. *Philistaeorum regio* plana et aequa frugibus abundat.

c. *Idumaea* magna deserta habet, neque tamen regionibus fertilibus omnino destituta est.

III. Tractus qui regnum Judae efficiunt inter duo maria et inter Africam atque Asiam intermedii, *ad mercaturam faciendam* natura destinati videntur.

IV. Quod *ad regni defensionem* attinet, Judaea opportune sita est:

a. Ab Aegyptiis Judaeos tuetur desertum.

b. *Gentes Arabiae*, praedatrices, civitatem molestant potius quam bello petunt.

c. *Syri et Assyrii* propter regnum Israël interpositum minus timendi sunt.

d. *Israëlitae* per montes aditum ad Judaeam satis difficilem habent, prope mare irrumpentes in Philistaeos incidunt.

e. Judaea ipsa propter montes ab hostium adgressionibus satis tuta est; et Hierosolyma propter regionem sterilem, quo cinguntur, obsidione longiori claudi vix possunt.

§. 15. *Comparatio utriusque regni ratione situs et naturalis terrae conditionis.*

I. *Universitas terrarum* quae ad singula regna pertinet, utrinque aequalis fere videtur; at *terra quam Judaei ipsi inco-*

lunt, ne tertia quidem parte *regionem ab Israëlitis habitatam* aequat.

II. Ratione *fertilitatis terrae* et *hominum frequentiae* regnum Israël longe praestat regno Judae.

III. Judaei autem *majorem mercandi opportunitatem* habent quam Israëlitae, et

IV. Judaeam *multo facilius ab hostibus defendere possunt*, quam regnum Israël.

CAPUT II.

RES INTERNAE UTRIUSQUE REGNI COMPARANTUR.

§ 16. *De rebus internis regni Israël.*

I. Mutationibus a Jeroboamo factis aequipondium, quo diversi civitatis ordines continebantur, tollitur.

II. Abrogato cultu Jehovae, quem Moses instituerat, regnum Israël migrationibus debilitatur:

a. Levitae exulant,

b. Alii quoque Israëlitae non pauci in Judaeam transeunt,

c. Et qui non emigrant, tamen magnam partem tacite Judaeis favent.

III. Imperio familiae Davidis ablato reliquae tribus cum majori libertate rebus suis consulunt:

a. Tribus ultrajordanenses res reliquarum parum curant;

b. Reliquae dignitatem regiam ambiunt;

c. Simeonitae et Danitae nullius momenti esse videntur;

d. Gentes tributariae deficiunt.

IV. Nova religio a Jeroboamo instituta exspectationi ejus non respondet:

a. Duo loca sacra in finibus regni constituta provincias separant potius quam conjungunt;

b. Prophetae novum cultum indignati minas spargunt;

c. Reges factionibus agitati consilia temeraria capiunt.

d. E *decem* familiis diversis, quae deinceps per seditiones ad regiam dignitatem evehuntur, *unus* tantum Rex prodit qui ingenio polleat;

e. Prophetarum effatis abutentes seditiosi civitatem bellis civilibus labefactant.

V. *Mercatura* divitiarum fons exstitisse videtur, at morum corruptio tanta ingruebat, ut ab omnibus desperandum videretur.

§ 17. *De rebus internis regni Judae.*

In regno Judae omnes Ordines ad salutem regni augendam conspirant.

I. Patrius religionis cultus Sacerdotes, Levitas aliosque probos viros e regno Israël exsulantes, ut in Judaeam se recipiant, allicit. Templum civitatem locupletat.

II. Judaei, familiae Davidis addicti, ne cogitant quidem de seditionibus movendis.

III. Binae tribus, quae regnum Judae efficiunt, discordes esse vix possunt.

IV. Reges cum Sacerdotibus et Prophetis adeo conjuncti sunt, ut plerique res bene gerant.

V. Mores Judaeorum multo sanctiores fuisse videntur quam Israëlitarum.

§ 18. *Comparatio utriusque regni ratione rerum internarum.*

I. Juda civibus industriis et eruditione insignibus augetur, Israël debilitatur.

II. In Juda bella civilia nulla; Reges prudentum consiliis adjuti recte imperant, gentes tributarias subjectas tenent, alias subjiciunt. Israëlitae, bellis civilibus debilitati, gentes tributarias non continent, provincias amittunt; Reges omnia fere male gerunt.

III. Israëlitae neque virtutis neque religionis auxilio ad res magnas excitari possunt; Judaei fide in Jehovam corroborati omnia audent.

CAPUT III.

CAUSSAE, CUR REGNUM JUDAE DIUTIUS STETERIT QUAM ISRAEL, EX UTRIUSQUE REGNI HISTORIA DEMONSTRANTUR.

§ 19. *De utriusque regni historia in universum.*

I. Rerum externarum successus magnam partem pendet a rebus internis, quam ob rem in enarrandis illis hae continuo respiciendae sunt.

II. Res gestae utriusque regni separatim enarrari non possunt, quoniam omnia fere bella, quae gesserunt, e mutuis ipsorum pugnis orta sunt.

III. Ipsorum historia distribuitur in quatuor epochas quae continuam quasi regnorum comparationem exhibent:

a. Prima complectitur tempus *quo Juda superior erat* regno Israël.

b. Secunda tempus exhibet quo *summa imperii* apud Israëlitas erat.

c. Tertia proponitur, quo modo *utraque regna* Assyriis *tributaria* facta sint.

d. Quarta ostenditur, quo modo, excusso Assyriorum jugo, *Israël* perierit, *Juda* resistere valuerit.

IV. In historia Hebraeorum verus rerum nexus propter singularem scriptorum indolem plerumque non nisi conjectura elici potest.

§ 20. *Regnum Judae praepotens.*

I. Primis temporibus Israël potentius fuisse credas quam Judam.

II. Bello inter utraque regna orto Judaei ab Aegyptiis domantur.

III. Jeroboamus ab Abia rege cruenti proelio victus Judaeis ubique cedit.

IV. Asa rex Baasam, qui Hierosolyma quasi oppugnare conatur, Syris in auxilium vocatis coërcet.

V. Josaphatus regnum Judae ad summum potestatis fastigium extollit.

§ 21. *Regnum Israël priores partes recuperat.*

I. Introducto cultu Baalis Judaeorum felicitas collabitur; provinciae deficiunt, hostes irrumpunt, familia regia discordia domestica laborat.

II. Israëlitae primum quidem a Syris premuntur, tum vero Joas rex Syros repellit, Judaeos fugat, ipsa Hierosolyma capit.

III. Jeroboamus regnum Israël ad Euphratem protendit.

§ 22. *Utraque regna Assyriis tributaria fiunt.*

I. Regnum Israël seditionibus denuo laceratum a regibus imprudentibus occupatur.

II. Israëlitae et Syri regnum Judae delere conati Achaz regem proelio vincunt.

III. Achaz Assyrios arcessit, ut ab hostibus se liberet.

IV. Assyrii, deleto regno Syriae, et Israëlitas et Judaeos tributarios habent.

§ 23. *Excusso Assyriorum jugo Israël perit, Juda resistere valet.*

I. Judaei tantam fidem habebant in Jehovam, tantisque viribus pollebant, ut Ezechias rex suis ipse viribus Assyrios repellere posset.

II. Israëlitae seditionibus debilitati Aegyptiis confidunt; ab his vero derelicti interitum effugere nequeunt.

§ 24. *Recensentur caussae cur regnum Judae diutius steterit quam regnum Israël.*

I. Caussae illae minus a rebus externis, quam ex interno rerum statu repetendae videntur. Sunt autem hae:

a. POPULUS *in regno Judae magis inter se conjunctus erat, quam in regno Israël, ac temporibus angustiarum, fide in Jehovam imflammatus, omnia audebat.*

b. *In regno Judae* REGES *praestantes multo plures fuerunt quam in regno Israël.*

c. PROPHETARUM *et* SACERDOTUM *vis atque momentum in res publicas regni Judae saluti fuit, regno Israël exitio.*

d. SITUS *Judaeae* GEOGRAPHICO-POLITICUS *opportunior erat quam situs regni Israël.*

e. *Denique* SITUS HIEROSOLYMORUM, *quam urbem Assyrii fame cogere non poterant, ad regni conservationem multum contribuit.*

II. Haec omnia ex ipso regni Judae interitu magis etiam probantur.

PROLOGOMENA.

DESCRIPTIO IMPERII HEBRAEORUM ANTE SCISSIONEM FACTAM.

§ I.

Salomonis imperium non solum omnium sui temporis et praestantissimum et celeberrimum fuisse perhibetur, sed etiam praeclaris imperiis posteriorum aetatum comparari solet, et splendor ejus atque gloria, saeculorum decursu aucta potius quam imminuta, nunc quoque ab omnibus fere celebratur. Neque negari posset, res Hebraeorum, regnante Salomone, ad summum prosperitatis fastigium attigisse, siquidem fines terrae mirifice prolati, auctoritas atque potentia amplior quam firmior et immensae regis divitiae reipublicae felicitatem efficerent: Davidis enim et Salomonis tempore Judaeis evenit, quod, tanquam summum Dei beneficium (1), vix unquam speraverant, ut fines eorum ab Aegypto ad Euphratem, ab

(1) Gen. XV, 18. Deut. XI, 24.

oris Phoeniciae usque ad mare Arabicum protenderentur; ipsis imperantibus omnes Asiae anterioris civitates aut parebant Judaeis, aut, potentiam eorum veritae, libenter ab armis quiescebant; et quae de divitiis illorum auspiciis in Palaestinam congestis narrantur, fabellis facile attribueremus, nisi recentioribus quoque temporibus, detecta America, simile quid contigisse vidissemus. At repentina haec civitatis incrementa moribus et institutis Hebraeorum non erant consentanea, et res novae non ea prudentia inducebantur, qua opus est ut ingenium populi universi ad liberaliorem cultum adducatur. Quemadmodum enim Psammetichus Aegyptiorum rex, inducto cultu Graecorum, patriisque institutis subversis civitatis suae interitum paravit; quemadmodum Pericles, potestate plebis immoderate aucta, novas vires provocavit in civitate, quae mox sapiente moderatore destitutae omnia pessum dederunt; quemadmodum tandem Ludovicus XIV regni gloriae, quam novis artibus subito creaverat, superstes vivebat, eodem fere modo Salomo civitatem Hebraeorum, quae, legibus et institutis firmata, per saecula *suis ipsa viribus steterat*, paucis annis adeo immutavit, ut *a solo imperantis ingenio pendens* cum ipso rege vigeret quidem et floreret, verum etiam senesceret atque periret.

Tria autem potissimum sunt momenta quae plurimum fecerunt ad res Hebraeorum turbandas: *Terrae fines nimium prolati nec satis muniti*, *studia eorum qui pro antiqua civitatis ratione propugnabant*, et denique *res novae a regibus inductae*; quae singula tribus capitibus sigillatim exponemus.

CAPUT PRIMUM.

FINES ET AMBITUS REGNI SALOMONIS.

§ II.

Fines imperii erant, ut diximus, Aegyptus, Phoenicia, Euphrates et maris Arabici sinus. At parvam solummodo harum terrarum partem reapse tenebant Hebraei, in reliquis habitabant populi alieni, qui, bello domiti, non nisi praesidiis ubique dispositis contineri poterant; quin in ipsis Hebraeorum sedibus gentes peregrinae contra omnes illorum conatus sese tuebantur, armisque Davidis pacatae potius quam devictae laetiora tempora exspectabant. Triplices igitur fines in imperio Hebraeorum distinguendi sunt: *fines terrae Israelitis a Mose assignatae*, *fines ejus regionis quam revera occupatam ipsi habitabant*, et *fines terrarum, quae, armis subactae, Davidi et Salomoni parebant.* Iisdem vero finibus magni insuper tractus omnino deserti et inhabitabiles continebantur; tanto enim calore regiones illae uruntur, ut solum fertile non nisi circa fontes et rivos, fontes non absque montibus inveniantur.

Fines a Mose constitutos primum dispiciamus; at cum ipse in definienda terra, a popularibus occupanda, et locorum fertilitatem et fines naturales omnium maxime attenderit, utrumque vero a montium situ potissimum pendeat, horum trac-

tus, quales ex recentiorum testimoniis (1) cogniti sunt, paucis antea adumbrare conabimur.

Magnus montium tractus, qui, e montibus Ciliciae procurrens, parallelo fere ad mare mediterraneum cursu meridiem petit, prope Heliopolin (2) summum verticem extollit aeterna nive rigentem, eandemque ob caussam jam antiquissimis temporibus Libani (3) nomine insignitum. Ibi sunt fontes omnium fere fluviorum et rivorum qui Syriam, Phoenicen et Palaestinam irrigant: Orontis et rivorum Damasci in oriente, Eleutheri et Leontis in occidente, Jordanis in meridie. Fontes quidem Jordanis, magis in meridie siti, duodecim milliaribus geographicis ab ipso Libani culmine distant, sed omnis iste tractus Hebraeis Libanus erat; Graeci primum et Romani geminata ibi juga peculiaribus nominibus Libani et Antilibani distinxerunt. Summum enim Libani culmen, mari propius, a continuo illo tractu e septentrione in meridiem vergente magnis faucibus, sive potius angusta convalli separatur (4); ubi e paludibus et stagnis Eleutherus et Leontes rivi oriun-

(1) Vid. VOLNEY, *Voyage en Egypte et en Syrie. Œuvr.*, *tom. II*, *pag.* 276. cett. et passim. — *Bible Atlas by Rich. Palmer. Lond.* 1823. — Neque tamen antiquorum scriptorum testimonia omisi.

(2) Nunc Baal-bek.

(3) לְבָנוֹן, mons albus.

(4) Polyb. V. 45. in fine. Ἀπὸ Λαοδικείας ποιησάμενος τὴν ὁρμὴν ὁ βασιλεὺς μετὰ πάσης τῆς στρατιᾶς, καὶ διελθὼν τὴν ἔρημον, ἐνέβαλεν εἰς τὸν αὐλῶνα τὸν προσαγορευόμενον Μαρσύαν· ὃς κεῖται μὲν μεταξὺ τῆς κατὰ τὸν Λίβανον καὶ τὸν Ἀντιλίβανον παρωρείας, συνάγεται δ᾽ εἰς στενὸν ὑπὸ τῶν προειρημένων ὀρῶν· συμβαίνει δὲ καὶ τοῦτον αὐτὸν τὸν τόπον, ᾗ στενώτατός ἐστι, διείργεσθαι τενάγεσι καὶ λίμναις, ἐξ ὧν ὁ μυρεψικὸς κείρεται κάλαμος.

tur, quorum ille, primum septentrionem petens, inflexo cursu in mare Mediterraneum prolabitur; hic, Africum versus decurrens, vallem foecundat Coeles Syriae nomine celebratam (5). Bini rivi ab utraque parte altis montibus circumdantur, cujus series occidentalis, cum Libani culmine conjuncta, a Graecis *Libanus* appellatur, series vero orientalis in cujus parte meridionali fontes Jordanis exstant, *Antilibanus* dicitur (6). Hinc montium tractus, denuo bipartitus, in altera parte Jordanis Palaestinam percurrit, in altera parte aridum desertum a terra habitabili disterminat, donec in meridie Maris Mortui sibi iterum junctus in innumeros ramos excurrit, quorum tamen bini majores continuo fere sed diverso tractu ad Mare Rubrum protenduntur.

E diversis hisce jugis, quae, a Libano inde terram multifariam dissecantia, ab antiquis peculiaribus nominibus distingui solent, ea solummodo hic indicabimus de quibus infra mentio nobis erit facienda. In tractu occidentali notemus jugum altissimum, in septentrione Ecdippae oppidi ad mare promissum, quod Josephus (7) *Scalam Tyriorum* appellat :

(5) Strabo XVI. pag. 754. in f. *Δύο ἐστὶν ὄρη τὰ ποιοῦντα τὴν κοίλην καλουμένην Συρίαν, ὡς ἂν παράλληλα, ὅ τε Λίβανος καὶ ὁ Αντιλίβανος.*

(6) Strabo l. l. coll. Plin. N. H. V. 20. A tergo (Sidonis) mons Libanus orsus mille quingentis stadiis Simyram usque porrigitur, qua Coele Syria cognominatur. Huic par, interjacente valle, mons adversus Antilibanus obtenditur, quondam muro conjunctus.

(7) Joseph. B. I. II. 10. 2. *Περιέχεται δὲ ἡ Πτολεμαΐς ὄρεσιν, ἐκ μὲν τοῦ πρὸς ἀνατολὴν κλίματος ἀπὸ σταδίων ἑξήκοντα τῷ τῆς Γαλιλαίας, ἀπὸ δὲ τοῦ μεσημβρινοῦ τῷ καρμήλῳ διέχοντι σταδίους ἑκατὸν εἴκοσι· τῷ δὲ ὑψηλοτάτῳ κατ᾽ ἄρκτον, ὃ καλοῦσι Κλίμακα Τυρίων οἱ ἐπιχώριοι, καὶ τοῦτο δὲ σταδίους ἀφέστηκεν ἑκατόν.* Ecdippa autem novem tantum milliaribus Rom. sive nonaginta fere stadiis a Ptolemaïde distat. Vid. Hieron. s. v. Achzib.

aliud paullo inferius *Carmelum* montem, Acco sive Ptolemaïdi oppido a meridie imminentem: montem *Tabor* et montes *Gelboë* in occidente lacus Genesareth: magis versus meridiem *montes Ephraïm* et tandem *montes Judae*, qui Mare Mortuum ab occidente cingentes per montes *Akrabbim*, sive Scorpionum, cum tractu ultrajordano continentur. In hoc notandus est mons *Hermon*, qui, haud procul a fontibus Jordanis ab Antilibano orientem versus recedens, mox in meridiem vergit, montibusque *Basan* et *Gilead* jungitur: montes *Abarim* ubi *Nebo* mons, ex adverso Jerichò situs (8): denique montes *Seïr*, qui, in meridie Maris Mortui montibus Akrabbim juncti, usque ad sinum Elaniticum sese extendunt. Jugum montis quod, sinui Heroopolitico contiguum, altera ex parte cum montibus Akrabbim, altera ex parte cum Sinaï monte quodammodo continetur, cum Ptolemaeo *Montium Nigrorum* nomine designabimus.

Quatenus rivi ex hisce montibus orti terram irrigant, solum fertile est et habitabile, reliquae vero partes, tum Aegyptum versus, tum inter mare Arabicum et Euphratem fluvium sitae, tam steriles sunt atque aridae, ut omnino desertae forent, nisi subinde colles quidam et rivuli quasi in mari sabuloso insulas feraces efficerent, in quibus gentes Nomades vitam aegre sustentant. In ejusmodi insulis Moses quoque populum suum, per quadraginta annos palantem, non sine labore nutrivit, donec tandem eum loca fertilissima totius regionis occupare in iisque considere jussit.

(8) Deut. XXXII. 49.

§ III.

Moses terram ab Hebraeis occupandam in capite tricesimo quarto Numerorum accuratissime demonstravit, unde verba ejus secuti singula momenta eodem ordine explanabimus.

Fines meridionales terrae Hebraeis adsignatae erant in deserto Sin (1): incipiebant enim, in confiniis Idumaeorum, ab extremitate meridionali Maris Mortui (2), transibant montes Akrabbim et desertum Sin, in quo usque ad loca Cadesbarne, Adar et Asemona protendebantur; tum vero, paullo in Boream flectentes, Torrentem Aegypti attingebant, qui ad Mare Mediterraneum terminus existeret.

Inspecta tabula geographica haec descriptio satis bene intelligitur: praecipuae Idumaeorum sedes erant in meridie Maris Mortui, inter montes Akrabbim et montes Seïr, ubi innumerae ruinae hodienum exstantes et magnum antiquorum in-

(1) Desertum *Sin* pars fuisse videtur magni illius tractus, qui in sacris Literis *Pharan* nomine designari solet. Pharan enim protendebatur a monte Sinaï (Num. X. 12.) usque ad Maon et Carmel, oppida in agro Judaeo sita (1 Sam. XXV. 1. 2. coll. Jos. XV. 55); desertum Sin vero juxta Idumaeam et montes Seïr, a finibus inde Judaeae usque ad Cades Idumaeorum oppidum, haud procul a sinu Elanitico situm, sese extendebat (Num. XXXIV. 3. et XIII. 22. coll. XXXIII. 35. 36.)

(2) Cf. Num. XXXIV. 3. 4. 5. Versio vulg. edit. minus recte vertit. : *et habebit terminos contru orientem mare salsissimum*, cum scriptura Hebraica habeat : וְהָיָה לָכֶם גְּבוּל נֶגֶב מִקְצֵה יָם־הַמֶּלַח קֵדְמָה; quod sic fere exprimi potest : et erit vobis terminus meridionalis *ab extremitate* maris salsissimi ad Orientem, h. e. fines meridionales incipient in Oriente ab extremitate Maris Mortui.

colarum cultum, et majorem olim terrae fertilitatem satis superque ostendunt (3). — Qui fuerint montes Akrabbim dubitari vix potest, cum situs eorum inter Mare Mortuum et desertum Sin accurate indicetur; ad quod accedit ipsa nominis significatio: illi enim montes, teste Volneyo, nunc quoque scorpionibus mirae magnitudinis infestantur.—Reliquorum locorum situs minus notus est; id tamen certum videtur, Cadesbarne fuisse in parte meridionali Nigrorum Montium. Nam Hebraei, a monte Sinaï profecti, Pharan et Sin deserta, inter montes Seïr et montes Amorrhaeorum patentia, ingressi sunt, quibus post undecim dies trajectis ad Cadesbarne venerunt, locum sub monte Amorrhaeorum situm; hic autem mons Hebraeis cedebat (4); unde colligere licet per montes Amorrhaeorum intelligendos esse montes Nigros Ptolemaei, eorumque partem septentrionalem usque ad fontes Torrentis Aegypti ad terram ab Hebraeis occupandam pertinuisse. In his vero locis limites Palaestinae Montes Nigros transiisse, inde quoque probabile est, quod ad haec tempora via mercatorum, e Palaestina meridionali ad sinum Elaniticum ducens, in iisdem locis montes illos transit. — Quod ad Torrentem Aegypti attinet, omnes fere interpretes fluvium significari putant apud Rhinocoruram Mari Mediterraneo illabentem, qui quidem sole aestivo paene exsiccari solet, hiberno vero tempore aquis e

(3) Cf. Volney l. l. vol. III, pag. 203.

(4) Deut. I. 2. coll. 19 et 20. Gesenius in Lexico s. v. Cadesbarne et Cades confundere videtur; at in Sacris Literis haec loca et nomine et re accurate distinguuntur. Cadesbarne sub monte Amorrhaeorum in confiniis Judaeae situm erat, Deut. l. l., Cades in finibus Idumaeorum ad montes Seïr (Num. XX. 16. Deut. II. 1.).

Montibus Nigris defluentibus adeo intumescit, ut antiquiores geographi Euphratis ostium ibi invenisse crediderint.

Terminus occidentalis exhibetur *Mare Mediterraneum usque ad montem Hor* (5), qui locus, licet a Mose hic minus accurate describatur, tamen ex Josuae libro cap. XIX vers. 24-29 quodammodo determinari potest (6): inde enim constat, fines tribus Aser in ora maritima non multum ultra Ecdippam sive Achzibam sese extendisse; ibi vero mons ille, *Scala Tyriorum* appellatus, haud procul a mari adsurgit, et cum Libano continetur, unde ipsum a Mose hic significari non dubitaverim.

Fines septentrionales, prope montem Hor a mari recedentes, per introitum Chamath locaque Sedada, Zephrona et Chazar-Enan septentrionem versus protendebantur; ibi in meridiem vergentes Sepham tangebant et Rebla, oppidum ab oriente Ain situm, hinc ad mare Genesareth descendebant (7). *Chamath* est urbs Epiphania ad Orontem sita (8); sed per *introitum Chamath* vallis intelligenda est Leonte fluvio irrigata, quam Strabo,

(5) Num. XXXIV. 6. 7. versio vulg. edit. vocem הֹר הָהָר interpretata est : *montem altissimum ;* ego vero cum aliis interpretibus vocem Hebraicam *Hor* pro nomine proprio habere malui.

(6) Vid. Michaëlis Mos. Recht §. 20. Ex edit. Reutlingiana anni 1793 Vol. I. p. 51.

(7) Num. XXXIV. 7-11. coll. Michaël. l.l. § 25. pag. 74-84. Scripturam Hebraicam secutus v. 8. לְבֹא חֲמָת, *a quo venient in Emath* per *introitum Chamath* expressi; voces autem חֲצַר עֵינָן, area fontium, et עַיִן, fons, quasi nomina propria essent, retinui.

(8) Joseph. A. J. I. 6. § 2.

loco supra laudato, Coelen Syriam appellat (9); Loca *Sedada* et *Zephrona* plane ignota sunt; significatio vocis *Chazar-Enan, area fontium,* campos illos indicat angustos inter Libanum et Antilibanum, ubi Eleutheri et Leontis fontes esse diximus (10); *Sepham* autem in parte orientali Antilibani quaerendum est, quum hunc montem intra fines, a Mose constitutos, fuisse, ex aliis locis constet; idem de *Rebla* dicendum est, quod oppidum postea terrae Chamath adnumerabatur (11), sed magis ad meridiem non procul a fontibus Jordanis (12) situm fuisse videtur, fortasse inter Hermon montem et Antilibanum; nam reges Assyriae, per Damascum Judaeam invadentes, Rebla transire solebant. — Totus igitur Antilibanus, ab eo inde loco, ubi proxime ad summum Libani culmen accedit, usque ad agrum Tyrium, ubi mutato nomine ad mare

(9) Michaëlis (l. l. § 25. pag. 78). Gesenius (Lexic. s. v. בּוֹא) aliique vertunt לְבוֹא חֲמָת *usque ad* Chamath; quod tamen minus recte videtur, tum quoniam usus vocis לְבוֹא pro particula עַד sive לְ ex aliis locis probari non potest, tum quoniam fines Palaestinae usque ad Epiphaniam in Oronte sitam protendi non potuerunt. Michaelis quidem per *Chamath, agrum Chamath* intelligit; at Rochob oppidum quod לְבֹא חֲמָת jacuisse perhibetur (Num. XIII. 22) in valle meridionali Antilibani montis situm fuisse scimus ex Jud. XVIII. 28, neque probabile est eas regiones ad civitatem Chamath unquam pertinuisse. Nostra vero interpretatio confirmari quoque videtur loco Jos. XIII. 5. ubi Libanus orientalis, i. e. Antilibanus ad ditionem Hebraeorum pertinens, *a Baalgad,* in valle inter Antilibanum et Hermon sitam, usque *ad introitum Chamath* sese extendisse dicitur.

(10) Vid. nota 4 §. praecedentis.

(11) 2 Reg. XXV. 21.

(12) Versio vulgatae edit. habet (Num. XXXIV. 11.) cum versione Chaldaica: *Rebla contra fontem Daphnim;* quod tamen ad idem fere redit quod ego habeo, scripturam Hebraicam secutus; nam sine dubio per fontem Daphnim fons Jordanis significatur (cf. Jos. B. J. IV. 1. § 1.) neque vero fons ad Antiochiam, ut D. Hieronymus putavit.

pertingit, e praecepto Mosis ad ditionem Hebraeorum pertinebat (13), et praeterea Israëlitae oppida quaedam sive castella, ultra hunc montem sita, tenere jubebantur, ne bellicosi montium incolae in agros eorum facile irrumperent. Tribui enim Aser assignabantur plura loca ultra Ecdippam et Rochob, sine dubio in valle Leontis et in confiniis urbis Sidonis jacentia (14). In his etiam castellum Tyri nominatur, quod vero non de Tyro ad mare sita intelligendum est, haec enim urbs tum temporis nondum erat condita, sed de castello quod apud fontes, *putei Salomonis* nomine celebratos, et a mari aliquantisper remotos, Sidonii exstruxisse videntur (15); nam aqua fontana

(13) De finibus septentrionalibus terrae Hebraeorum magnopere a se discrepant interpretes, quorum alii, Michaëlem secuti, fines ultra Adonim rivum protendunt, alii, terram ab Hebraeis revera *occupatam* a terra ipsis *adsignata* minus accurate distinguentes, fines ultra lacum Samochonitidem extendendos non esse putant. Vid. Mannert Geographie der Griechen u. Roemer. Thl. 6. Heft. 1. pag. 229. ex edit. Norimb. 1799. Ut meam sententiam tuear ad Jos. XIII, 5. 6. provocasse sufficiat, ubi sic: « Omnis quoque *Libanus orientalis* (nondum distributus est) a Baalgad sub monte Hermon usque ad introitum Chamath.—Omnes monticulas a Libano usque ad *aquas fluentes* (s. perennes) omnes Sidonios ego (Jehova) ejiciam a facie filiorum Israël; tu vero (Josua) distribue interea hasce regiones Israelitis ad possidendum uti jussus es. » Vocem Hebraicam משרפות מים quam omnes interpretes nomen proprium esse volunt, pro nomine appellativo habendam esse puto, cum per aquas fluentes puteum Salomonis intelligi suspicer; ita ut his verbis idem locus designetur in quo Israelitae paullo post, cum terram accuratius perlustrassent, (cf. Jos. XVIII. 9.) *castellum Tyri* invenerunt, sive oppidum quoddam munitum (עיר מבצר-צר) cui nomen erat *Zor* (Jos. XIX. 29.).

(14) Jos. XIX. 27-29. coll. Jos. XIII. 4. 5. et iis quae Michaëlis l. l. § 20. (vol. 1. p. 52 in annotatione) disputavit. Interpretatio vero loci Jos. XIII. 4. a Michaële ibid. pag. 80 proposita minus accurata videtur minusque certa, quam ut Hebraeorum fines ad Aphecam, ultra Adonim rivulum sitam, protendere audeam.

(15) Volney l. l. vol. III. pag. 96 sqq.

in illis regionibus jam antiquissimis temporibus tanquam summus thesaurus et quaerebatur et custodiebatur.

Ab oriente terrae finis proprie esse debuit Jordanes; cum vero Moses, contra Amorrhaeos, qui ripam orientalem Jordanis occupaverant, pugnare coactus, has gentes plane exstirpasset, aliquot tribubus, eas regiones impense petentibus, jam ultra Jordanem considere permisit (16). Terminus septentrionalis harum possessionum erat Hermon mons (17); idem montium tractus magis in meridiem vergens etiam orientem versus terrae fines constituit, ita tamen ut Hebraei planitiem tantum haberent, nam in ipsis montibus sedebant Ammonitae et Midianitae (18). In meridie Arnon rivus, qui e montibus Mare Mortuum ab oriente cingentibus decurrens, non procul ab ostio Jordanis in idem mare sese effundit, ditionem Hebraeorum a terra Moabitarum separabat.

Haec vero est terra quam Moses populo suo destinaverat, neque dubitandum est, quin Judaei, si totam occupassent, et res cum vicinis secundum praecepta Mosis gessissent, non solum tum temporis populis finitimis longe superiores fuissent, sed etiam postea, cum majora regna in Asia anteriori orirentur, locum inter populos principes tueri potuissent. Licet enim magnitudinem hujus regionis accurate indicare non possimus, tamen probabili quadam ratione ex accuratioribus tabulis geogra-

(16) Num. XXXII. 1-9. Deut. II. 29-36.
(17) Jos. XII. 1. Deut. III. 8.
(18) Deut. II. 36. 37.

phicis efficere licet, eam quingenta circiter milliaria geographica quadrata continuisse, quum omnes fere civitates vicinae ne quinta quidem parte ad id accederent, et praeterea terra Hebraeorum ita esset sita, ut hostes facilius ab ea arceri possent. Etenim Antilibano potiti, Hebraei altera ex parte Phoenicibus imminebant, altera ex parte Aramaeos sive Syros, quorum sedes proximae in valle Damasci erant, continere poterant. Ab iis vero populis, qui orientem versus sedebant, ab Ammonitis, Moabitis, Idumaeis, vix erat quod timerent, tum propter paucitatem eorum, tum quoniam, eadem qua Hebraei origine gloriantes, naturales eorum amici esse videbantur. Hinc Moses populo suo commendat, ut *Idumaeos*, arctiori propinquitate sibi junctos, amice tractet (19), eandemque ob causam *Ammonitarum* et *Moabitarum* terram intactam relinqui jubet (20), quanquam propter infestum eorum in Hebraeos animum, et sacra quibus utebantur abominanda, societatem cum ipsis habere prohibet (21). Majori poena affecit aliquot tribus Midianitarum, qui, licet Nomades, tum temporis tamen in montibus inter Moabitas et Ammonitas firmiora quaedam habitacula habebant et, auctore Balaam vate, Hebraeos a cultu Jehovae avertere conati erant: hos continuo adortus fudit fugatosque magnam partem delevit (22). Atrocissimam vero legem contra *Amalecitas* tulit, populum Chanaanaeum, qui a sinu inde Heroopolitico magnum terrae tractum inter Aegyptum

(19) Deut. XXIII. 7.
(20) Deut. II. 9. 17-19.
(21) Deut. XXIII. 3-6.
(22) Num. XXXI. 1-18.

et terram Hebraeorum tenebat (23) : quamquam enim agrum Amalecitarum Hebraeis non assignavit, eos tamen omnino exstirpari jussit, terramque desertam relinqui, ut nimirum magna solitudo Hebraeos ab Aegyptiis separaret. Et hoc quidem optime provisum videtur, ne ex nimia Judaeae et Aegypti vicinitate Hebraeis cum potentissimo hoc populo bella nascerentur, ne vero Hebraei vindictae studio ultro in Aegyptum descenderent, peculiari lege Aegyptios amice tractari jussit, « *propter hospitalitatem qua ipsi Hebraeos in Aegypto excepissent* » (24); eodemque fere consilio regi creando, ne cum exercitu unquam in Aegyptum descenderet, interdixit (25). Quod ad eas gentes attinet quae intra fines supra demonstratos habitabant, Moses praecepit ut omnino omnes ad internecionem delerentur et Hebraei terram soli possiderent (26). Quatenus autem omnia haec praecepta Hebraei expleverint, id statim videbimus.

§ IV.

Universa historia Hebraeorum panegyricum quasi exhibet legum a Mose latarum, nam omnia fere infortunia eorum a legibus hisce neglectis repeti possunt, et quae fausta ipsis contigerunt, ea plerumque praeceptis Mosis rite observatis debentur. Jam initio in ipsa terra occupanda deliquerunt : Moses enim

(23) 1 Sam. XV, 7.
(24) Deut. XXIII, 7.
(25) Deut. XVII, 16.
(26) Deut. XX, 16-18.

summa cura providerat, ne singulae tribus ab armis ante quiescerent, quam universa terra ipsis designata occupata foret, et iis tribubus, quae ultra Jordanem considere malebant, Rubenitis, Gaditis et parti Manassitarum, considere non permisit, nisi post fidem solemniter datam, se cum reliquis esse militaturos, donec omnes terras, ab altera parte Jordanis sitas, populis Chanaanaeis eripuissent (1). At Josua in bellis non adeo perseveravit : Jordane fluvio paullo post Mosis obitum trajecto, stativa Galgalis posuit, et imbelli hominum turba cum praesidio ibi relicta, per quinquennium (2) bella feliciter gessit; sed quanquam majorem terrae partem occupavit (3), magnos tamen tractus eosque fertilissimos in potestate hostium reliquit (4). In meridie *Philistaei, Hevaei et Gessuritae* invicti restiterunt : Philistaei in fertilissima ora Maris Mediterranei quinque oppida munita habebant, Gazam, Ascalonem, Azotum, Gath et Accaron; Hevaei et Gessuritae (5) in finibus meridionalibus Palaestinae sedebant. In media terra Hebraeorum erant *Chanaanaei*, tum in valle Iezraël (6) tum in montibus vicinis (7). Josua quidem Jabin, regem Hazor oppidi, cum pluribus aliis

(1) Num. XXXII, praecipue ỳ. 20-23.
(2) Num. XIV, 34 coll. Jos. XIV, 10.
(3) Jos. XII. 7-24.
(4) Jos. XIII, 1-6.
(5) De Hevaeis cf. Jos. XIII, 3. Ubi in versione vulgata vox « *Hevaei* » male ad vers. quartum trahitur, et Deut. II. 23.

De Gessuritis vid. praeter. Jos. XIII, 2 et 1 Sam. XXVII, 8. Deut. III, 14 et Jos. XII, 5, XIII, 13; pars eorum sedebat in finibus meridionalibus Palaestinae, pars in finibus septentrionalibus, quo fortasse simul eum Amorrhaeis olim se contulerant.

(6) Jos. XVII, 16.
(7) Jos. XI, praesertim ỳ. 13.

regibus ipsi junctis proelio vicit urbemque diruit; sed postea rex ejusdem nominis non solum urbem Hazor restituit verum etiam Judaeos sibi tributarios reddidit (8). In borealibus quoque regionibus populi indigenae manebant: partem orientalem et septentrionalem Antilibani tenebant *Chivaei* (9), partem meridionalem et occidentalem versus Scalam Tyriorum habebant *gentes Phoenices* (10), et ultra Jordanem *Gessuritae* et *Machati* (11) sedebant. — Dubitari vix potest quin Hebraei, qui Josua duce tot victorias reportaverant, diversos hosce popellos facili negotio sive ejicere sive exstirpare potuissent, si unitis viribus eos essent adorti; sed plerisque terram jam occupatam ante dividere placuit, tum ne regio, cultoribus plane destituta, diutius deserta jaceret, tum ne Josua, annis gravatus, ante negotium, quod Moses ei mandaverat, perfectum morte abriperetur (12). Neque deerat caussa satis speciosa divisionis maturius instituendae. Calebus enim, vir e tribu Judae oriundus, cui Moses terram Hebron (13) promiserat, quam in perlustranda Palaestina vidisset, a tribulibus suis stipatus Eleazarum, Pontificem Max., et Josuam reliquosque principes civitatis, tum Galgalis versantes adiit, eosque rogavit, ut promissa Mosis rata haberent, sibique Hebron urbem

(8) Jos. XI, coll. Jud. IV.

(9) Jos. XI, 3, Jud. III, 3.

(10) Jos. XIII, 5, 6.

(11) Jos. XIII, 13.

(12) Jos. XIII, 1.

(13) Num. XIII, 23. coll. Deut. I, 36.

concederent (14); neque obstare, ait, quod hostes eam adhuc tenerent, quippe quam ipse cum suis brevi se expugnaturum confideret. Justae, quae videbantur, preces non solum negatae non sunt, verum praeterea etiam universae tribui Judae omnis terra meridionalis a finibus Amalecitarum et Edomitarum ad ostium Jordanis et Jabneel oppidum concessa est (15); terra autem septentrionalis, ad Montes Gelboë et Carmelum usque, tribui Josephi, Ephraïmitis et Manassitarum parti, cedebat, tum propter jura primogeniti, quae Jacobus, Ruben filio ademta, in Josephum contulerat (16), tum propter insignem auctoritatem, qua pollebat ea tribus, ex qua Josua, summus belli dux, erat oriundus. Inter possessiones duarum harum tribuum circa oppida Aï, Gibëon et Jericho, indivisa relinquebatur regio satis angusta, in qua sine dubio, donec universa terra occupata foret, reliquae tribus versarentur : nam de bello deponendo nondum agebatur, neque de copiis tribuum transjordanensium domum remittendis. At cum binae tribus potentissimae, ut terras suas occuparent, discessissent, et Josua propter aetatem exercitui ipse praeesse vix posset, operamque suam potius sacrario Jehovae Galgalis Siluntem, in Ephraïmitarum oppidum, transferendo, et ejusmodi rebus interioribus ordinandis navaret; reliqui Israelitae, nihil suscipere au-

(14) Jos. XIV.

(15) Jos. XV.

(16) 1 Paral. V. 1. 2. Tribus Ephraïm et Manasse, propter Josephum, patrem communem, unam quasi eandemque tribum efficiebant; Benjaminitae adeo propter Rachelem matrem communem Ephraïmitis sese accensere solebant. cf. 2 Sam. XIX. 20, ubi Simei, Benjaminita, Josephitam se profitetur.

dentes, otiosi et segnes in castris sedebant, adeo ut tandem Josua regiones occupandas, quales erant ab hostibus obsessae, eis distribuere cogeretur (17). Tres itaque tribus debiliores, *Simeon*, *Dan* (18) et *Benjamin* inter tribus Judae et Josephi collocavit, ita tamen ut *Simeonitis*, quos aeque ac *Levitas* Jacobus inter reliquas tribus dispergi jusserat (19), septem et decem oppida in ditione Judaeorum obtingerent, *Benjaminitae* autem regionem nondum divisam circa Jericho cum viginti sex oppidis, et *Danitae* oram Maris Mediterranei ejusdem fere latitudinis, quam dicunt, cum oppidis septemdecim nanciscerentur. Quatuor tribus majores, *Issaschar*, *Zabulon*, *Aser* et *Naphtali* regiones boreales sortitae sunt. Divisione rite peracta, singulae tribus non sine cunctatione in terras suas, armis vindicandas, discesserunt, et Hebraei, quibus in unum conjunctis gentes Chanaanaeae resistere nunquam potuerant, nunc in duodecim popellos dilapsi, totidem fere bella diversa contra residuos Palaestinae incolas movebant. De terra penitus occupanda non amplius cogitabatur, sed. pactionibus qualibuscunque cum pristinis terrae habitatoribus factis (20), singulae tribus contra expressa Mosis praecepta cum proscriptis gentibus amicitiam junxerunt. Judaei quidem, una cum

(17) Jos. XVIII. 1-10.

(18) In recensione altera, a Mose instituta, sexaginta quatuor millia Danitarum, qui arma ferrent, inventa esse, non nescio (Num. XXVI. 43.); at quum tanta hominum moles in regione tam angusta nutriri vix possit, et in historia Hebraeorum nunquam fere mentio fiat Danitarum, numerum eorum bellis multum imminutum fuisse, arbitror.

(19) Gen. XLIX. 5-7. Simeon et Levi fratres : vasa iniquitatis bellantia.... dividam eos in Jacob, dispergam eos in Israël.

(20) Jud. I. 17-36.

Simeonitis hostes continuo adorti, non solum oppida quaedam montana, propter situm munitissimum nondum occupata, feliciter expugnarunt, sed etiam Philistaeis Gazam, Ascalonem et Accaron eripuerunt (21). Quum vero Hebraei equitatu omnino essent destituti, Philistaei haec oppida campestria brevi recuperarunt (22), et Judaeos ab ora maritima omnino repulerunt. In meridie quoque hi fines suos neque ad torrentem Aegypti, neque ad Montes Nigros protenderunt; nam Bersabee, urbem Simonitarum, quae, secundum testimonium Eusebii et Hieronymi, non nisi viginti milliaria ab Hebron distabat, in extremitate Judaeae sitam fuisse constat (23). Idem fere in septentrione accidit, ubi in ora maritima Aseritae ne Acco quidem occuparunt (24); et in mediterraneis Dan oppidum, ad fontes Jordanis situm, omni tempore terrae finis habebatur. Totus itaque Antilibanus relictus est hostibus, quorum incursionibus omnes regiones septentrionales patebant. In media terra Benjaminitae Jebusaeos ex arce Hierosolymorum, et Ephraïmitae Chanaanaeos e Gazer oppido propellere non potuerunt (25); et quanquam Barac, a Debbora vate excitatus, Chanaanaeos, qui in planitie Jezraël regnum formidabile denuo condiderant, ad internecionem fudit (26), atque Saulus, rex, victoriis suis res Hebraeorum probe restituit (27);

(21) Jud. I. 17-19.
(22) Jud. III. 3.
(23) 2 Sam. XVII. 11.
(24) Jud. I. 31.
(25) Jud. I. 21. 29.
(26) Jud. IV.
(27) 1 Sam. XIV. 47-48.

attamen quo tempore David et regnum pervenit, ad universam terram omnino pacandam, multa desiderabantur.

§ V.

Saulus, a Philistaeis proelio victus, sibi ipse mortem conscivit, Hebraei autem, qui evaserant, contra hostem communem vires suas non conjunxerunt, sed, scissione facta, omnes e tribu Judae Davidem secuti sunt, reliquae tribus, suadente Abnero duce, Isbosethen, Sauli filium, regem constituerunt. Sic vero exarsit civile bellum, quo per septem annos saeviente, nemo de finibus terrae ulterius proferendis cogitavit. Simul atque vero David, mortuo Isbosethe, rerum solus potitus est, arma convertit in Jebusaeos, qui in confiniis tribuum Judae et Benjamin arcem Hierosolymorum, natura munitissimam, tenebant. Nihil morata est eum locorum asperitas, arcem vi cepit, incolisque trucidatis sedem regiam ibi collocavit. Tum Philistaei, impressione facta, crescentem regis potentiam infringere conati sunt; at semel iterumque victos David in potestatem redegit (1). Idem fere passi sunt Moabitae, qui non ita multo post, foedere cum Idumaeis et Ammonitis inito (2), bellum contra Hebraeos movebant; ipsos enim David ad internecionem caesos tributarios reddidit, et Idumaeorum quoque terram praesidiis ubique dispositis sibi subjectam te-

(1) 2 Sam. V. 17-25. VIII. 1.
(2) Ps. LXXXII. 3-9. 2 Sam. VIII. 2.

nuit. Hisce feliciter gestis, rex Syros tentare statuit (3). Syri sive Aramaei, quo nomine in Sacris Literis et Mesopotamiae incolae (4), et omnes gentes, ab Euphrate flumine ad Hermon et Libanum usque habitantes, designantur, tum temporis multis regulis parebant, modo a se invicem liberis aut foedere junctis, modo potentiori cuidam ipsorum subjectis. Jam Saulo cum *regibus Sobae*, quod regnum non multum a Chamath abfuisse videtur, potissimum pugnandum erat (5); et nunc quoque rex Sobae, Adareser, reliquis plerisque imperabat (6). Hunc inopinato oppressum David primo impetu fudit, Syros Damascenos, Adareseri opem laturos, deinceps cecidit, urbemque cepit, et regem Chamath, Adareseri infestum, amicitia sibi adjunxit (7); ceteri autem reges minores resistere non audebant, adeo ut ad Euphratem usque Hebraeis omnia subjicerentur. Ex omnibus fere populis vicinis soli Ammonitae, Hebraeis amici, libertatem adhuc tuebantur. Tandem vero hi quoque, intempestiva suspicione moti, Davidem ad bellum provocarunt, et, foedere cum omnibus Syriae regibus inito, magnum exercitum Hebraeis opposuerunt. At Joabus, Hebraeorum dux, et virtute sua, et rei militaris peritia, de utrisque gentibus iterum iterumque triumphavit, Syros

(3) 2 Sam. VIII. 3. 1 Paral. XVIII. 3.

(4) Gen. XXIV. 10. אֲרַם נַהֲרַיִם

(5) 1 Sam. XIV. 47.

(6) 2 Sam. X. 19.

(7) 2 Sam. VIII. 3-10.

denuo redegit, et Ammonitas, capta eorum urbe, gravissimis suppliciis perdomuit (8).

Magnum igitur imperium Salomo satisque pacatum a patre suscepit, et sub initio regni singulis partibus melius etiam prospexit. Eos e populis Chanaanaeis, qui, a diversis tribubus olim liberi relicti, suis legibus adhuc utebantur, deinceps adortus vicit, victosque in servitutem redegit; quo factum est, ut omnes fere civitates alienae e terra Hebraeorum tollerentur. Provincias autem multis urbibus aut conditis aut munitis firmavit : sic Palmyra aliaque oppida plura, in regionibus septentrionalibus condita, atque classes, in Asiongaber et Ailath exstructae, sapientiam ejus et ingenium demonstrant (9). Populi vicini potentiam ejus verebantur; cum Phoenicibus, quorum mercatura Palaestinam locupletabat, amicitiam, a patre initam, novis foederibus firmavit, et cum Aegyptiis quoque, filia Pharaonis in matrimonium ducta, societatem contraxit. Utrum vero nova haec cum Aegyptiis ratio Hebraeis profuerit, multum est quod dubitemus : ipsorum quidem ope Salomo Chanaanaeos quosdam in Palaestina, Gazeritas, penitus subegit (10), eorumque vicinitas, tum propter auctam Hebraeorum potentiam, tum propter equitatum a Salomone instructum. nunc minus timenda videbatur; sed tamen Pharaones, sive imprudentia sive malignitate rebus Hebraeorum sese immiscentes, civitati multum mali intulerunt. Ex Aegypto enim

(8) 2 Sam. X. XI. XII.
(9) 1 Reg. IX. 20. 21. 18. 26. 27. 2 Paral. VIII. 2. 3. 17. 18.
(10) 1 Reg. IX. 16.

exiit Genubath ille, Idumaeorum rex, qui, cum Salomo aetate provectior rebus prospicere minus posset, in Idumaea rebellavit (11); in Aegypto quoque Jeroboamus, qui in ipsa urbe regia seditionem moverat, tutum refugium invenit (12); et quamquam eorum conatus sperato exitu caruerunt, tamen hae turbae in caussis fuisse videntur, ut universa Syria a Salomone deficeret; nam eodem fere tempore Rezon quidam, natione Syrus, motu populari regiam dignitatem Damasci usurpavit, et Hebraeorum trepidatione tam bene usus est, ut omnia regna ab Antilibano ad Euphratem in libertatem vindicaret (13). Qua Syriae defectione factum est, ut regnum, quod Roboamus et Jeroboamus inter se diviserunt, in meridie quidem ad Aegyptum et Arabiam pertingeret, in septentrione autem vix ad Antilibanum et Hermon montes protenderetur, ibique Syris, utrumque montem magna ex parte tenentibus, aditus in Palaestinam quandoque pateret.

(11) 1 Reg. XI. 14-22.
(12) Ibid. vers. 26-40.
(13) Ibid. vers. 23-25.

CAPUT SECUNDUM.

DE ANTIQUIORI CIVITATIS ORDINATIONE EJUSQUE PROPUGNATORIBUS.

§ VI.

Ordinatio reipublicae Hebraeorum multum differt a legumlationibus plurimarum civitatum; plerumque enim leges civitatis ingenium et indolem ejus populi referunt, qui eas jussit, et, alterae post alteras latae, civitatis rationem non nisi paullatim immutare solent; Hebraeis autem contrarium accidit. Moses, divinus eorum legumlator, leges dedit, quae, non ex moribus ipsorum scriptae, populi ingenium mutarent atque erigerent: nationem in duodecim popellos distributam in unum populum coëgit, has gentes, ex more antiquo nomades, certas sedes occupare, agrosque colere jussit, et multitudinem, diuturna servitute corruptam et effeminatam, libertatis sensu adeo perfundere studuit, ut praestantissimum populum in orbe terrarum sese putaret, et revera evadere aemularetur. Omnia igitur mutanda erant: vivendi ratio, religiones, mores omnino et usus longa consuetudine inveterati; neque mirum est, Mosem, per quadraginta annos summo imperio usum, continuis populi seditionibus fuisse impeditum, sed mira potius videtur viri constantia et fortitudo, qui unus omnibus restiterit, et pristinis istis

servis tum senio exstinctis, tum trucidatis, novum sibi paraverit populum, ipsius dicto audientem, novisque legibus recipiendis magis idoneum. Quantum successum conatus ejus habuerint, etiamsi omnia reliqua monumenta interissent, luculentissime tamen inde conspiceretur, quod totus fere Oriens nomen Mosis adhuc reveretur, et ad recentiora tempora permultae leges, ab ipso latae, in diversis civitatibus Europae valuerunt. Quod sine dubio mirae cuidam ipsarum legum virtuti, non vero Hebraeorum constantiae debetur; nam legum earum universitas in Hebraeorum civitate nunquam omnino usurpata est, sed pro rerum vicissitudinibus, et pro eorum, qui rebus publicis praeerant, ingenio, singulae leges tum mutatae sunt tum neglectae, et in primis tempore Regum parum abfuit, quin omnes omnino obliterarentur. Moses enim praeceperat, ut Reges e legibus regnarent, Sacerdotes autem legum custodes essent atque interpretes, unde *illi*, ne *his* inferiores viderentur, et legum et Sacerdotum auctoritatem infringere conabantur; quae res ipsis, cum imperio militari pollerent, sic satis prospere successit. Attamen Sacerdotes et, qui eos suscipiebant, Prophetae contra singulos Reges leges patrias et legitimam civitatis rationem strenue defendebant. Ad quas Prophetarum cum Regibus contentiones omnium maxime attendendum est, quippe in quibus summa totius historia Hebraeorum vertitur. Civitatis itaque rationem *qualem Moses ordinaverat*, et *qualem*, *temporis successu mutatam*, *Prophetae servare studebant*, hoc capite exponam; de *novis rebus a Regibus tentatis* capite sequenti dicetur.

§ VII.

Nihil fere est in universa legum ferendarum ratione, a Mose inita, quod memoratu non sit dignum; neque considerare taederet, quo modo, traditionibus popularibus usus, nova antiquis adeo adnexuerit, ut civitatem restaurasse magis videatur, quam creasse; quo modo, introductis caeremoniis religiosis et ritibus externis, populum Hebraeum ab omnibus aliis separaverit, civesque, quin ipsi animadverterent, institutorum suorum reddiderit tenacissimos; quibus artibus nomades ad certas sedes sibi eligendas agrosque colendos tum excitaverit, tum coëgerit; sed longum foret et a consilio nostro alienum, haec omnia in medium proferre; ea vero praecepta eaque instituta, quae, post divisam civitatem mutatae, caussae exstiterunt diversae utriusque regni fortunae, leges nimirum quae ad conjunctionem omnium tribuum, quae ad religionem, et quae ad rempublicam administrandam pertinent, eas leges silentio hic praetermittere non licet.

Moses non voluit ut omnes tribus miscerentur et in unum omnino populum coalescerent, sed singulis tribubus suam et propriam provinciam assignari jussit, legibusque providit, ne successu temporis hae provinciae aut augerentur aut minuerentur (1); quo factum est, ut universae reipublicae gubernatio multo facilius procederet, cum unaquaeque tribus, suo Principi subjecta, *res suas* more patriarchali ipsa gereret,

(1) Num. XXXVI. 1. sqq. praecipue v. 6-9.

ideoque magistratibus publice constitutis omnino fere carere posset (2). De *publicis* vero *rebus*, de bello et pace, singulis agere non licuit (3): de his rebus Principes et Patres omnium tribuum congregati in consiliis solemnibus deliberabant. Congregabantur ad sacrarium Jehovae quoties Pontifex Maximus ejusmodi conventum ex re esse censebat (4), et quae civitas talem convocationem spernebat ad internecionem delebatur (5). Necessitate tamen urgente, alii quoque viri principes ejusmodi conciones indicebant ad res suas publice ibi exponendas (6). Sed primas partes in omnibus consultationibus agebat Pontifex Maximus, qui, oraculis a se prolatis, omnia consilia moderabatur (7), et cujus decreta nemo inultus spernebat (8). Magna quidem erat potestas summi imperatoris omnium tribuum, Suffetis (9), sive etiam Regis aliquando constituendi,

(2) Res singularum tribuum non a Summo Magistratu, sed ab ipsismet fuisse administratas, cum ex omni historia Hebraeorum, tum ex Jos. XXII. 1-6. manifeste apparet, ubi Josua tribus transjordanenses solemniter dimittit, eosque, ut res suas e legibus Mosaïcis gerant, amanter exhortatur.

(3) Num. XXXIV. 17. 18. Deut. XX. 1-9.

(4) Num. X. 3-10.

(5) Jud. XXI. 8-12.

(6) Jos. XXIII. 2. XXIV. 1. Jud. XIX. 29.30.

(7) Vid. disertum Mosis praeceptum Num. XXVII. 21. Quum versio vulgata hunc locum minus recte expresserit, ipsa verba Hebraïca adferam: ולפני אלעזר הכהן יעמד ושאל לו במשפט האורים לפני יהוה על-פיו יצאו ועל-פיו יבאו הוא וכל-בני-ישראל אתו וכל-העדה׃

Coram Eleazaro Pontifice Max. stet (Josua), et interroget oraculum Urim coram Jehova; ad os ejus egrediatur et ingrediatur ipse et omnes Israëlitae cum eo et universa concio.

(8) Deut. XVII. 12-13.

(9) In posterum hunc Magistratum *Suffetis* nomine vocabo; non quod Suffetis munus

4*

quorum erat, ut ea, quae senatus decrevisset, exsequerentur, ut in bello exercitui praeessent, et pacis tempore, aeque ac Pontifex Maximus in caussis difficilioribus jus dicerent; verum utrosque Moses Pontifici inferiores esse voluit (10). Hic itaque caput erat universae reipublicae foederatae, qua in re magna legumlatoris prudentia conspicitur : quod nimirum summam legum tuendarum curam viro commiserit, *cujus dignitas hereditaria esset, et cujus auctoritas stare non posset, nisi leges Mosaïcae accurate ab omnibus observarentur*. Dignitas enim pontificia hereditaria erat in familia Aaronis, et hic, cum esset e tribu Levitica, nullam partem terrae promissae accipiebat; nam Jehova erat pars Levitarum (11), h. e. omnis eorum cura circa cultum Jehovae versabatur, et magni, quos habebant, reditus *propter religionem* eis ab omnibus tribubus debebantur. Religio igitur Levitas eorumque principem, Pontificem Maximum, cum reliquis tribubus arctissime conjungebat, et Levitae pro sua parte per religionem omnes Israëlitas et inter se conjunctos, et sibi ipsis devinctos tenere summa ope nitebantur. Pontifex Maximus, satis magno Sacerdotum Levitarumque numero stipatus, commorabatur ad sacrarium Jehovae, in tribu quam ipse elegerit collocandum (12). Ibi

apud Hebraeos idem quod apud Carthagenienses fuisse existimem, sed quoniam haec vox nomen Hebraïcum שֹׁפֵט, unde originem trahit, sic satis bene refert.

(10) De auctoritate Suffetis diximus in nota 7; de Regum auctoritate vid. Deut. XVII. 14-20. coll. iis quae Michaëlis prolixe de ea re disputavit, (Mos. Recht § 54) et quae sequenti § dicemus.

(11) Deut. X. 9.

(12) Deut. XII. 5-28. Exod. XXIII. 14-17.

coram Jehova, uti jam diximus, de rebus publicis agebatur, ibi sacra publica, ibi sacra privata omnia ab omnibus fieri oportebat, et ter quotannis omnes Hebraei ad communem hanc religionis sedem una adesse debebant, tum ut justa sacra facerent Jehovae, tum ut, epulis cum familiaribus aliisque hospitibus celebrandis, de nomine Hebraeo gloriarentur, et cum civibus suis, ex omnibus tribubus congregatis, amicitias jungerent. Reliqui Sacerdotes et Levitae per omnes provincias distributi habitabant : octo enim et quadraginta oppida eis assignabantur (13), quatuor fere in singulis tribubus, non solum ut reditus suos, decimas omnium frugum et pecorum e lege Jehovae sibi debitas, facilius perciperent, verum etiam ut Pontifex Maximus quae in singulis provinciis agerentur scire posset, et ministros haberet in omnibus tribubus, qui ad nutum ejus praesto essent, et legem Mosaïcam auctoritatemque sacerdotalem populo inculcarent : Levitis enim imperatum erat ut per omnes civitates Palaestinae legem Jehovae docerent, et preces publicas funderent (14). Atque praeterea auctoritas hujus tribus necessario in dies crescebat, tum quoniam Moses viros sacerdotales ad judicia aliaque negotia civilia adhiberi disertis verbis jusserat (15), tum quoniam ad eos, legum, scripturae aliarumque artium peritos, omnes reliqui Israëlitae, quasi ad consiliarios publicos, recurrebant. Quibus omnibus effectum

(13) Num. XXXV. 1-8. coll. Jos. XXI. 1-40.

(14) Deut. XVIII. 6-8. cf. etiam Levit. X. 11. Quae loca Michaëlis minus attendisse videtur, cum Levitas legem docuisse omnino neget. (Mos. Recht § 52. t. I. pag. 221).

(15) Deut. XXI. 5. ubi tamen versio vulgata, vocem Hebraïcam נֶגַע, *plaga*, sensu nimis angusto, de indiciis leprae accipit.

est, ut Levitae, Summi Sacerdotis ministri, per universam civitatem quasi diffusi, pietatis sensum in populo foverent, et tanquam vivum vinculum diversas tribus in unum tenerent conjunctas.

§ VIII.

Quum Moses moreretur, Israëlitae, per quadraginta annos hac rerum gerendarum ratione, quantum in peregrinationibus fieri potuit, usi, novis legibus paullatim adsueverant; et Eleazar, Pontifex Maximus, una cum Josua, Suffete, posteaquam terram rite distribuerant, omnia secundum praecepta Mosis ordinare aggressi sunt. Pontifex Maximus cum parte Levitarum Silunte consedit, in quo oppido sacrarium Jehovae collocandum censuerat; reliqui Levitae eas ex urbibus suis, quae hostibus jam erant ereptae, occupaverunt, et singulae tribus, in suam quaeque provinciam dimissae, res suas secundum leges Jehovae gerere promiserunt; Josua adeo in urbem, ob bene de republica merita sibi concessam, sese recepit, et summam rerum Pontifici reliquisse videtur. Neque Eleazar res publicas neglexit, sed, de omnibus quae singulae tribus moliebantur certior factus, auctoritate sua omnes continuit (1). Phineas quoque, qui propter eximium legum tuendarum studium Eleazaro, patri, in pontificatu successit (2), universam ci-

(1) Jos. XXII. 11-34.
(2) Num. XXV. 11-13.

vitatem strenue moderabatur (3). At post hujus mortem mala, quae ob neglectam terrae occupationem necessario oriri debuerant, per omnia sentiri coeperunt; in primis bellorum sua ipsorum auctoritate faciendorum potestas, singulis tribubus concessa, quasi fons exstitit omnium calamitatum; quae enim tribus hostes subigere non poterant, foedera perniciosa cum eis jungebant; unde factum est, ut Israëlitae non solum connubia cum gentibus Chanaanaeis habere non amplius detrectarent, verum etiam, corruptis earum moribus et superstitionibus simul inquinati, sacra Jehovae aut omnino spernere aut ex arbitrio facere auderent. Sic Danitae in oppido, quod, sorte sua relicta, sub Antilibano occupaverant, suum ac proprium sacerdotem sibi constituerunt, Leviticum quidem, qui Jehovae serviebat (4), sed tamen sacrilegum, quippe qui, contra leges, Deum antiquo ritu per theraphim aliasque imagines colebat. Et hunc quidem cultum ad postrema tempora ibi perstitisse probabile est; nam Jeroboamus quoque, nova, quae instituit, sacra in eodem oppido Dan celebrari jussit (5). Neque erat Pontifex Max. qui auctoritate sua talia vitia reprimeret, verum Pontifices hujus temporis, quorum nomina e tabulis genealogicis vix nota sunt (6), per tria saecula otiosi Silunte sedebant, officiorum suorum adeo obliti, ut tandem Heli, e familia Ithamari, alterius Aaronis filii, oriundus (7), pon-

(3) Jud. XX. XXI. vid. imprimis XX. 26-28. XXI. 2. 3.
(4) Jud. XVII. 13.
(5) 1 Reg. XII. 29. 30.
(6) 1 Paral. VI. 3-8.
(7) Joseph. A. J. V. 11. § 5.

tificatum sibi arrogaret, ejusque dignitatem aliquantisper restitueret (8).

Annales Hebraeorum, in quibus a primis inde temporibus omnes res gestae accurate enarrantur, hoc tempore adeo turbati videntur et truncati, ut sacerdotes e familia Eleazari de malae fidei suspectos habere liceat; nam praeter fragmenta quaedam satis confusa nihil de hac aetate scriptum reliquerunt, nihil de imbecillis Pontificibus ex sua familia prodiderunt, neque de Heli quidquam attulerunt, nisi ipsius filiorumque ejus finem ignominiosum. Id solummodo ex istis annalibus constat, Israëlitas, anarchia debilitatos, succedente tempore sexies a sex diversis populis vicinis fuisse subactos, et, quod Moses recte praeviderat (9), eos identidem amplissimas legum neglectarum poenas dedisse; ex his autem angustiis non nisi legibus Mosaïcis denuo reducendis creandisque Suffetibus ad tempus sese expedivisse.

Ex omnibus autem populis illis Philistaei acerrimos Hebraeorum hostes sese praebuerunt. Cum ipsis jam Samgar, Suffes, pugnavit (10); iidem quoque tempore Jephtae, cum Ammonitis conjuncti, Hebraeos premebant (11), et postea adeo per quadraginta annos eos tributarios sibi reddiderunt. Tum quidem Simson imperium eorum aliquamdiu repressit, et post eum Heli, sacerdos, et pontificatu et suffetis munere functus,

(8) 1 Sam. IV. 4. 5.
(9) Deut. XXVIII. 30-44.
(10) Jud. III. 31.
(11) Jud. X. 7.

reipublicae magna cum laude praefuit; at sub finem vitae, cum ipse aetate nonaginta octo annorum gravaretur, et filii ejus malis moribus populi favorem amisissent, bellum cum Philistaeis denuo exarsit. Frustra Israëlitae arcam foederis in castra arcessunt; iterum iterumque fugati ab omnibus desperant, filii Pontificis in acie cadunt, arca capitur, Pontifex Max. fatali nuntio perculsus, misere perit (12), et Israëlitae victorum legibus adstringuntur. Rebus ita desperatis nemo erat qui Pontificis, nemo qui Suffetis munera obiret; nemine resistente Philistaei per viginti annos dominantur. Tum Samuel, Propheta, rempublicam capessivit, ad exemplum Heli partes Pontificis simul et Suffetis suscipiens, omniaque solus praeclare gessit, donec tandem populus — ut in Aegypto, regnante Sethone, Ordo bellatorum — aegre ferens quod dignitas sacerdotalis cum Suffetis munere conjuncta esset (13), Regem creari jussit. At, Rege creato, nova res novas dedit turbas, altera enim ex parte *inter Reges atque Prophetas rixae de auctoritate ortae sunt*, altera ex parte *binae potentissimae tribus*, *utraeque regiam dignitatem ambientes*, *mutua aemulatione exarserunt.* Cum autem Prophetae inprimis in rempublicam Hebraeorum plurimam vim exercuerint, facere non possum, quin hic paullo accuratius de iis agam.

(12) 1. Sam. IV.
(13) Samuël utroque munere fungebatur, 1 Sam. VII. 17. « Revertebatur (Samuël) in Ramatha, ibi enim erat domus ejus, et *judicabat Israëlem, aedificavit etiam ibi altare Domino* ». Populus autem *Regem* voluit *qui eos judicaret* (1 Sam. VIII. 5. 20), simulque dux esset in proeliis committendis.

§ IX.

Vis atque momentum Prophetarum in republica Hebraeorum ex ipsis legibus Mosaïcis repetendum est (1). Quamquam enim Moses *soli Pontifici Maximo, Jehovam consulere, resque publicas secundum responsa divina regere concessit*, tamen, ne ab unius hominis integritate omnis totius civitatis salus penderet, Prophetam aliquando venturum esse dixit, qui divina imperia nuntiaret. Huic Prophetae, *si verus esset ab Jehova missus*, omnes parere jussit, quique effatis ejus morem gerere essent recusaturi, eis gravissimas poenas minatus est. *Duo proposuit veri Prophetae indicia*, alterum, *ut nomine Jehovae loqueretur*, alterum, *ut ea, quae praedixisset, evenirent.* Falsos Prophetas, qui aut deos alienos profiterentur, aut, vaticinia ficta proferentes, temeraria suaderent, lapidibus obrui jussit. Qua lege factum est, ut homines fraudulenti a vaticiniis temere prodendis deterrerentur, viri autem praestantes omnium ordinum, divino spiritu divinaque voluntate imbuti, civitatem saepe e summo discrimine servarent. Sic plurimi e Suffetibus, sic Samuël etiam impulsu divino liberatores patriae exstiterunt. Samuël autem, *auctoritate Pontificis Max. sibi simul vindicata, et instituto quasi Ordine quodam Prophetarum*, horum potestatem et *amplificavit* et *firmavit*. Etenim ille, quamquam non e stirpe sacerdotali erat oriundus, tamen, in sacrario Jehovae et sub auspiciis Heli, Pontificis Maximi, eductus, leges divinas praeclare didicerat, atque, vaticiniis a

(1) Deut. XVIII. 15-22. XIII. 1-11.

se editis, *veri Prophetae* fidem apud Hebraeos sibi paraverat (2). Quae res deinde summa rerum potiundi occasionem ipsi obtulit. Nam, filiis Heli in proelio contra Philistaeos exstinctis, cum nemo esset e gente sacerdotali qui civitatem ab hostibus defenderet, Samuël sua, Prophetae, auctoritate usus, cives ad bellum contra Philistaeos reparandum excitavit, eamque rem tam strenue peregit, ut per multos deinceps annos omnis rerum gerendarum cura ipsi relinqueretur. Ad tantam vero provinciam sibi firmandam novam iniit rationem: multis nimirum sociis sibi adjunctis, rem ita instituit, ut et successores haberet sui dignos, et alios viros pios atque eruditos, qui unitis viribus Prophetarum partes tuerentur, sibi conciliaret. Ante ipsum singuli tantum Prophetae, iidemque rarissimi, apparuerant; ab ejus autem aetate *proprius quidam Ordo Prophetarum, sacerdotali non dissimilis, in civitate exstitit*, et usque ad rempublicam ab Assyriis eversam viguit. Quemadmodum enim dignitas Pontificia, hereditaria in una et sola Aaronis familia, a patre ad filium transibat, et tota tribus Levitica eam tuebatur: ita Prophetae quoque dignitas, ingenii dotibus inhaerens, fidissimis discipulis transmittebatur (3), quorum auctoritatem viri ex omnibus tribubus, Prophetarum socios sese professi, et defendebant et illustrabant. Samuël haec ipse ita ordinaverat, institutis *scholis*, quas vocant, *Prophetarum* (4),

(2) 1 Sam. III. 20. 21.
(3) 2 Reg. II. 15.
(4) Cf. Warnekros Hebr. Alterthüm. cap. XLVIII. § 91; ubi tamen minus recte hae scholae tempore Eliae primum ortae dicuntur, vid. 1 Sam. X. 5. 10. 12.
(*) Clarissimus Koopmans in disputatione De Scholis Prophetarum (quae in Comment. Latt.

ubi juvenes, qui Prophetis studebant, congregati, cantu, precibus et sacris faciundis religionis studio imbuebantur, et ad leges patrias publice profitendas sese accingebant.

De certa, qua Prophetae inter se continebantur ratione, pauca tantum constant, quae e locis Sacrae Scripturae passim obviis efficere licet :

I. *Prophetae ipsi a sociis sive filiis Prophetarum distinguendi sunt :* illi enim designantur nominibus איש-אלהים, חוזה, ראה, נביא (5), hi vocantur בני-הנביאים, licet interdum nomen נבאים etiam de filiis Prophetarum intelligendum esse videatur, ut 1 Sam. X. 5, ubi Saulus coetum Prophetarum חבל נבאים adire jubetur. Prophetae ipsi erant principes totius Ordinis (6), et *Patres* eos vocatos fuisse probabile est (7). Proprie unum solummodo summa auctoritate apud eos valuisse putamus, cujus vices alius deinceps susceperit, uti Samuël, et postea Elias atque Elisa soli reliquos rexisse videntur. Attamen interdum plures simul magna auctoritate pollebant, quales post mortem Samuëlis eodem

tertiae Classis Instituti Regii Vol. III. hoc ipso anno Amstelodami prodiit, sed serius tamen, quam ut in hac dissertatione ea uti licuisset, mihi innotuit) cap. II. § 3. 1. harum scholarum originem etiam ad Samuëlem auctorem refert.

(5) 1 Sam. IX. 9. 1 Paral. XXI. 9. 1 Sam. IX. 6.

(6) 1 Sam. XIX. 20. Lictores, cum vidissent cuneum Prophetarum vaticinantium, et *Samuëlem stantem super eos* (עֹמֵד נִצָּב עֲלֵיהֶם), factus est etiam spiritus Domini in illis, et prophetare coeperunt etiam ipsi.

2 Reg. II. 15. Videntes autem filii Prophetarum dixerunt: Requievit spiritus Eliae super Elisaeum. Et venientes in occursum ejus adoraverunt eum proni in terram.

(7) 2 Reg. II. 12.

tempore *Gad* et *Nathan*; et post regni scissionem multi alii simul Prophetarum munera obibant, quum haec omnia minus e certis legibus, quam ex ingenio et indole singulorum Prophetarum gererentur.

II. *Magno erant numero*; nam Samuël tanta Prophetarum caterva erat stipatus, ut, cum David ad eum confugisset, lictores a Saulo missi illum comprehendere non auderent; quin immo ipse Saulus, Ramatham profectus, ibi Prophetarum turbae se immiscuit (8). Posteriori quoque tempore, quum Elias disparuisset, *quinquaginta viri fortes* e filiis Prophetarum, in urbe Galgalis commorantibus, emittebantur qui eum quaererent (9). Ejusmodi autem congregationes in pluribus urbibus exstitisse reperimus: *Ramathae* (*), ubi Samuël ipse habitabat, *Gibeae*, sive potius *in urbe ad collem Jehovae* prope Cariathiarim, ubi tum arca erat (10), porro in urbibus *Jericho*, *Bethel* et *Galgalis*, quarum tamen non nisi Eliae tempore mentio fit in Sacris Literis (11).

(8) 1 Sam. XIX. 18-24.

(9) 2 Reg. II. 7 et 16.

(*) Clarissimus Koopmans (l. l. II. 3. § 2.) dubitat utrum et Ramae et Gibeae schola Prophetarum fuerit, cum hae urbes tam vicinae fuissent, ut eadem Prophetarum caterva modo in hac, modo in illa urbe versari potuisset; in cujus rei argumentum laudat Jud. XIX. 13. Hic vero locus de *Rama* urbe in tribu Benjamin sita intelligendus videtur cf. Jos. XVIII. 25. 28. 1 Reg. XV. 17. At *Ramatha* Samuëlis (רָמָתַיִם), ubi erat schola Prophetarum, in monte Ephraïm fuisse notum est. 1 Sam. I. 1. VII. 17. XV. 34.

(10) 1 Sam. VII. 1. 1 Sam. X. 3-5.

(11) 2 Reg. II. 3-5. IV. 38.

III. *Hi Prophetae et Prophetarum socii non per totam vitam ita congregati vivebant*, sed, in societatem reliquorum civium reversi, legem Jehovae docebant et defendebant; matrimonia etiam jungebant, et suas sibi habebant familias (12).

Talibus sociis auctoritatem suam tuitus, Samuël res Hebraeorum per multos annos secure moderatus est; et cum, Rege creato, imperium amisisset, tamen potestatem regiam secundum leges Mosaïcas certis finibus adeo circumscripsit, ut Prophetas quasi *Ephoros Regum* constitueret. Saulum enim, virum ex obscuritate ad regiam dignitatem evectum, a Prophetis legem edoceri jussit; atque leges, quibus Rex teneretur, in comitiis, regi creando habitis, expositas, ipse perscripsit et religiose asservavit (13).

Quae illae regni conditiones fuerint, disertis quidem verbis non traditur, sed ex ipsa Sauli historia earum argumentum sic satis intelligitur. Etenim *Samuël* in alteris comitiis, Saulo regi proclamando habitis, *ab universo populo summus voluntatis divinae interpres agnoscitur, cui omnes parere solemniter promittunt* (14). *Idem deinde Saulo, quod bellum injussus susceperit, publice reprehenso, regiam dignitatem auferre minatur* (15); et *quum denique Saulus in bello contra Amalecitas res praeter jussa Prophetae gessisset*, quamquam ipse,

(12) 1 Reg. XIII. 11. 2 Reg. IV. 1. 4. VI. 32.
(13) 1 Sam. X. 5-12 et 25.
(14) 1 Sam. XII. 14. 19. 23.
(15) 1 Sam. XIII. 13. 14.

se peccasse confessus, veniam rogabat, *tamen a Samuële rejectus*, et David a Propheta Rex designatus est (16). Unde summam legum Saulo praescriptarum hanc fere fuisse existimamus:

1. *Propheta, Jehovae interpres, primas partes teneat in civitate.*

2. *Rex injussu Prophetae (inauspicato) nihil suscipiat.*

3. *Qui vero Rex leges divinas spreverit, destituatur.*

Tanta erat auctoritas Samuëlis, tantam quoque postea Prophetae tueri studebant; et licet propter crescentem Regum potestatem *primas partes* in civitate tenere non possent, tamen Reges plerumque non nisi faventibus Prophetis res publicas feliciter gesserunt.

CAPUT TERTIUM.

DE REBUS NOVIS A REGIBUS INDUCTIS.

§ X.

Rixae inter Reges atque Prophetas ab ipso Saulo incipiebant. Dum hic, nuper agricola, regiam dignitatem, Prophetae auctoritate ac praesidio acceptam, tueri vix poterat, ipsius legibus obtemperare non recusavit; quum vero, victor in omni-

(16) 1 Sam. XV. 12-34.

bus bellis, militum favore pollere coepisset (1), imperiosi senis praecepta parum curabat. Attamen is non erat, qui Prophetis resistere valuisset; a Samuële reprobatus tandem cum omni familia periit, et regnum contigit Davidi, quem Samuël regem designaverat.

David vero, ut jam dictum est, non statim universo Hebraeorum imperio potitus est; soli Judaei ei adhaerebant, reliquae tribus, quae nunc *Israëlitarum* nomine in annalibus Hebraeorum *Judaeis* opponi solent, partes Isbosethis sequebantur, non quidem propter hujus virtutes, sed potius propter inveteratam *Ephraïmitarum* contra *Judaeos* invidiam, cujus vestigia per totam Hebraeorum historiam conspiciuntur. Olim enim Ephraïmitae in civitate Hebraeorum principatum tenuerant: ex Ephraïmitis Moses successorem sibi elegerat Josuam; in eorum agro arca foederis fuerat collocata; ibi fuerat sedes Jehovae, ibi regni totius caput. At successu temporis haec omnia Judaei sibi adrogaverant; nam et arcam foederis, casu quodam ipsis oblatam (2), in suo agro collocaverant, et summo studio rem eo adduxerant, ut etiam dignitas regia sibi cederetur; quum enim Samuël Saulum, *Benjaminitam*, regem constituisset, Judaei, obedientiam alieno regi praestandam indignati (3), aperte quidem repugnare ausi non sunt; simulac vero David,

(1) Saulus tria millia militum habebat, qui semper ei praesto essent. 1 Sam. XIII. 2. 1 Sam. XIV. 52.

(2) 1 Sam. VI. 1.—VII. 2.

(3) Judaeos omnium maxime Saulo parere recusasse, ex 1 Sam. XI. 8 conspicuum est, ubi, in recensendo exercitu Sauli, Judaei, parvo eorum numero accurate notato, *prima vice* Israëlitis opponuntur.

Judaeus, a Samuële Rex esset unctus, hujus parti omnibus modis favebant: Judaea Davidi, a Saulo fugienti, tutum quasi refugium praebebat (4); ibi per longum tempus cum sexcentis satellitibus versabatur (5), et nuntio de Saulis interitu allato, principes Judae eum, nulla reliquarum tribuum habita ratione, Hebrone Regem proclamaverunt. Israëlitae autem Regem creaverunt Isbosethem. Hinc factum est, ut jam tum temporis duo regna orirentur; quae separatio fortasse perpetua fuisset, si imbecillus Isbosethes eadem prudentia usus esset in arrogantem Abnerum, qua David sceleribus ambitiosi Joabi indulsit. Sed, Isbosethe post septem annos per fraudem interfecto, communi omnium consensu David solus regnavit, et civili prudentia plenus rempublicam factionibus laceratam feliciter pacavit, cum et Prophetas atque Sacerdotes sibi addictos haberet, et reipublicae administratione aliter instituta, singulis tribubus aemulationis ansam non praeberet.

Prophetae Davidem, ipsorum auctoritate Regem creatum, continuo adjuvabant: Sauli tempore, apud Samuëlem Ramathae refugium ei patebat, et cum diutius ibi tutus esse non posset, Gad Propheta profugum in Judaeam comitabatur (6); eodem se contulit Abiathar Pontifex, e strage sacerdotum, a Saulo edita, elapsus (7), qui utrique viri in omnibus rebus Davidi a consiliis erant (8); ac tandem, post mortem Isbose-

(4) 1 Sam. XXII. 5.
(5) 1 Sam. XXII. 2. XXV. 13.
(6) 1 Sam. XXII. 5. coll. XIX. 19. XX. 1.
(7) 1 Sam. XXII. 20.
(8) 1 Sam. XXIII. 2. 2 Sam. II. 1. 2 Sam. V. 19. 23.

this Sadocus quoque, familiae Eleazari princeps, cum omnibus gentilibus suis Davidis partes amplexus est (9), adeo ut omnes eidem Regi faverent. Attamen auctoritatem ejus intra justos fines continebant; quum enim David, fervido ingenio abreptus, arcam foederis, nulla sacerdotum habita ratione, ex urbe Cariathiarim Hierosolyma devehere conaretur (10), rem peragere non potuit: periit Levita, qui injussu sacerdotum ad arcam accedere ausus erat, et Rex, se absque sacerdotibus id exsequi vix posse intelligens, ab incepto destitit, donec sacerdotes omnesque Levitarum principes congregarentur. His deinde in consilium vocatis, arcam Sione solemniter collocavit, et res sacras pro rerum necessitate ordinavit (11): Sadocus Pontifex Gabaonem concessit, in tabernaculo Mosis sacra facturus (12); alter Pontifex Abiathar Sione mansisse sacrisque coram arca celebrandis praefuisse videtur (13); reliquis Levitis diversa negotia data sunt, tum ut sacra Jehovae facienda concentibus musicis celebrarent, tum ut tentorium et arcam custodirent (14). Quibus omnibus David insignem gra-

(9) 1 Paral. XII. 28.

(10) 2 Sam. VI. 1-11. coll. 1 Paral. XV. 13. Chronista quidem, 1 Paral. XIII. 1. 2. sacerdotes statim accersitos esse refert; at ex cap. XV. 3-15. hanc translationem primum insciis sacerdotibus factam esse apparet.

(11) 1 Paral. XV. 3-11. 17-24. XVI. 4-6. 39-42.

(12) Post arcam a Philistaeis captam tabernaculum, quod Moses in deserto confecerat, in urbem Nob traductum, inde vero post Achimelechi Pontificis Max. caedem Gibeona translatum esse videtur. 1 Sam. XXI. 6-9. coll. Matth. XII. 4. 1 Sam. XXII. 18. 19. col. 1 Paral. XVI. 39. 40. XXI. 29. 30.

(13) 1 Paral. XVI. 1. col. 1 Reg. II. 26. 27. 35.

(14) 1 Paral. XV. 16-24.

tiam apud ordinem Leviticum sibi conciliavit, et utrumque pontificem adeo sibi devinxit, ut, quum seditione ab Absalomo mota a plerisque principibus derelinqueretur, ipsi cum summo vitae periculo auxilium ei praestarent. Attamen, praeter auctoritatem sacerdotalem, nulla ipsis relicta fuisse videtur potestas moderandae reipublicae: sacerdotes concionem populi non amplius convocabant; neque adhiberi quidem ad eam solebant (15); Rex solus jus dicebat (16), et quando oraculum Jehovae consulendum videbatur, raro *Sacerdotes*, plerumque *Prophetas*, tanquam veros Jehovae interpretes, adibat (17).

Nova hac rerum gerendarum ratione David etiam singularum tribuum auctoritatem minuebat. Bellis pro arbitrio susceptis, iisque feliciter gestis, potestas ejus in cives simul cum potestate in populos vicinos crescebat. Tantas enim divitias ex praeda et tributis, quae diversis gentibus imposuerat, sibi paravit, ut palatia Hierosolymis exstrueret, regiumque apparatum ordinaret. Exercitum quoque perpetuum, ad ducenta octoginta octo millia auctum, in duodecim catervas distribuit, quae, singulis mensibus sese excipientes, ad aulam Regis alternis vicibus excubias agerent (18). Hi autem milites non erant conscripti secundum tribus; ratione militiae David populum pro arbitrio distribuere maluit. Singularum tribuum principibus alia negotia commisit (19). Alios itidem viros reditbus

(15) 2 Sam. XV. 27. 35.
(16) 2 Sam. XV. 3. VIII. 15.
(17) 1 Paral. XVII.
(18) 1 Paral. XXVII. 1-15.
(19) Ibid. v. 16-22.

percipiendis praefecit (20). Praeterea sexies mille Levitas judices constituit et civitatum administratores (21). At summae rerum *solus praeerat Rex* cum consiliariis (22), quos sibi ipse adsciverat; et ad exsequenda ejus imperia praesto erant copiae praetorianae, quibus Banajam, Jojadae sacerdotum principis filium, praefecerat (23). Rebus ita constitutis fieri non potuit, quin omnes tribus magis magisque in unum coalescerent, et quamquam odium Israëlitarum in Judaeos, data occasione interdum erumpens (24), extingui nondum poterat, tamen regis auctoritate adeo coërcebatur, ut aliquando plane desiturum videretur.

Soli Prophetae infinitam regis potestatem quodammodo temperabant; neque tamen *vi* aut *potestate civili*, qualem Samuël lege sibi adrogaverat, sed *consilio* et *auctoritate divina*, tum in rebus publicis, tum in rebus domesticis, multum apud regem pollebant. Sic Nathanus templum Jehovae non a Davide, sed a Salomone filio, quando Israëlitae Judaeis primas partes tribuere magis consuevissent, exstruendum esse censuit (25). Idem Nathanus Davidem ob adulterium cum Bethsaba commissum castigavit; et pari libertate usus, Gad propheta ob censum, invito Jehova institutum, Regi poenas minatus est.

(20) Ibid. v. 25-31.
(21) 1 Paral. XXIII. 4. XXVI. 29-31.
(22) 1 Paral XVIII. 14. 15. XXVIII. 33.
(23) 2 Sam. VIII. 18. coll. 1 Paral. XII. 27.
(24) Quum e. g. post cladem Absalomi, Judaei Davidem soli reduxissent, Israëlitae, auctore Seba, Benjaminita quodam, a Judaeis desciscere tentaverunt. 2 Sam. XIX. 39. XX. 22.
(25) 2 Sam. VII. 1-17. in primis v. 7 et 13.

Nullum plane negotium majoris momenti absque Prophetis gestum esse videtur; nam Nathanus de eo, quod Adonias, se inscio, rex esset constitutus, apud Davidem vehementer questus est (26), neque hic dubitavit, quin Salomonem, cui Prophetae regnum praedixissent (27), successorem sibi declararet; quo facto Salomo, a *Sadoco Pontifice Max.*, *a Nathano Propheta*, *et a Banaja Praetorianorum Praefecto* in publicum deductus et unctus, Rex solemniter renunciatus est.

§ XI.

Nunquam facile Rex ullus melioribus auspiciis ad imperium pervenit quam Salomo, qui Prophetarum et Sacerdotum studio (1), et omnium paene Principum voluntate et assensu (2) regnum sortitus est amplissimum, bene ordinatum, exercitu formidabili instructum. Ad haec pater aerarium ipsi reliquerat opibus repletum, atque omnia praeparaverat, ut templo exstructo *sedem regiam* redderet *imperii metropolin*, *praecipuam commerciorum stationem*, *Asiaeque anterioris caput*. Salomo tantis rebus gerendis se indignum non praebuit, Hierosolymis templum exstruxit pro ea aetate magnificentissimum, aliisque operibus sumtuosis susceptis, ac festis solemnibus institutis, et artes alebat et commercia interiora augebat; commercia

(26) 1 Reg. I. 24-30.
(27) 2 Sam. VII. 13. coll. 1 Paral. XXVIII. 6. 2 Sam. XII. 25.
(1) 1 Reg. I. 24-30.
(2) 1 Paral. XXIX. 24.

autem externa ipse solus faciebat, et societate cum Phoenicibus inita, navigationem quoque tentabat; exercitum equitatu auxit, ac per totum imperium urbes condidit, conditasque munivit. Ad omnes vero hasce operas serviles gentibus utebatur Chanaanaeis, quae, Judaeis subjectae, in Palestina habitabant; reliquae civitates peregrinae, ab Aegypto ad Euphratem ipsi tributariae, pecuniam solvebant, sive potius commerciorum materiam ei suppeditabant. Israëlitae autem, quasi omnium domini, aut stipendia merebant, aut reliquis gentibus praefecti, imperabant (3). Salomo igitur Rex factus est omnium tum temporis potentissimus, atque Israëlitae, tanto splendore delectati, liberam rempublicam in tyrannidem orientalem abiisse vix animadverterunt. Salomo omnia audebat: legibus Mosaïcis neglectis, inauditum foeminarum numerum undique sibi comparavit, provincias satrapiarum modo administrari jussit (4), foedera cum Aegyptiis iniit; ne dicamus de equorum multitudine, de commerciis cum alienis populis factitatis aliisque institutis, quae Moses disertis verbis prohibuerat.

At quis nimiam Regis potentiam coërcere potuisset? *Sacerdotes* in viginti quatuor classes descripti, et *Levitae*, secundum alium ordinem a Davide praescriptum distributi (5), ad ministerium templi faciendum alternatim per hebdomades ex diprovinciis Hierosolyma adibant, ubi dicto Regis audientes esse consueverunt, et caeremoniis intenti, rempublicam non

(3) 2 Paral. VIII. 9. 1 Reg. IV. 25.
(4) 1 Reg. IV. 7-23.
(5) 1 Paral. XXIII. XIV.

amplius curabant; Sadoci enim Pontificis Max. post Salomonem unctum ne mentio quidem fit in annalibus Hebraeorum.

Prophetae minus a Rege pendebant, quum neque templo essent adjuncti, neque aliis ministeriis publicis fungerentur, sed, tenui victu contenti, Regis gratiam parum curabant. Salomo autem his quoque censoribus sese liberavit: se ipse Prophetam professus (6) omnia, quae praeter leges Mosaïcas instituit, divina auctoritate egisse videbatur; unde, dum omnia prospere ei cedebant, et *Populus* et *Prophetae* mutationibus istis adquiescebant; etenim hi neque Regem de legibus neglectis denituri adibant, neque instituta ejus praeceptis Mosaïcis contraria publice reprehendebant.

Brevi tamen mutati imperii incommoda apparuerunt: Rex, omnibus libidinibus deditus, res publicas neglexit, peregrinis religionibus indulsit, et aucta luxuriae sumtuumque cupidine, Israëlitas, ad illam usque aetatem ab omnibus oneribus publicis immunes, exactionibus premere coepit. Hinc turbae per totum imperium oriuntur, populi vicini jugum excutere conantur, ipsi Israëlitae Regi parere recusant. Salomo enim, Hierosolyma urbem magis magisque ornare studens, jam non ut olim Tyriorum et populorum victorum operis utitur, sed viros, e singulis tribubus Hierosolyma accitos, operas serviles facere jubet. Hoc omnes graviter ferunt, in primis autem *Ephraïmitae* fremunt, quod sedem *Regis Judaei* suis ipsi manibus ornare

(6) 1 Reg. III. 1-14. coll. 2 Paral. I. 8-13.

coguntur (7). Ad haec cultus alienorum Deorum, recens introductus, optimum quemque adeo angebat, ut, quum religio ipsa labefactata videretur, Prophetae silentium diutius tenere non possent. *Achias* autem, eorum princeps, propter promissa, Davidi a Nathano facta (8), familiam ejus proscribere ausus non est; sed imperium ad tempus dividere maluit (9), ut Reges Davidici, ea re perculsi, ad leges patrias se reduci paterentur. Hoc consilio Jeroboamum adit, regium Ephraïmitarum praefectum, quem, cum virum fortem consiliique plenum novisset, regni spe ad defectionem allicit (10); Ephraïmitae vero, caussam Jeroboami libenter amplexi, seditionem continuo movent. Sed, re in irritum versa, Jeroboamus, tantis potentissimi Regis viribus impar, aliam opportunitatem exspectaturus in Aegyptum confugit.

Interea consilium dividendi imperii, hac seditione vulgatum, reliquis Israëlitis adeo arrisit, ut post mortem Salomonis omnia ad defectionem essent parata. Neque tum defuit ansa rixarum: Israëlitae in urbe *Ephraïmitica* congregati postulabant, ne tam duro, quam pater, in ipsos uteretur imperio; ad quod cum ille superbe respondisset, undecim tribus Jero-

(7) Ephraïmitae propter operas serviles, Hierosolymis faciendas, duce Jeroboamo seditionem contra Regem moverunt cf. 1 Reg. XI. 27. 28. coll. 2 Paral. XIII. 6. Versio vulgata Jeroboamum *praefectum supra tributa* fuisse exprimit; at vox Hebraïca סֵבֶל (v. 28) de operis servilibus sive de angariis intelligenda est cf. סִבְלוֹת Exod. II. 11 alias.

(8) 2 Sam. VII. 15. 16.

(9) 1 Reg. XI. 29-39. cf. ad vers. 34. 2 Sam. VII. 15. 16.

(10) 1 Reg. XI. 29-40.

boamum, *jam antea ex Aegypto revocatum*, sibi regem elegerunt (11). Altera nunc facta est separatio Regni, eademque perpetua, licet Prophetae sperarent fore, ut successu temporis utraeque partes denuo coalescerent (12). Nam tempora mutata erant, mutata rerum facies. Davidis et Isbosethis tempore *duo erant Pontifices*, qui in singulis regnis justa Jehovae sacra faciebant; quapropter utraque veram se Jehovae civitatem esse gloriabatur, utraque, legibus Mosaïcis addicta, a reconciliatione aliena esse non poterat. Jam vero, quum templum in *ipsa sede Regis Judaeorum* esset exstructum, omnia sacra *Hierosolymis* erant facienda; eo Levitae quorum major pars in regno Israël habitabat, ad ministerium templi, et reliqui Israëlitae ad dies festos celebrandos statuto tempore convenire religione tenebantur, ibique Sacerdotes *regnum familiae Davidicae perpetuum fore docebant.* Salvo igitur hoc religionis cultu reges Israëlitici salvi esse non poterant; unde Jeroboamus, quod religioni patriae valedicere, quam regnum periclitari malebat (13), novum cultum instituit, quem ipse in Aegypto didicerat et Israëlitae jam olim adamaverant: *Deum forma Bovis expressum coli jussit* (14), *depulsisque de sacerdotio Levitis ipse Pontificis vices gerebat.*

(11) 1 Reg. XII. 1-20. 2 Paral. X. 1-3. cett.

(12) 1 Reg. XI. 39.

(13) 1 Reg. XII. 26-33.

(14) Dubitari vix potest, quin Israëlitae sub his imaginibus *Jehovam* adoraverint; nam Jehu rex cum sacerdotes Baalis (עבדי הבעל) interficeret, reliquos sacerdotes Israelitarum *ministrorum Jehovae* (עבדי יהוה) nomine appellat, 2 Reg. X. 23.

Sic vero perpetuam quidem reddidit separationem, neque tamen familiae neque imperii ruinam artibus suis avertit. Cum enim *Prophetae*, hanc Regis impietatem coërcere frustra conati, et *familiae regiae et universae civitatis interitum praesagirent*, factum est his oraculis, ut viri pii de republica desperarent, impii autem divina quasi auctoritate seditiones conflare auderent. Hoc itaque discrimen ex ipsa rerum natura inter utraque regna obtinuisse reperimus: *quod insigne religionis studium, quo Hebraei magis quam alii populi flagrabant, in regno Judae civium concordiam et fidem in reges necessario augebat, idem vero in regno Israël motuum civilium quasi fons perpetuus exstitit.* Et hic quidem diversus rerum status cum maxime in caussis fuit, cur regnum Judae diutius staret quam regnum Israël. At aliae quoque caussae nequaquam negligendae ad hanc accesserunt; de quibus omnibus nunc suo ordine dicemus.

EXPOSITIO

CAUSSARUM CUR REGNUM JUDAE DIUTIUS PERSTITERIT QUAM REGNUM ISRAEL.

§. XII.

Caussae cur regna aut floreant aut intereant duplicis generis esse solent: sive enim *internae* sunt, sive *externae*. Internas dicimus eas, quae e statu et conditione ipsorum regnorum nascuntur; eaeque iterum duplicis generis sunt, quippe quae vel *e situ et natura terrae* vel *ex interiori reipublicae statu et administratione* prodeunt. Externas autem dicimus, quae *e rebus cum aliis populis*, e foederibus scilicet initis et e bellis cum iis gestis oriuntur. Omnis itaque quaestio cur civitas quaedam sive steterit sive interierit, ad tria haec momenta referri potest: *ad situm et naturalem terrae conditionem, ad interiorem reipublicae statum et administrationem, ad res cum populis alienis gestas.*

At nobis hoc loco non de una et singula quadam civitate dicendum, verum exponendum est, quibus ex caussis alterum duorum regnorum diutius steterit quam alterum. *In utroque igitur regno singula illa momenta diligentius perpendenda sunt et, instituta inter utrumque comparatione, diversae illae caussae eruendae.* Fieri enim non potest, quin duarum civitatum altera, quae diutius steterit, aut majoribus viribus internis pollue-

rit, aut non iisdem atque altera viribus externis petita sit. Quam ob rem hanc caussarum divisionem sequentes totam rem tribus capitibus ita complectemur, ut duobus prioribus *situm et naturalem conditionem* ac *res internas* utriusque regni comparemus, et tertio denique, *enarratis rebus externis, ex ipsa regnorum historia veras caussas, cur regnum Judae diutius steterit quam Israël*, demonstremus.

CAPUT PRIMUM.

SITUS ET NATURALIS CONDITIO UTRIUSQUE REGNI COMPARANTUR.

§. XIII.

REGNUM ISRAEL complectebatur decem illas tribus quae Jeroboami partes secutae erant (1). Quum vero Danitarum et Simeonitarum terra nunquam tota ad regnum Israël pertinuisse videatur; plura autem ex oppidis Benjaminiticis ab Israëlitis possessa esse reperiamus; et praeterea civitates aliquot vicinae, quae Salomoni paruerant, ad reges Israël sese applicarent: de finibus et ambitu hujus regni uberiori quadam disputatione nobis erit agendum.

In Literis Sacris regnum Israël citra Jordanem « *ab introitu*

(1) 1 Reg. XII. 21. Roboam congregavit universam domum Juda et tribum Benjamin.... ut pugnarent contra domum Israël.

Chámath ad Mare Mortuum » sese extendisse disertis verbis declaratur. Ultra Jordanem vero « *omnis terra ab Aroër, quae est super torrentem Arnon, et Galaad et Basan* » Israëlitarum fuisse perhibetur (3). In septentrione igitur regnum Israël eosdem fere fines habebat, quibus ultimis Salomonis temporibus universum regnum terminabatur : Phoenices tenebant Acco, oppidum ad mare situm, et praeter Scalam Tyriorum tractum quendam in Galilaea superiori a Salomone eis concessum (4). Chivaei autem et gentes Syriacae, quae partem septentrionalem Antilibani incolentes Salomoni subjecti fuerant, sine dubio cum Syris Damascenis jam dudum ab Hebraeis defecerant; adeo ut ultimae Hebraeorum sedes circa Dan oppidum (5) ab ea parte simul regni termini essent. Equidem Coelen Syriam regno Israël accensere non audeam, sed potius fines septentrionales a sinu Maris Mediterranei prope Acco ad fontes Jordanis, indeque, trajecto Hermon monte, ad Euphratem perrexisse credam. Nam Rubenitae, repulsis Agareis, jam Sauli tempore usque ad hunc fluvium vagabantur, et postea quoque, Gaditis et Manassitis juncti, ad montes Damasci omnia possedisse videntur (6).

(2) 2 Reg. XIV. 25. (Jeroboamus) restituit terminos Israël ab introitu Emath usque ad mare solitudinis.

(3) 2 Reg. X. 32. 33.... et percussit Hazaël (Israëlitas) in universis finibus Israël a Jordane contra orientalem plagam, omnem terram Galaad et Gad et Ruben et Manasse, ab Aroër, quae est super torrentem Arnon, et Galaad et Basan.

(4) 1 Reg. IX. 11. Tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilaeae.

(5) 2 Sam. XXIV. 15.

(6) 1 Paral. V. 9. 10. 17-23. De Agareis cf. Strabo (XVI. p. 767) qui gentibus Arabiae eos accenset : ..... διὰ δὲ τῶν παρακειμένων Ἀραβίων ἐθνῶν, Ναβαταίων τε καὶ Χαυλοταίων καὶ Ἀγραίων.

Orientem versus desertum Arabiae regnum finiebat; nam Ammonitae et Moabitae, qui suas sibi terras habebant, Israëlitis tributarii erant, reliquae autem gentes in illis regionibus errantes, nisi Israëlitis omnino erant subjectae, tamen longe inferiores ipsis ubique cedebant.

In meridie Edomitarum terra regnum Israël ultrajordanense terminabat. Citra Jordanem vero fines meridionales indicare difficilius est, cum antiquis tribuum terminis illi non respondeant, sed, decursu temporis identidem mutati, ex situ eorum oppidorum eruendi sint, quae in confiniis fuisse ex aliis locis novimus. Sic *campos Jericho Israëlitarum* fuisse putamus, quoniam vir quidam ex Bethel hoc oppidum restauravit (7); Bethel autem, ubi Jeroboamus altare constituit, ad regnum Israël pertinuisse inter omnes constat. Quam opinionem etiam locus supra laudatus, de finibus Israël ab introitu Chamath ad Mare Mortuum restitutis, omnino confirmare videtur. Inde fines in septentrione oppidorum Ramah, Gebbethon et Accaron non procul a Gaas (8) rivo ad Mare Mediterraneum tendisse credimus; nam Ramah oppidum in priori libro Regum regno Judae accensetur (9), Gebbethon, urbs Levitica in tribu Dan sita, Philistaeorum erat, quibus eam eripere reges Israël semel iterumque frustra conati sunt; et Accaron quoque Danitae, licet sorte ipsis contigisset, nunquam possederunt;

(7) 1 Reg. XVI. 34.

(8) Rivum Gaas eundem esse qui a septentrione Joppe oppidi mari illabitur ex loco 2 Sam. XXIII. 30. cum Jos. XXIV. 30. collato sic satis constat.

(9) 1 Reg. XV. 17.

sed primum hoc oppidum a Judaeis captum est, et deinde Philistaei illud receptum continuo tenuerunt (10).

Quid vero de *Simeonitis* et *Danitis* dicamus? Utrique ad regnum Israël parum fecisse videntur; eorum enim nulla fit mentio in historia Israëlitarum, et ex oppidis, inter medios Philistaeos et Judaeos ipsis assignatis, alia ab his, alia ab illis occupata reperimus. Judaei habebant *Sara*, *Ajalon* et *Thamna* Danitarum, et *Bersabe* atque *Siceleg* Simeonitarum oppida (11); Philistaei autem *Gebbethon* et *Accaron*, possidebant (12). Neque tamen credendum est, hasce tribus Judaeis sese omnino miscuisse; nam Simeonitae in describendis festis, Hierosolymis celebratis, inter advenas ex regno Israël diserte recensentur (13); et quum Ezechiae tempore regnum Israël destrueretur, ipsi quoque huic calamitati implicati sunt, relictisque sedibus suis in regiones meridionales Judaeae et in montes Seïr sese receperunt (14).

Sic vero nulla quidem ex parte *certos* hujus regni fines indicare possumus; sed tamen situs et ambitus ejus ex iis quae diximus adeo cognoscuntur ut jam ad naturalem terrae conditionem paucis illustrandam progredi liceat.

(10) Jud. I. 18. 1 Sam. V. 10.

(11) 2 Paral. XI. 10. XXVIII. 18. coll. Jos. XIX. 41-43. — 1 Reg. XIX. 3. 1 Sam. XXVII. 6. coll. Jos. XIX. 2. 5.

(12) 1 Reg. XV. 27. 1. Sam. V. 10.

(13) 2 Paral. XV. 9.

(14) 1 Paral. IV. 39-43.

Diversae regiones, quibus regnum Israël continetur, quoad naturam terrae in duas classes commode distribui possunt, quarum altera *loca infera et plana*, altera *tractus montosos* complectitur. Tanta enim differentia ibi obtinet inter loca plana et montes, ut diversis fere zonis accensenda videantur (15). In locis planioribus a mense Martio ad Octobrem rura ingenti calore aestuant, rivi fere omnes siccantur; et ubi terra, imbribus vernis et autumnalibus irrigata, humorem ad nutriendas plantas necessarium tenere non potest, agri steriles jacent. Ibidem tempus hiemale tam mite est, ut mali punicae aliaeque pomi nobiliores sub divo floreant. Montes autem hieme nive teguntur, ibique eadem fere coeli temperies, quae in plerisque mediae Europae regionibus, habetur. At nobis simul alia divisio magis historica hic respicienda videtur, qua terra cisjordanensis a transjordanensi, et in utraque parte plures denuo provinciae a se invicem distinguuntur.

Quod ad loca plana attinet, bini montium tractus, qui ad utramque partem Jordanis regnum Israël trajiciunt, duas praecipue valles majores efficiunt, *alteram ad Mare Mediterraneum, alteram ad ripas Jordanis*, praeterea vero ampla planities ultra Hermon montem ad Euphratem protenditur. Attamen neque hi montes omnes omnino continentur, neque valles a Judaeae finibus usque ad Libanum non interruptae sese extendunt; sed planitiem maritimam *Saron* (16) in septentrione

(15) Volney. II. 296.

(16) Jesaias XXXIII. 9. coll. Hieron. ad h. l. et in locis Hebr. s. v. « A Caesarea Palaestinae usque ad oppidum Joppe omnis terra, quae cernitur, dicitur Saronas ».

Carmelus mons intercludit, et vallis Jordanis ab inde Mari Mortuo non ultra lacum Genesareth extenditur, ubi diversi montium rami ad lacum promissi planitiem obstruunt. Ibi vero vallis tertia, *Jezraël* nomine jam in prolegomenis memorata, a parte occidentali montium Gelboë ad mare sese protendit, et continuum montium tractum quodammodo dirimit. Haec itaque planities terram citeriorem in duas partes dividit, quae propter diversam naturam jam antiquitus peculiaribus nominibus distinctae sunt. Regio enim septentrionalis, collibus obsita, *Galilaeae* nomine in Sacris Literis venit (17); regio meridionalis, altioribus montibus insignis, primum *montium Ephraïm* et deinde a regni capite *Samariae* nomen obtinuit. In terra ulteriore loca plana et infera, quae inter Jordanem et Arnon rivum habentur, a Mose *Campestria Moab* appellantur (18); in regionibus vero editioribus *montes Gilead* circa Jabocum rivum sese extollentes (19) a *regno Basan*, quod

(17) Jam in libro Josuae *Galilaea*, *Montes Ephraïm* sive *Samaria*, et *Judaea* accurate distinguuntur : cap. XX. 7. « Decreveruntque Cedes in Galilaea montis Nephtali, et Sichem in monte Ephraïm, et Cariatharbe, ipsa est Hebron, in monte Juda. » — Diversam horum montium naturam bene expressit Volneyus (II. 279) : « *En quittant le pays des Druzes* (*l'Antiliban*), *les montagnes perdent de leur hauteur, de leur aspérité, et deviennent plus propres au labourage; elles se relèvent dans le sud-est du Carmel, et se revêtent de futaies qui forment d'assez beaux paysages; mais en avançant vers la Judée, elles se dépouillent, resserrent leurs vallées, deviennent sèches, raboteuses et finissent par n'être plus sur la mer Morte, qu'un entassement de roches sauvages pleines de précipices et de cavernes.* »

(18) Num. XXXV. 1. Cf. Deut. III. 8. 10. Tulimus.... omnes civitates quae sitae sunt in *Planitie* et universam terram *Galead* et *Basan*.

(19) Nomina Gilead (et Peraea) sensu latiori universam terram ultrajordanensem significant (Num. XXXII. 26. 29), sensu strictiori tractum montosum ad utramque partem Jaboci (Jos. XII. 2. 3. coll. Deut. III. 12. 13.).

tractus septentrionales inter Hermon montem et lacum Genesareth protensos complectebatur, distingui solent; et praeterea *sedes Moabitarum*, *sedes Ammonitarum* et *Agareorum campi*, ab oriente montis Hermon siti, suam quaeque naturam peculiarem prae se ferunt. Videamus de singulis.

Samaria, tanquam Ephraïmitarum et Manassitarum sedes, hic potissimum spectanda est. Complectebatur autem praeter ipsas montes planitiem Saron, vallem citeriorem Jordanis et magnam partem camporum Jezraël (20). Hi campi, Cisone rivo irrigati, omnium praestantissimi sunt nec montibus ullis impediti; nam Tabor mons, qui in parte orientali ad altitudinem ter mille pedum exsurgit, cum montibus vicinis non continetur, sed coni instar elatus visentibus quasi speculam offert, ex qua universam regionem uno intuitu complecti licet (21). Ipsa vero planities per duas valles minores, e montibus Ephraïm in ipsam exeuntes, cum Samaria conjungitur. In harum altera orientali *Jezraël* oppidum, quod toti planitiei nomen dedit, situm fuisse traditur; in altera Romani deinde oppidum *Legionem* condiderunt, unde haec vallis *Legionis* nomen sortita est. De eximia hujus regionis fertilitate ut scriptores antiquiores et recentiores omnes consentiunt, ita prae ceteris Josephus eam in describenda Galilaea summis laudibus extollit.

(20) Jos. B. J. III. 3. 1. Πλατύνεται δὲ (ἡ κάτω καλουμένη Γαλιλαία) ἀπὸ τῆς ἐν τῷ Μεγάλῳ πεδίῳ κειμένης κώμης, ἣ Ξαλὼθ καλεῖται, μέχρι Βηρσάβης.

(21) Voln. III. 112.

Planities Jordanis, quam Josephus etiam *Desertum* vocat (22), minus fertilis est, nec nisi circa ripas Jordanis, aut eorum rivorum qui ab utraque parte Jordanem augent, palmis, oleis aliisque arboribus vestitur; reliquae partes propter aquae inopiam incultae sunt, totaque vallis tempore aestivo aërem insalubrem et mortiferum exhalat (23), cujus rei caussa ab inundationibus Jordanis repetenda videtur. Inde enim paludes (24), et propter nimium solis ardorem exhalationes illae pestiferae nascuntur. In septentrione tamen inter montes Gelboë et Jordanem planitiem fertilissimam esse testatur Polybius (25); et in meridie, ubi montes utrinque recedunt, in utraque parte Jordanis campi latiores panduntur, quorum citeriores in Sacris Literis *campi Jericho* (26) vocari solent, ulteriores vero *campestria Moab* appellatos fuisse, jam supra diximus. Utraeque regiones propter fontes celebratae sunt: in hac thermae juxta Callirhoën vi medica pollent, in illa fons prope Jericho agros adeo foecundat, ut Josephus in universo

(22) Joseph. B. J. III. 10. 7. in fine.

(23) Ibid. IV. 8. 2.

(24) Joseph. A. J. XIII. 1. 3. Ὁ δὲ Βακχίδης, γνοὺς τὸν Ἰωνάθην ἐν τοῖς ἕλεσι τοῦ Ἰορδάνου κατεστρατοπεδευμένον......

(25) Polyb. V. 70. §. 4. 5. Ἡ δὲ Φιλοτερία κεῖται παρ' αὐτὴν τὴν λίμνην, εἰς ἣν ὁ καλούμενος Ἰορδάνης ποταμὸς εἰσβάλλων ἐξίησι πάλιν εἰς τὰ πεδία τὰ περὶ τὴν Σκυθῶν πόλιν προσαγορευομένην. Γενόμενος δὲ καθ' ὁμολογίαν ἐγκρατὴς ἀμφοτέρων τῶν προειρημένων πόλεων, εὐθαρσῶς ἔσχε πρὸς τὰς μελλούσας ἐπιβολάς. διὰ τὸ τὴν ὑποτεταγμένην χώραν ταῖς πόλεσι ταύταις ῥᾳδίως δύνασθαι παντὶ τῷ στρατοπέδῳ χορηγεῖν, καὶ δαψιλῆ παρασκευάζειν τὰ κατεπείγοντα πρὸς τὴν χρείαν.

(26) Deut. XXXIV. 3.

terrarum orbe nullam regionem esse arbitretur, quae campis Jericho aequiparari possit (27).

Planities Saron, uti nunc ita jam antiquitus in parte septentrionali silvis, in parte meridionali pascuis abundasse videtur: in his David greges regias alere solebat (28), illas Strabo commemorat (29).

In Sacris Literis multa oppida nominantur, quae in hisce campis florebant, et multo plura sine dubio fuerunt, quorum nulla omnino notitia nobis relicta est. His vero nunc non moramur, cum ea oppida, quorum in historia regni Jsraël mentio fit, sedes regiae, *Sichem*, *Thersa*, *Samaria*, *Jezraël* aliaque oppida, ut *Thapsa*, *Megiddo* et *Siloh* omnia in ipsis montibus Ephraïm jacuerint.

Tempore scissionis *Sichem*, oppidum Ephraïmiticum, in quo congregati Israëlitae Roboamum rejecerunt, sedes regia factum est (30). Situm erat in eodem fere loco ubi postea Neapolis (31) fuit, in angusta convalle *Arundineti* sive *Cana* nomine nota (32), cui in septentrione Ebal mons, a meridie

(27) Jos. B. J. IV. 8. 3...... *ὡς οὐκ ἂν ἁμαρτεῖν τινα εἰπόντα θεῖον εἶναι τὸν χωρίον, ἐν ᾧ δαψιλῆ τὰ σπανιώτατα καὶ κάλλιστα γεννᾶται· τῶν μὲν γὰρ ἄλλων αὐτῷ καρπῶν ἕνεκεν οὐκ ἂν ῥᾳδίως τι παραβληθείη κλίμα τῆς οἰκουμένης, οὕτω τὸ καταβληθὲν πολύχουν ἀναδίδωσιν.*

(28) 1 Paral. XXVII. 29.

(29) Strabo XVI. pag. 758. *εἶτα* (post Carmelum) *δρυμός μέγας τίς.*

(30) 1 Reg. XII. 1. 25.

(31) Hodie *Nablous*.

(32) Jos. XVII. 7-9.

mons Garizim imminet. Octo milliaribus geographicis Hierosolymis remotum fuisse, et medium fere inter Jordanem et Mare Mediterraneum tenuisse traditur (33). Vallis ipsa ad Mare Mediterraneum declinat, at paullo supra Sichem, ad fontem Jacobi cum alia valle latiore, ad Jordanem declinante, continetur. Tota itaque regio satis edita est, sed tamen fertilissima; nam oleae, citri omniaque olerum et frugum genera in his vallibus coluntur (34).

Thersam urbem, quam postea Jeroboamus sedem sibi elegit, Sacrae Scripturae interpretes Jordanem versus prope Thapsam oppidum (35), nec procul a Sichem sitam fuisse putant.

Majoris autem momenti nobis est *Samaria* urbs, quam Amri in monte Someron condidit; ipsa enim erat regni caput, eaque ab hostibus capta regnum quoque interiit. Sita erat uno et quod excedit milliari geographico ad septentrionem Sichem. Quanquam autem montem satis editum insidebat, tamen montibus altioribus etiam subjectam fuisse oportet, cum Hircanus vi captam immissis torrentibus everterit (36). Regio vicina fertilis erat et irrigua, atque duae viae frequentes, quae ex urbibus Acco et Damasco hodienum per valles

(33) Calmet, *Diction. de la Bible s. v.* Sichem.

(34) Thompson (*Reisebeschreibung von Palaestina*) §. 24. Voln. III. 170.

(35) 2 Reg. XV. 14. cf. etiam 1 Reg. XIV. 17. XV. 21. et Cant. Cant. VI. 4. si scripturam Hebraïcam respexeris.

(36) Joseph. A. J. XIII. 10. 3.

Legionis et Jezraël (37) Hierosolyma tendunt, non procul ab urbe Samaria concurrebant. Per ea loca Jesus Hierosolyma proficisci solebat (38), et jam antiquissimis temporibus Jacobus cum omni familia sua has regiones peragrabat; ad quas praeterea e planitie Jordanis per vallem Sichemiticam, et e planitie Saron per vallem Arundineti, qua torrentes Samariae in Mare Mediterraneum defluunt, aditus sic satis commodi patere videntur.

Quod vero de fertilitate regionis circa Sichem et Samariam dictum est, idem de reliquo tractu montoso Samariae valet; hi enim montes, tribus ex partibus planitie circumdati, medium quasi tenent inter colles Galilaeae et aspera Judaeorum juga; vallibus amoenis et fertilibus secantur, ipsique vitibus et arboribus teguntur (39). Josephus tamen hanc regionem Judaeae aequiparandam esse ait, utrasque regiones et montibus et vallibus esse insignes, agris colendis aptas, et arboribus feraces, neutram quidem rivis perpetuis abundare, sed imbres ibi esse frequentiores, fontes, si qui sint, praestantissimos pascuaque armentis saluberrima. Quam terrae fertilitatem etiam ex magna incolarum frequentia effici posse dicit (40).

(37) Hic per vallem Jezraël partem planitiei intelligimus intra montes Ephraïm recedentem, ubi situm erat Jezraël.

(38) Evang. Joh. IV 4. cett.

(39) Cf. Thompson, §. 20. Voln. II. p. 279.

(40) Jos. B. J. III. 3. 4.

Galilaeae situs adeo felicior est : a borea et noto Antilibanus et montes Ephraïm eam defendunt, et maria, quae ab oriente et occidente eam cingunt, nimium aëris calorem temperant, imbresque frequentes efficiunt. Hinc et montes feraces sunt, et valles rivis irrigatae fertilissimae. Regiones planiores, quae partem septentrionalem planitiei Jezraël et ripam occidentalem lacus Genesareth complectuntur, *Galilaeae inferioris* nomine a *Galilaea superiori*, Antilibano et Scalae Tyriorum propiori, distinguuntur. Utramque Josephus (41) felicissimam praedicat, praecipue vero oram lacus Genesareth (42), ubi aëris temperiem talem esse tradit, ut omnia omnino frugum genera ferat, plura per totum annum suppeditet. Attamen tractus montanus, praecipue circa fontes Jordanis, sua quoque commoda habet. Ibi est lacus Samochonitis, palustris quidem sed deliciis (43) non destitutus; ibi Danitae propter fertilitatem soli jam temporibus antiquissimis consederunt (44); ibidem Herodes propter locorum amoenitatem Augusto (45) templum sacravit.

In terra ultra Jordanem regnum *Basan*, quamquam monto-

(41) Jos. B. J. III. 3. 2.... *μάχιμοί τε γὰρ ἐκ νηπίων καὶ πολλοὶ πάντοτε Γαλιλαῖοι, καὶ οὔτε δειλία ποτὲ τοὺς ἄνδρας, οὔτε λειπανδρεία τὴν χώραν κατέσχεν, ἐπειδὴ πίων τε πᾶσα καὶ εὔβοτος, καὶ δένδρεσι παντοίοις κατάφυτος, ὡς ὑπὸ τῆς εὐπαθείας προσκαλέσασθαι καὶ τὸν ἥκιστα γῆς φιλόπονον· προσησκήθη γοῦν ὑπὸ τῶν οἰκητόρων πᾶσα, καὶ μέρος αὐτῆς οὐδὲν ἀργόν. ἀλλὰ καὶ πόλεις πυκναὶ, καὶ τὸ κωμῶν πλῆθος πανταχοῦ πολυάνθρωπον διὰ τὴν εὐθηνίαν, ὡς τὴν ἐλαχίστην ὑπὲρ πεντακισχιλίους πρὸς τοῖς μυρίοις ἔχειν οἰκήτορας.*

(42) Jos. B. J. III. 10. 8.

(43) Ibid. IV. 1. 1.

(44) Jud. XVIII. 7-10.

(45) Jos. A. J. XV. 10. 3. in fine.

sum est, non erat infoecundum, cum Hebraei tempore Mosis praeter innumeros vicos sexaginta urbes munitas ibi invenerint (46). *Montes Gilead* asperi plerumque sunt atque deserti et immitiores, quam qui fruges proferant, licet valles non desint, ubi praeter diversa frugum genera, et oleae et vites et palmae abunde nascuntur (47).

Campestria Moab in meridie sita plana plerumque sunt et pascuis abundantia; quae regio Rubenitis et Gaditis adeo arrisit, ut terrae promissae eam praeferrent (48).

De naturali conditione earum regionum, quas *Moabitae* et *Ammonitae* tenebant, nihil habeo quod dicam, nisi quod ex tributis, quae solvere solebant, augurari licet. Illi enim quotannis centies mille agnos totidemque arietes (49), hi decies mille coros tritici et totidem coros hordei praeter centum talenta argenti (50) tribuebant; unde terram Moabitarum rei pecuariae, terram Ammonitarum agriculturae et mercaturae faciendae aptiorem fuisse probabile est.

Campi autem ultra Hermon montem, per quas Israëlitae ad Euphratem vagabantur, nequaquam deserti sunt *omnes*; sed planities a sedibus inde Ammonitarum ad montes Da-

(46) Deut. III. 1-7. coll. Jos. XII. 4. 5.
(47) Jos. B. J. III. 3. 3.
(48) Num. XXXII. 1-5.
(49) 2 Reg. III. 4.
(50) 2 Paral. XXVII. 5.

masco a meridie imminentes protensa, hodienum feliciter colitur (51).

Nihil igitur desiderandum videtur in regno Israël quod ad *fertilitatem soli* attinet et ad *omnium proventuum abundantiam*; quibus naturae beneficiis *mercaturae faciendae opportunitas* rite accenseri potest. Altera enim ex parte Israëlitae mare tangebant, in quo tum temporis Phoenices, Hebraeorum amici, dominabantur; altera ex parte Syris et Assyriis vicini erant, quibus jam dudum magnum commercium cum Phoenicibus esse consueverat (52); unde Israëlitae non solum terrae suae proventus facile permutare (53), verum etiam, intermedii inter plures populos mercatores, ex horum commerciis uberrimum divitiarum fontem sibi parare poterant.

Quod vero ad eas res attinet, quae plurimum faciunt ad civitatum salutem, *ad situm terrae hostibus arcendis opportunum*, et *ad caput regni ab hostium adgressionibus tutum*, multum est quod desideres. Neque enim a meridie neque a septentrione finis regni Israël munimentis naturalibus tegebantur. Illinc Judaei et valli Jordanis imminebant, et per planitem Saron in medium Israël irrumpere poterant.

(51) Voln. III. 128. *Les plaines de* Hauran *et de l'Oronte sont les plus fertiles de tout le pachalic de Damas; elles rendent de l'orge, du doura, du sésame, du coton.*

(52) Abrahami ex Mesopotamia in Palaestinam migratio et Jacobi profectiones, commercium aliquod inter illas regiones jam tum temporis obtinuisse, indicare videntur. De temporibus posterioribus videatur. Ezech. XXVII. 16. 18. 23. 24.

(53) Ezech. XXVII. 17. Juda et terra Israël institores tui in frumento primo balsamum et mel et oleum et resinam proposuerunt in nundinis tuis.

Si itaque fortes essent, *ipsi* timendi erant Israëlitis, sin minus, *Philistaeis* et *Aegyptiis* aditum ad regnum Israël omnino liberum relinquebant. In septentrione autem non solum *Phoenicibus*, a quibus, cum ipsi mercaturae potius quam bello intenti essent, parum metuendum erat, universa terra patebat, verum etiam *Syros* valle inter Hermon et Antilibanum potitos nihil impediebat, quominus agros Israëlitarum, quandocumque vellent, invaderent. Nam campi latissimi circa Tabor montem, qui propter fertilitatem populos vicinos ad irruptiones faciendas quasi provocant, contra hostes a montibus irrumpentes defendi vix possunt, ipsisque occupatis Galilaea, a Samaria intercepta, simul confringitur. Tota igitur reipublicae salus pendebat a Samaria, ideoque a binis tantum tribubus, Ephraïm et Manasse, quae eam incolebant; et his adeo montes parum securitatis praebebant, cum duae viae sic satis faciles e planitie Jezraël ad firmissimum eorum propugnaculum, ad urbem Samariam, ducerent. Altera quidem via, trajecta valle Legionis, montibus utrinque imminentibus subinde coarctatur, donec ad loca edita et aperta emergit (54), unde urbs commode adiri potest; alteram vero viam, quae per vallem Jezraël transit, multo faciliorem esse non est dubium, quippe qua et reges Israëlitici (55) et reges Syriae (56) cum exercitibus et curribus Samariam adibant. Ceterum ipsa urbs optime munita erat, nam reges Syriae, qui saepius eam

(54) Thompson §. 19. 20.
(55) 2 Reg. X. 11–17.
(56) 1 Reg. XX. 1. 2 Reg. VI. 24. alias.

oppugnabant, ipsam *vi capere* nunquam potuerunt. At propter loca fertilia, quibus cingebatur, diuturna obsidione facillime claudi et fame coerceri poterat (57), adeo ut vel ipsae terrae virtutes civitati perniciei fore viderentur, nec inepte egisse cencendus sit si quis regnum Israël statuae aureae terrenis pedibus insistenti comparaverit.

§. XIV.

Regnum Judae latius patuisse videtur quam rerum Hebraïcarum scriptores statuere solent. Plerique enim fines ejus non ultra *sedes Judaeorum et Benjaminitarum* protendunt, quoniam in libro Regum (1) non nisi duae hae tribus a parte Roboami stetisse traduntur, neque vero *Idumaeorum* neque *Philistaeorum* sub primis regibus Judae ulla omnino mentio occurrit. At quum neque de harum gentium defectione quidquam proditum sit, utraeque autem et Salomoni subjectae fuerint, et inter gentes Josaphato regi subditas recenseantur (2); nos earum terras regno Judae accensere non dubitamus. In oriente igitur montes *Seïr*, in meridie *sinus Elani-*

(57) 2 Reg. VI. 25-30; videatur etiam Polyb. V. 70. §. 4 et 5. (in nota hujus §. vicesima quarta).

(1) 1 Reg. XII. 19. 20. Recessit *Israël* a *domo David*.... nec secutus est quisquam Roboamum *praeter tribum Juda solam*.

ỷ. 21. Roboam congregavit universam *domum Juda* et *tribum Benjamin* centum octoginta millia electorum virorum bellatorum ut pugnarent contra domum Israël.

(2) 1 Reg. XXII. 48-50. — 2 Paral. XVII. 11. coll. Jos. A. J. VIII. 15. 2. qui מנחה וכסף משא per ταχτοὺς φόρους reddidit.

ticus maris Arabici et *desertum Pharan* regni fines erant; et fines occidentales, qui in eodem *deserto* incipiebant, haud procul ab ostio *torrentis Aegypti* ad mare Mediterraneum exiisse statuendum videtur: licet enim Hebraei gentes nomades, in illis regionibus versantes, non nisi ad tempus domuerint, attamen terrae domini rite haberi possunt (3). Deinde *Mare Mediterraneum* regni finis erat usque ad *Joppen*, sive ad ostium Gaas rivi, ubi Israëlitarum termini erant. De Joppe, oppido antiquissimo et propter commercia celeberrimo, multum dubitatum est, utrum *Judaeorum* fuerit, an *Israëlitarum*, cum in neutrius regni historia commemoretur, neque tribui Dan, neque tribui Ephraïm accensitum fuerit. Nihil igitur certi de ea re dici potest; quam si conjectura tentare licuerit, hoc oppidum *coloniam Phoenicum* fuisse dixerim; nam populi mercatores qui ibi versabantur, Hebraeorum religionem ignorabant aliosque Deos colebant (4); hos autem Phoenices fuisse probabile est, tum quod hi a tempore inde Salomonis ad tempora Esdrae stationem mercium ibi habebant (5), tum quod Plinius hoc oppidum Phoenicum fuisse disertis verbis affirmat (6). De finibus inter regnum Judae et regnum Israël jam supra dictum est. Continuas scilicet Israëlitarum

(3) Saulus eas ad internecionem cecidit, 1 Sam. XV. 7. David bello eas petiit ibid. XXVII. 8. et Asa rex eas propter amicitiam cum Aethiopibus factam castigavit. 2 Paral. XIV. 13-1.

(4) Jonas I. 3-10.

(5) Paral. II. 16. Esdr. III. 7.

(6) Plin. H. N. V. 13. « Vicus Joppe *Phoenicum* antiquior terrarum inundatione, ut ferunt. »

possessiones ultra Gaas rivum sese extendisse non credimus, civitates autem Danitarum atque Simëonitarum, quae per oram maritimam dispersae, liberae quasi respublicae, pro diverso rerum statu, diversorum partes secutae esse videntur, neutri regno accensere malimus. Rebus quidem secundis reges Judae singulas hasce civitates procul dubio sibi subjectas habebant; at rebus adversis, neque ab his, neque a Philistaeis, neque ab Idumaeis multum auxilii sperandum erat; unde, sicut in Israël Samaria firmissimum regni munimentum erat, ita in regno Judae sola *Judaea* civitatem constituit.

Judaeam hic dicimus eam regionem quam Judaei et Benjaminitae vere habitabant. Protendebatur autem a *Gabaa* usque ad *Bersabee* (7). Gabaa oppidum, septentrionem versus uno milliari geographico cum quadrante ab urbe Hierosolymis distabat (8), Bersabee ad medium milliare nonum in meridie ejusdem urbis situm erat (9), ideoque longitudo Judaeae decem milliaria geographica non excedebat; et quum latitudo ejus, deductis regionibus maritimis et planis, in quibus Philistaei, Simëonitae et Danitae habitabant, ad octo milliaria geographica aestimanda sit; universa Judaea circiter octoginta milliaria quadrata complectebatur. Haec terra tractu montium supra memorato, quo montes Ephraïm cum montibus

(7) 2 Reg. XXIII. 8.
(8) Jos. Ant. VII. 11. 7.
(9) *Dictionnaire de Calmet* s. v. *Hebron et Bersabée*.

Akrabbim continentur, in duas partes dividitur, quarum altera occidentalis planior est et fertilior, altera orientalis asperior atque sterilior. Secundo enim milliari in septentrione Hierosolymorum montes Judae, asperitate et sterilitate insignes, a montibus Ephraïm distinguuntur, indeque ad meridiem protracti praesertim circa mare Mortuum scopulis et praecipitiis adeo horrent (10), ut omnis ista regio solitudinis nomen acceperit. Ibi erat *desertum Judae*, a monte Olivarum duobus fere milliaribus Jerichuntem versus extensum; reliqua loca deserta, quae in littore occidentali maris Mortui sese excipiunt, ab oppidis vicinis *Thecue*, *Ziph*, *Maon*, aliis, appellari solebant, et in meridie maris *vallis Salinarum* et *desertum Edom* eandem naturam prae se ferebant. Attamen hae regiones non omnino steriles erant, sed gregibus alendis aptissimae (11) sic satis habitabantur; neque deerant valles foecundiores in quibus frumenta etiam colebantur, quales sunt circa Bethlehem et Hebron. Vallis ad Bethlehem angustior est (12), Hebron autem quarto fere milliari in meridie Hierosolymorum situm erat, ubi montes Judae, ramo ad mare Mortuum emisso, paullo in occidentem vergunt et vallem

(10) Vid. Nota 16 §. superioris et Matth. III. 1. 1 Sam. XXIII. 14. 24. XXIV. 2. Jos. B. J. IV. 8. 2. Thompson §. 65. sqq.

(11) Nabal vir opulens in solitudine degens gregibus erat dives. 1 Sam. XXV. 2.

(12) 2 Sam. XIV. 30. Voln. III. 186. *Le village de Bethlem, situé à deux lieues de Jérusalem, au sud-est, est assis sur une hauteur dans un pays de coteaux et de vallons, qui pourrait devenir très-agréable. C'est le meilleur sol de ces cantons; les fruits, les vignes, les olives, les sésames y réussissent très-bien; mais la culture manque comme partout ailleurs.*

efficiunt amplissimam, collibus quidem obsitam, sed nihilominus fertilem et amoenam (13).

Regiones occidentales multo feliciores erant, collibusque disjunctae et paullatim ad mare declives vallium nomine in Sacris Literis designantur. In septentrione Hierosolymorum *vallis Spinarum* (14) commemoratur quam cum valle Gaas conjunctam fuisse putem. Huic proxima erat *vallis Ela* (15), sive *Therebinti*, duobus collibus, inter rivos Gaas et Sorec mare versus tendentibus, intercepta. Magis versus meridiem ad utramque ripam Sorec rivi *vallis Sephata* (16) sese extendit, et alia praeterea vallis foecunda rivo Gazae irrigatur. Hanc tamen vallem potissimum a Simëonitis habitatam fuisse probabile est; in reliquis oppida Judaeorum erant quam plurima: in valle Sephata habemus *Maresa*, *Libna*, *Lachis*, *Odolla*, *Gaderoth*; in valle Elah *Azeka*, *Mizpe*, *Geth*, *Ajalon*, *Thamna*; in valle Spinarum *Gaba*; quae omnia in historia regnorum Judae et Israël nominatim memorantur; ne de reliquis dicamus, quae, licet haud dubie tum temporis exstiterint, ad nostra nunc non faciunt. De his regionibus intelligendum est, quod de magna Judaeae fertilitate plerique scriptores prodiderunt (17); quod autem de sterilitate

(13) Voln. III. 187.
(14) Jos. B. J. V. 2. 1.
(15) 1 Sam. XVII. 1-3.
(16) 2 Paral. XIV. 10.
(17) Josephus contra Apionem I. 22. p. 456. Ἑκαταῖος ὁ Ἀβδηρίτης καὶ τὸ μέγεθος τῆς χώρας, ἣν κατοικοῦμεν, καὶ τὸ κάλλος ἱστόρηκε· « τριακοσίας γὰρ μυριάδας ἀρουρῶν, σχεδὸν τῆς ἀρίστης καὶ παμφορωτάτης χώρας νέμονται, » φησίν· ἡ καὶ Ἰουδαία τοσαύτη πλάτος ἐστίν: ad quem locum cf. P. Zornius ad Hecataei Abd. Fragm. p. 57. sqq.

hujus terrae clamitarunt alii, id ad tractum orientalem referendum est. In confiniis utriusque regionis sita erant *Hierosolyma*, urbs regia, et teste Plinio (18) *clarissima urbium Orientis*. Regio tamen Hierosolymitana tota ad tractum montosum pertinet. « *Jerusalem, montes in circuitu ejus* » ait David (19), cujus testimonio omnes scriptores tum antiquiores tum recentiores adsentiunt (20). Urbs tribus collibus insidebat, *Sioni* in meridie et duobus minus editis in septentrione, in quorum altero occidentali, quem Josephus *Acra* (21) appellat, urbs antiqua sita erat, in altero vero Salomo postea templum aedificavit. Jam populi Chanaanaei in bellis contra Judaeos haec loca strenue defenderant, et castellum in monte Sion exstructum, quod inexpugnabile habebatur, ad tempora Davidis securi tenuerant. David autem hunc montem vi captum magis etiam munivit, Salomo montem templi altissimis muris firmavit, et praeterea urbs antiqua suis moenibus cir-

(18) Plin. H. N. V. 14.

(19) Psalm. CXXIV. 2.

(20) Thomps. §. 37. Voln. III. 170. *A deux journées au sud de Nablous en marchant par des montagnes qui à chaque pas deviennent plus rocailleuses et plus arides, l'on arrive à Jérusalem.... L'on s'étonne de la fortune de cette ville en voyant sa situation; car, placée dans un terrain scabreux et privé d'eau, entourée de ravines et de hauteurs difficiles, écartée de tout grand passage, elle ne semblait propre ni à devenir un entrepôt de commerce, ni un siége de consommation.*

(21) Josephus B. J. V. 4. 1. Dissentiunt viri docti de situ montis Sion. Ad refutandam Cellarii opinionem qui (tom. II. pag. 330) montem Sion in septentrione urbis fuisse statuit, duos locos ex Josephi Bello Jud. indicamus (V. 6. 2. et V. 7. 2.); in quorum altero Titus *partem inferiorem* Hierosolymorum oppugnasse, in altero, moenibus superatis, *partem septentrionalem* urbis vastasse traditur.

cumdata erat (22). Singulae igitur partes, vallibus separatae, separatim defendi poterant; omnesque simul, a tribus lateribus vallibus profundioribus circumdatae, unam urbem efficiebant, quae tota in uno monte sita esse videbatur, nec nisi septentrionem versus cum aliis montibus continebatur. In oriente vallis *Cedron* sive *Josaphat* (23) urbem a monte Olivarum separabat; a meridie erat vallis *Hinnom* (24), et a reliquis quoque partibus praecipitia aditum ad urbem defendebant (25). Ipsa urbs aquis abundabat, regio autem vicina sicca esse solet et sterilis; nam Cedron rivus tempore aestivo siccatur, et duo alii fontes qui ad occidentem urbis siti, nominibus *Gihon* et *Siloh* noti sunt, tanta arte olim in urbem deducti fuisse videntur, ut extrinsecus omnino non apparerent (26). Hinc regio circa Hierosolyma tam infelix apparet, ut Strabo eam ab Hebraeis facile occupatam esse dicat, quoniam nemo eam desideraverit, neque ipsa digna sit, de qua armis contendatur (27); idem fere affirmat Volneyus, loco laudato, qui item addit, eam simul ab omnibus viis tritioribus esse remotam.— At quamquam negari non potest, viam e campis Jericho per desertum Judae atque eam, qua e Samaria per montes Hierosolyma adeunt, commodas non esse (28), tamen aditus ab ora

(22) 2 Reg. XIV. 13.
(23) 2 Sam. XV. 23. Joël. III. 2.
(24) Jos. XV. 8.
(25) Jos. B. J. V. 4. 1.
(26) 2 Paral. XXXII. 3. 4. 30.
(27) Strabo XVI. pag. 761.
(28) Thomps. §. 33.

maritima per valles Spinarum, Ela et Sephala, licet impediti, difficiles esse vix possunt, cum omnes istae valles circa Hierosolyma concurrant, et tractum illum cum regionibus fertilioribus quasi conjungant.

Philistaeorum regionem planam et aequam Hebraei a situ terrae *Sephala*, sive regionem inferiorem, Graeci ab incolis *Palaestinam* appellabant (29), quod nomen tamen postea in totam terram Hebraeorum extenderunt. Erat autem continuatio quasi planitiei Saron, cui neque magnitudine neque fertilitate cedit. Ipsam enim hodienum fertilissimam esse testatur Volneyus (30), licet nullis fere rivis perpetuis irrigetur, eamque ob caussam saepe ariditate laboret. Gaza palmis abundat et malis punicis, Ascalon cepis (31), regio circa Accaron oleis et Joppe citris. Universa vero regio diversa frumenti genera ubere profert, ibique jam antiquissimis temporibus agrorum et vitium cultura florebat (32).

Ultra Gazam Volneyus, qui eas regiones ipse vidit, omnia fere deserta invenit atque inculta (33); et prope mare profectus non nisi primo die in loca culta incidit, qualia sunt Kan-Younes (Gerara?) et El Arich (Rhinocolura). Hic vero locus ultimus est in quo ii, qui in Aegyptum proficiscuntur,

(29) Jos. A. J. I. 6. 2.
(30) Voln. III. 189. 190. II. 300 etc.
(31) Strabo XVI. pag. 759.
(32) Jud. XV. 1. 5.
(33) Voln. III. p. 202. cett.

aquam inveniunt. Similiter in terra interiori, ab hac maris Mediterranei parte usque ad montes Seïr, ut jam in prolegomenis dictum est, insulae tantum fertiles reperiuntur, quarum paucae fontibus perennibus irrigantur, plurimae pluviis hiemalibus aquam necessariam accipiunt. Notanda tamen sunt in hac regione duo oppida, propter situm navigationi opportunum celeberrima, *Asiongabar* et *Ailath*, quae in sinu orientali maris Arabici condita Salomo mercium stationem sibi elegerat. Ea Idumaeae pars, quae, mari Mortuo propior, montibus Seïr et montibus Akrabbim cingitur, olim feracior fuisse videtur, multaque oppida habebat; nunc vero propter Turcarum incuriam deserta jacet, neque satis explorata est, quoniam magna scorpionum multitudo peregrinatores ab accuratiori locorum inspectione avertit. Hinc Strabonis (34) testimonium hic adferre non dubito, qui primum post Syros et Judaeos *homines agricolas* habitare ait, in terra populosa et pascuis abundante; post eos vero regionem arenosam esse et sterilem, quae palmas habeat non multas, et spinam, et myricam et fossiles aquas. In illa regione erat *Zoar* (35), oppidum in fine meridionali maris Mortui situm; ibi erat *vallis Salinarum* (36), ibi *Petra* (37), locus natura munitissimus. Idumaea igitur pars erat regni Judae nequaquam spernenda,

(34) Strabo XVI. pag. 767 et 777.

(35) Gen. XIX. 22. Jes. XV. 5. coll. Jos. B. J. IV. 8. 4.

(36) 2 Reg. XIV. 7. 2 Sam. VIII. 13. 14. coll. 1 Paral. XVIII. 12. 13.

(37) Erat in montibus Akrabbim, neque remota a valle Salinarum Jud. I. 36. — 2 Reg. XIV. 7. coll. Strab. XVI. p. 779.

quae, nisi ipso terrae proventu, certe commerciis suis Judaeos locupletavit.

Tanta autem erat illarum regionum ad mercaturam faciendam opportunitas, ut Salomo, quamquam Judaei a commercio cum populis peregrinis abhorrebant, a mercatura abstinere non posset, et divitiis inde comparatis praecipuam regni gloriam paraverit. Intermedium erat regnum Judae inter Asiam et Africam, inter mare Arabicum et mare Mediterraneum, qui situs felicissimus jam ab antiquissimis temporibus harum terrarum incolas ad mercaturam tam terra quam mari faciendam excitabat. Olim Midianitae commercia terrestria inter Africam et Asiam factitabant (38); postea Edomitae arctius cum Aegyptiis conjuncti fuisse videntur (39). Neque dubitari potest, quin jam ante Salomonem commercium frequens inter sinus Arabici accolas et Phoenices atque Philistaeos fuerit, quum apud ipsos hos populos fama ferretur, se olim a mari Arabico ad oras maris Mediterranei transmigrasse (40). Ipsi quoque Arabes, post regnum Israël deletum, cum Tyriis negotiabantur (41), et hodie adeo sub imperio Turcarum mercatura in illis regionibus floret (42), quod argumentum certissimum esse videtur, eam in illis regionibus negligi omnino non posse.

(38) Gen. XXXVII. 28.

(39) 1 Reg. XI. 15-22.

(40) Herod. VII. 89. Steph. Byz. s. v. Ἄζωτος· ταύτην ἔκτισεν εἷς τῶν ἐπανελθόντων ἀπ' ἐρυθρᾶς θαλάσσης φυγάδων.

(41) Ezech. XXVII. 21.

(42) Voln. III. 147.

Quod ad defensionem attinet, regnum Judáe non minus feliciter situm erat. Desertum quod Aegyptum a Palaestina separat, trajectu difficillimum est, et via ad littora maris, qua trajici solet (43), ab exercitu vix erat tentatum. Ab Arabiae gentibus et reliquis popellis deserti nihil timendum erat, nisi praedationes Edomitis potius quam Judaeis noxiae. In septentrione defectio Israëlitarum regnum Judae a Syris tutos reddidit; Israëlitae autem multo minus timendi erant, et per planitiem Saron irrumpentes Philistaeos sibi objectos habebant (44). Etiamsi vero et a Philistaeorum regione et ab Idumaea recesseris, Judaea ipsa optime defendi poterat: a meridie enim et a septentrione propter montium angustias exercitui ad urbem accedere vix licuit; ab oriente mare Mortuum terram ab hostium incursionibus defendebat, et in occidente valles, per quas via ad urbem patebat, tot oppidis munitis obsitae erant (45), ut hostes non nisi subactis regionibus frequentissimis ipsum caput regni petere possent. At Hierosolyma omnium munitissima erant; unde Hecataeus (46). « Judaeam multa castella habere, ait, unam urbem munitam Hierosolyma. » Sic vero sita erat haec urbs, ut a subita impressione facile defendi posset, et diuturna obsidio tum temporis minus esset timenda, quum propter regionis siccitatem et sterilitatem exercitus sine commeatu ibi considere

(43) Jos. B. J. IV. 11. 5. Strabo XVI. p. 759. 760. Herod. III. 5. sqq.

(44) 1 Reg. XV. 27. XVI. 15-17.

(45) Plurima ex oppidis quae Roboamus munivit (2 Paral. XI. 6-10), circa valles sita erant quae aditum ad Urbem defendunt.

(46) Josephus contra Apionem libr. I. p. 456.

nequeant (47), apta vero commeatuum ordinatio non nisi a peritioribus belli ducibus tentetur. Tota itaque Judaea magna quasi arx erat, ex qua Judaei rebus secundis prorumpentes in populos vicinos dominabantur, eorumque bona participabant; quae autem, rebus adversis, tutum refugium ipsis in montibus offerebat, et propter rerum omnium inopiam catervas hostium facile avertit.

§. XV.

Si quis regnum Judae, quod ad naturalem conditionem attinet, cum regno Israël comparat, primo adspectu nihil dubitet, quin priores partes tribuat regno Israël, quod *ambitu*, *terrae fertilitate* et *hominum numero* alteri adeo praestat, ut comparatio inter ea institui vix possit; sed rebus omnibus accuratius perpensis, Judaeam quoque sua commoda sibi habere reperimus.

Siquidem maximum utriusque regni *ambitum* spectaveris, differentia eorum tanta non est; at reipublicae robur non in provinciis subactis et tributariis esse solet, sed in ipsis civibus quaerenda est; hi autem in regno Israël ad trecenta milliaria geographica quadrata tenebant, Judaei tractum octoginta fere milliarium quadratorum habitabant.

Idem dicendum est de *terrae fertilitate*. Sola *Samaria* proventuum copia et praestantia *Judaeam* aequabat, nisi adeo

(47) Jos. B. J. I. 15. 6.

superabat; et praeterea *Galilaea* omnibus frugum generibus, *Basan* et *Gilead* suo quaeque proventu claruerunt.

Incolarum numerus quoque eadem ratione fuisse videtur, qua sedium amplitudo et soli fertilitas. Accuratae quidem populi recensiones, quales Moses instituit atque perscripsit a regibus posterioribus aut non institutae sunt, aut literis non mandatae; atque aestimationes subsecivae exercituum, quae subinde in annalibus proferuntur, tantos numeros indicant, ut dubitari non possit, quin errores subsint. Argumento saltem hae traditiones esse plane non possunt; quam ob rem hominum frequentiam in regnorum descriptione silentio praetermittere maluimus. Hic autem, auctore altero Paralipomenon libro (1), in quo numerus utriusque exercitus exhibetur, notasse sufficiat Judaeos ad dimidiam partem Israëlitarum vix attigisse.

Ad mercaturam faciendam utraque regna opportune sita erant. Sed Judaei majoribus commodis fruebantur, tum quoniam commercia a Salomone coepta non interrupta ibi florebant, tum quoniam eorum regio ad facienda commerciorum negotia, quibus terrae suae sterilitati consulere poterant, melius erat sita.

Una denique ratio superest, qua regnum Judae praevaluit regno Israël, *situs ad rem militarem opportunus*. Et haec qui-

(1) 2 Paral. XIII. 3. Judaeis quadringenta millia militum, Israëlitis octingenta millia tribuuntur.

dem res magis fecisse videtur ad conservandam rempublicam, quam omnia commoda quibus Israëlitae fruebantur. Quid enim prodest fertilitas terrae, quam tuto possidere non licet? Quid hominum frequentia et regni amplitudo, si, instante periculo, omnes in unum cogi non possunt. Hoc autem accidit Israëlitis. Hostes irrumpentes a fertilissima valle Jezraël nunquam arceri poterant, neque unquam tribus ultrajordanenses Ephraïmitis auxilium praestitere, et plerumque neque Galilaea Samariae opem ferre potuit. Judaei non nisi omnes simul peti poterant, atque re in partibus inferioribus male gesta, montes ipsis patebant, quae loca hostibus operae pretium vix videbantur, ut vitae periculo ea expugnarent. Si vero etiam montes tentarent, Hierosolyma urbs facile diutius defendi poterat, quam hostes in vicinia, unde alerentur, invenirent; quum in lautis Samariae campis hostes diutius versari, quam qui oppugnabantur commeatu carere possent.

Attamen haec non ita intelligenda sunt, ac si strenua imperandi ratione regnum Israël omnino defendi non potuerit, nam praeclara rerum gerendarum ratio ipsam naturam vincit; et regnum Israël majoribus sine dubio quam regnum Judäe pollebat viribus, sed adeo illis dispersis, ut, nisi sapienti civitatis ordinatione et administratione in unum cogerentur, omnino essent dilapsurae. De qua re novo capite dicemus.

CAPUT SECUNDUM.

RES INTERNAE UTRIUSQUE REGNI COMPARANTUR.

§. XVI.

REGNUM ISRAEL vigente lege Mosaïca a Sacerdotibus atque Judaeis, qui regibus Davidicis dediti reliquas quoque tribus illis denuo conciliare impense studebant, securum esse non potuit; quam ob rem Jeroboamus, uti supra dictum est, cultum Jehovae a Mose praescriptum in regno suo abrogavit. Hac autem abrogatione simul vinculum primarium, qua omnes et singulae tribus in unum conjungebantur (1), solutum, et aequipondium, quod inter diversas reipublicae potestates esse debuit, in perpetuum sublatum est. Tres enim potestates legitimae in civitate Hebraeorum vigebant, *potestas gentilicia* sive *patriarchalis*, qua gentium capita et tribuum principes tribules suos regebant, *potestas sacerdotalis*, et *potestas militaris* sive *regia*. In his gentilicia potestas erat antiquissima. Postea Moses potestatem sacerdotalem in tribum Levi contulit, et potestatem militarem Josuae, primo Suffeti, permisit; illam Samuel atque Prophetae amplificarunt, hanc Reges, in primis Salomo, tam immodice auxerunt, ut Achias propheta, potestate gentilicia in auxilium vocata, eam fran-

(1) Vid. Prolegg. §. VII. pag. 30.

gere conaretur. At Jeroboamus, cum Prophetarum auctoritate ad regiam dignitatem esset evectus, spreta lege Mosaïca a potestate sacerdotali se omnino liberare, et omnes tribus solo imperio militari continere conatus est. Quae tamen spes ipsum fefellit; nam reges Israëlitici neque singulos cives Hierosolymis avertere, neque diversas tribus recte continere, neque a factionum artibus sibi cavere poterant.

Novus quidem religionis cultus, quem Jeroboamus induxit, Israëlitis sic satis placuisse videtur; initio saltem dies festi in urbe Bethel celebrati frequentes fuerunt (2). Sed inveteratae opiniones religiosae facilius aliquamdiu supprimi, quam penitus ex animis evelli possunt (3), et praeterea multi Israëlitae ab obtruso sibi vitulorum cultu plane abhorrebant. Hinc factum est, ut Israëlitae Judaeos eorumque cultum observantia quadam suspicerent, urbemque sacram frequentes adirent. Primum Sacerdotes et Levitae, sive quod decimae ipsis debitae ab apostatis non amplius solvebantur, sive quod civium impietatem praesentes videre nolebant, relictis oppidis suis omnes in Judaeam commigraverunt (4). Jeroboamus rex facile quidem invenit, qui, veste sacerdotali induti, sacerdotum speciem prae se ferrent; at homines isti, e faece populi sumti, supplere non poterant locum Levitarum, qui soli doctrina qua-

(2) 1 Reg. XII. 32. 33.

(3) Ipse Jeroboamus uxorem rogavit, ut de morbo filii Achiam prophetam consuleret (1 Reg. XIV).

(4) 2 Paral. XI. 13-17.

dam imbuti simul *judices*, *civitatum administratores* atque *civium consiliarii* fuerant (5). Nil mirum igitur, quod hisce judicibus, qui a regibus minus pendebant, e regno expulsis, continuae querelae de jure apud Israëlitas inique dicto agitantur. Deinde alii quoque pii Israëlitae bonis cedere, quam vero Jehovae cultui valedicere malebant, et cum familiis in Judaeam confugerunt, ubi exemplo suo et ardore, quo res divinas amplectebantur, Judaeos ad pietatem excitabant, et hoc regnum si non divitiis certe industria et pietate magnopere augebant (6). Ii denique e sinceris Jehovae cultoribus, qui in regno Israël manserunt, Judaeis potius quam suis regibus confidebant; ipsi arma contra sanctam Jehovae sedem ferre vix audebant (7), tantoque ardore festa Judaeorum frequentabant, ut Baasa rex cives suos vi arcere Hierosolymis cogeretur.

Etiamsi vero ab hoc religionis momento recesseris, Reges Israëlitarum, sive potius Josephitarum, apud reliquas tribus non eadem auctoritate pollebant, qua Reges e familia Davidis; cui familiae tum propter promissa divina, tum propter gloriosum Salomonis imperium nulla alia sese aequiparare audebat. Eodem enim jure quo Jeroboamus auctoritatem Roboami spreverat, reliquae tribus se non ultra quam ipsis placuerit Jeroboamo obligatas esse arbitrabantur; et cum potestas ejus militaris necessario multo minor esset quam Salomonis,

(5) Vid. Prolegg. §. VII. pag. 31. §. X. pag. 46.

(6) 2 Paral. XI. 16. 17. XV. 9.

(7) 2 Paral. XIII. 15. XXVIII. 8-16.

mirum non est, quod tribus remotiores res suas magis magisque ex arbitrio gerere coeperint. In primis tribus ultrajordanenses res reliquarum parum curasse videntur; quamquam enim Jeroboamus primis regni temporibus Phanuel oppidum ad Jabocum situm munivit (8), et Ramoth Gilead a Regibus Israël subinde possessum fuit (9); attamen gentes illae nomades, in regionibus longinquis versatae, a Regibus qui seditiones domesticas vix comprimebant, diu contineri non poterant. Ipsae bella sua solae gesserunt, nec nisi semel, regnante Jeroboamo II, Israëlitis omnino junctae fuisse videntur (10). Ante eum Hazaël rex Syriae eos subegit (11); postea Phul rex Assyriorum eos devicit, et Theglathphalasar, qui Samariam non infestabat, eos in Assyriam transtulit (12). Similiter major Galilaeae pars a regno Israël perpetuo fere separata erat; quum enim Syri a Judaeis provocati illas regiones occuparent, Israëlitarum rex eas vix defendit (13), et quamquam Achabus, post quinquaginta circiter annos illas recepit (14), tamen non ita multo post hae provinciae iterum amissae sunt (15); easque regno Israël denuo restitutas tandem Theglathphalasar penitus devicit, incolas vero simul cum tribubus ultrajorda-

(8) 1 Reg. XII. 25.
(9) 2 Reg. VIII. 28. 29.
(10) 1 Paral. V. 17-25.
(11) 2 Reg. X. 31-33.
(12) 2 Reg. XV. 29.
(13) 2 Paral. XVI. 4.
(14) 1 Reg. XX. 33. 34.
(15) 2 Reg. X. 33.

nensibus in exsilium deduxit (16). Neque magis Simeonitas atque Danitas sibi conjunctos habere poterant reges Israëlitici, quippe quos Philistaei a regno Israël interceptos tenerent (17). Reliquae autem tribus quae Ephraïmitis propiores et magis conjunctae erant, regiam dignitatem ad hos transiisse aegre ferentes, omnes occasiones seditionum movendarum cupide arripiebant, ut aliquem e suis Regem constituerent. Quantum revera haec tribuum aemulatio ad pacem domesticam turbandam fecerit, diserte quidem dici non potest, quoniam memoriae proditum non est, ex quot diversis tribubus diversae familiae regiae in regno Israël sibi succedentes fuerint oriundi; verum id tamen certum est, Baasam, qui familiam Jeroboami e solio detrusam ad internecionem delevit, ex tribu Issaschar fuisse; et dubitari vix potest, quin diversi dignitatis regiae competitores, qui saepe plures simul de regno certabant, a diversis tribubus adjuti fuerint (18). Gentes tributariae minus etiam quam ipsae regni provinciae Regibus Israël fideles sese praestiterunt. Post mortem Achabi Moabitae consueta tributa solvere recusarunt, et quamquam proelio victi, tamen ad tempora Jeroboami II liberi fuisse videntur (19); neque tum diu a parte Israëlitarum steterunt, sed eos ab Azaria rege

(16) 2 Reg. XV. 29.

(17) 1 Reg. XV. 27. XVI. 15-17.

(18) Menahem rex, Gadita, tribulium auxilio regno potitus videtur; nam cum Phaceja filius ejus seditione orta perierit, quinquaginta viri Galaaditae cum rege interfecti esse diserte memorantur (2 Reg. XV. 25.).

(19) 2 Reg. I. 1. III. 20-27.

Judaeorum una cum Ammonitis subactos fuisse probabile est (20).

Ceterum Jeroboamus diversas tribus religione sibi devincire non neglexit, verum summi Pontificis partes in se suscipiens potestatem Sacerdotalem cum potestate Regia conjungere conatus est. Sed novus cultus quem constituit magis idoneus erat ad Israëlitas a Judaea avertendos, quam ad eos inter se ipsos conjungendos. Duo enim loca constituit in quibus Bovis imagines colerentur, Bethel et Dan, quae oppida, in finibus regni sita, et a se invicem, et ab ipsa Regis sede nimis remota erant; quo factum est, ut provinciae septentrionales a meridionalibus magis etiam separarentur, et ipsa loca sacra non ita multo post hostibus cederent (21). Postea quidem haec oppida regno Israël restituta sunt, sed tamen reges Israëlitici intellexisse videntur, auctoritati suae magis conducere, ut religionis cultus in ipsa sede regia celebraretur. Achabus igitur cultum Baalis a Phoenicibus acceptum Samariae constituit, novo Deo templum in hac urbe consecravit et permagnum numerum sacerdotum Baalis habuit (22). Simul vero etiam monente Jezabel uxore, femina callidissima, quadringentos prophetas Jehovae Samariae nutriebat, qui in excelsis Jehovam colerent, et ficta oracula proferentes veri Dei cultores Regi devincirent (23). At haec quoque astutia nequa-

(20) 2 Paral. XXVI. 7. 8. coll. XX. 1. 2.
(21) 2 Paral. XIII. 1-20. XVI. 4.
(22) 1 Reg. XVIII. 19. 2 Reg. X. 21.
(23) 1 Reg. XXII. 6-12. coll. XVIII. 19.

quam ex voto successit; nam veri prophetae impietatem et fraudem regibus publice exprobrare non verebantur; eorumque effatis civium concordia et Regum auctoritas adeo infirmata est, ut factionibus ortis summa imis miscerentur. Harum factionum artibus et machinationibus tribuendum est, quod e viginti regibus, qui regnum Israël deinceps tenuerunt, unus tantum Jeroboamus II res bene gesserit, et regnum ad eum potentiae gradum evexerit, quem pro magnitudine sua semper tueri potuisset: nam sapientiores quoque, nisi eximiis dotibus pollebant, a factionibus impediti, nihil boni efficere poterant(24), imbecilliores, qualis Achabus, diversarum factionum quasi instrumenta, ad omnia mala efficienda se induci patiebantur. Ad haec continuae seditiones et regum caedes regiam dignitatem foedabant, et regni vires paullatim absumebant. Hae autem turbae statim post regni scissionem ortae sunt. Idem ille Achias, qui defectionis consilium Jeroboamo injecerat, cultum vitulorum ab eo institutum indignatus ipsius familiae cladem vaticinatus est (25), et minis similibus, quas Prophetae ex Judaea missi vulgabant (26), effectum est, ut omnes fere interitum domus regiae, quae Jehovam sperneret, pro certo haberent. Ipse quidem Jeroboamus auctoritate sua seditiosos continuit; at post ejus mortem Baasa, *Issascharita*, divino oraculo abusus, Nadabum Jeroboami filium, se-

(24) Qualis Jeroboamus I, quem propter praeclaram indolem, quam vel inimici ei tribuunt (1 Reg. XI. 28) sapientioribus accensere non veremur.

(25) 1 Reg. XIV. 7-10. 14.

(26) 1 Reg. XIII.

cundo quo regnare coeperat anno cum tota familia ejus interfecit.

Baasa regno potitus non nisi ratione caedis in familia regia patratae Prophetarum vaticiniis obtemperavit; nam legitimum cultum Jehovae non restituit, verum amicitia cum Syris facta Israëlitas, quominus Hierosolyma adirent, armis impedire conatus est. Hinc novae Prophetarum minae (27), novae caedes et bella civilia per plures annos gesta, donec familia Amri regnum obtinuit.

Principes e stirpe Amri, affinitatis vinculo cum regibus Sidoniorum juncti, praeterea quod imagines a Jeroboamo fictas retinebant, etiam, uti jam diximus, immanem cultum Baalis introduxerunt (28). Cui rei cum veri Prophetae omnibus viribus reniterentur, Achabus rex, instigante uxore, omnes prophetas occidi jussit (29). At Elias vir eximiae indolis, qui tum temporis primas partes inter prophetas tenebat, passus non est, ut religio Jehovae diutius inulta contemneretur. Primum quidem terra cessit ut vitam servaret; sed post aliquot annos intrepide reversus, a populo, intemperie atque calamitatibus presso, tanquam sospitator exceptus est, et Achabum auctoritate sua adeo movit, ut hic quinquaginta et quadringentos sacerdotes Baalis populo indignato uno eodemque die jugulandos permitteret (30). Haec tamen immanitas caus-

(27) 1 Reg. XVI. 1-4. 8-14.
(28) Ibid. 30-33.
(29) 1 Reg. XVIII. 13.
(30) 1 Reg. XVIII.

sae divinae parum profuit; nam Elias quem Achabus contra insidias reginae vindicta flagrantis tueri non poterat, fuga denuo salutem quaerere coactus est, relictaque patria, deserta Arabiae petiit, ubi in eodem loco, in quo Moses legem de *Uno Deo colendo* in lapide inciderat, impiae Achabi familiae interitum molitus est (31).

Interea reliqui prophetae Jehovae in Samaria versantes apud Achabum, qui a Syris pressus eorum consiliis indigebat, magna satis auctoritate valebant (32). Cum enim non solum omnia hostium consilia et motus explorata haberent (33), verum etiam artes belli et pacis praeclare novissent (34), Achabus, consiliis eorum recte usus, feliciter contra hostes pugnavit. Quoniam vero rex nihilominus Baalo adhaerebat, prophetae et ipsi et filio ejus infausta precati sunt (35). Utrique deinceps misere perierunt, et regnum cessit Joramo, alteri Achabi filio, qui Josaphato praeclaro regi Judaeorum arctissime junctus, ipsius auctoritate, uti videtur (36), sacra Baalis abrogavit. Hinc *Elisa*, Eliae discipulus et successor, in gratiam cum eo rediit, et in bello cum Syris magno Israëlitis auxilio fuit (37).

(31) 1 Reg. XIX. 8-18.
(32) 1 Reg. XX.
(33) Ibid. v. 22. 2 Reg. VI. 8-12.
(34) 1 Reg. XX. 13-21. 2 Reg. VI. 13-33.
(35) 1 Reg. XXII. 17. coll. 28. 2 Reg. I. 3. 4.
(36) 2 Reg. III. 2. 3. Coll. v. 7.
(37) 2 Reg. VI. 8. seqq.

At Josaphato vix mortuo, non solum Joramus in regno Israël nefanda Sidoniorum sacra restituit, sed etiam Joramus, Josaphati filius, ab Athalia uxore seductus, eadem in Judaeam induxit (38). Tum Elisa cladem, quam Elias stirpi regiae minatus erat, vel Syris in auxilium vocatis, parandam esse censuit. Damascum profectus Hazaëli strenuo Syrorum duci persuasit, ut occiso rege Benhadado regno Syriae potiretur, simulque spem ei fecit fore, ut de Israëlitis victoriam reportaret (39). Bello deinde inter Israëlitas et Syros coorto cum Joramus, accepto vulnere, cum Ochozia rege Judae in urbem Jezraël sese recepisset, Elisa quemdam e suis in castra misit, qui Jehum exercitui praefectum Regem ungeret (40); quo facto Jehu binos reges repentino oppressos occidit, regnoque potitus est.

De novo hoc rege, quem ipsi creaverant, prophetae optima quaeque sperabant; sed ne hic quidem exspectationi eorum respondit. Quamquam enim oracula, de familia Achabi exstirpanda olim edita, immani crudelitate exsecutus est, et auctoribus prophetis omnes sacerdotes Baalis in templum congregatos perfide occidit; attamen plenam prophetarum gratiam sibi non adquisivit, quoniam religionibus a Jeroboamo institutis non valedixit, neque pro rerum statu valedicere potuit. Sic vero Jehu accidit, quod accidere solet plerisque regibus

(38) 2 Reg. III. 2. coll. VIII. 18-28. 2 Paral. XXI. 6. 7.

(39) 2 Reg. VIII. 7-15.

(40) 2 Reg. IX. 1-12.

imbecillioribus, qui diversarum partium studia recte temperare non valent, sed unam quandam factionem amplexi, aut huic in omnibus rebus obtemperare coguntur, aut in omnium simul invidiam incurrunt. Jehu enim jam a prophetis improbatus (41), et a Baalis cultoribus sine dubio exsecratus, nihil amplius bene gessit. Syri invalescentes majorem partem regni occupant; regnante filio ejus planitie Saron potiuntur, et utrique regno simul interitum paraturi ad planiores Judaeae regiones penetrant. Tum demum, tanta totius nationis calamitate permoti, prophetae Israëlitis cultum a legibus Mosaïcis abhorrentem ignoscunt, et regibus auxilium Jehovae implorantibus (42) opem ferunt. Rerum statu nunc brevi mutato, Joas rex et filius ejus Jeroboamus II regnum restituunt adeoque augent, ut nomen Israëliticum apud omnes populos vicinos summo esse in honore coeperit. At periculum externum vix repulsum videbatur, quum prophetae, minis contra Jeroboamum publice prolatis, cultum vitulorum abrogare denuo conati sunt (43), ac civitatem male pacatam denuo seditionibus labefactarunt. Fortasse quidem prophetarum vis in res publicas omnino tanta non fuit, quanta ab annalium conditoribus ipsis tribuitur; sed negari nemo poterit, quin omnes fere seditiones in regno Israël ortae, nisi ab ipsis prophetis provocatae, tamen eorum quasi auctoritate susceptae sint. Post mortem adeo Jeroboami II oracula olim a prophe-

(41) 2 Reg. X. 29-33.
(42) 2 Reg. XIII. 4-7. 14-19. XIV. 25.
(43) Amos VII. 8-13. Osee VIII. 3-14.

tis contra Jehum edita, speciosam novae caedis caussam praebuerunt (44). Bella civilia denuo exarserunt, e seditionibus quasi natae sunt seditiones, et reges parricidas parricidae exceperunt. E sex regibus, qui post Jeroboamum II deinceps regnarunt, unus solummodo Menahem, qui auxilio Assyriorum utebatur (45), senio confectus mortuus est, quatuor a seditiosis interfecti perierunt, et postremus Hoseas ab Assyriis captus et in servitutem redactus est.

Quid vero opus est ut longius disseramus de interna conditione civitatis, in qua ne summi quidem imperantes ab insidiis tuti erant? Quae ibi salus fuisse potest reliquis civibus, quae in jure dicendo aequitas, quae in republica administranda stabilitas, quae denique morum censura? Divitiarum quidem vestigia apud Israëlitas non pauca reperimus, et commercia cum Phoenicibus propter amicitiam arctissimam, quae inter utramque gentem obtinuit, quam maxime floruisse videntur; sed his adeo factum est, ut morum corruptela omnes ordines eo citius invaderet, et probitas simul cum religione animis eximeretur. Quemadmodum sub successoribus Alexandri Magni regnum Macedonico-Persicum, atque Imperatorum tempore orbis Romanus omnium scelerum et vitiorum quasi theatrum fuit, ita fere prophetae illius temporis regni Israëlitici statum nobis depingunt: « *Congregamini* (populi vicini!) inquit Amos propheta (46), *super montes Samariae*,

(44) 2 Reg. XV. 10-12.
(45) Ibid. ỷ. 19.
(46) Amos III. 9. 10.

et videte insanias multas in medio ejus, et calumniam patientes in penetralibus ejus. Nescierunt facere rectum, dicit Dominus, thesaurizantes iniquitatem et rapinas in aedibus suis. Audite (47) *verbum hoc, vaccae pingues, quae estis in monte Samariae, quae calumniam facitis egenis et confringitis pauperem; quae dicitis dominis vestris : afferte et bibemus. Odio habuerunt corripientem in porta* (48), *et loquentem perfecte abominati sunt. Idcirco pro eo quod diripiebatis pauperem, et praedam electam tollebatis ab eo, domos quadro lapide aedificabitis, et non habitabitis in eis; vineas plantabitis amantissimas, et non bibetis vinum earum. Quia cognovi multa scelera vestra et fortia peccata vestra : hostes justi accipientes munus, et pauperes deprimentes in porta : ideo prudens in illo tempore tacebit, quia tempus malum est.* » — Similiter Hoseas statum regni Israëlitici insanabilem esse fatetur (49) : « *Cum sanare vellem Israël, revelata est iniquitas Ephraïm et malitia Samariae, quia operati sunt mendacium, et fur ingressus est spolians, latrunculus foris.... In malitia sua laetificarunt regem, in mendaciis suis principes.... Omnes calefacti sunt sicut clibanus, et devoraverunt judices suos, omnes reges eorum ceciderunt, non est qui clamet in eis ad me.* »

Haec prophetae de regno Israël! quorum castigationes, licet imaginibus poëticis adornatae sint, tamen veram rerum

(47) Amos IV. 1.
(48) Amos V. 10-13.
(49) Osee VII. 1. 3. 7.

faciem illius temporis melius referre videntur, quam accurata singulorum facinorum, quae in S. S. passim memorantur enumeratio.

§ XVII.

In regno Judae omnia fere ad concordiam civium stabiliendam, et ad civitatis prosperitatem promovendam conspirare videbantur: Religionis patriae cultus, qui salvus et integer ibi permansit, rempublicam bonis civibus et divitiis augebat; propter regnum in familia Davidis hereditarium, et propter peculiarem quandam necessitudinem, qua tribus Judae et Benjamin continebantur, interna civitatis tranquillitas nunquam fere turbata est; et praeterea plurimi e regibus Judae, tum sacerdotum et prophetarum consiliis edocti, tum praeclaro ingenio pollentes, res publicas sapienter gesserunt.

Alienorum quidem deorum cultus, quem Salomo permiserat, Roboami quoque tempore in regno Judae habebatur (1): at major Judaeorum pars templum Hierosolymitanum continuo frequentabat, ibique cultus Mosaïcus omnes, qui Jehovae confidebant, firmissimo concordiae vinculo complectebatur. Hanc concordiam augebant Sacerdotes et Levitae qui e terra Israëlitarum in Judaeam sese recipiebant; ipsi enim a Judaeis libenter excepti tantam vim in populum et in reges habuisse videntur, ut jam Asa rex idolorum cultum omnino

(1) 2 Paral. XII. 1.

abrogaret (2). Postea Josaphatus per totum regnum eos distribuit, qui legem Jehovae docerent, atque jure religiose dicundo internae civitatis tranquillitati consulerent (3). Reliqui etiam Israëlitae, qui rebus suis propter religionis studium relictis, in Judaea considebant, non solum novas vires huic regno addiderunt, verum etiam fide sua atque pietate id effecerunt, ut religio patria magis magisque in Judaea floreret, omnesque mori quam Urbem sanctam, Jehovae sedem, deserere mallent (4). Alia insuper ratione cultus Jehovae, qualis Hierosolymis secundum legem Mosaïcam celebrari solebat, magna commoda civitati attulit. Etenim frequentes conventus totius populi et Urbem et regionem vicinam valde locupletabant; sacrificia ibi facienda et convivia rite instituenda commercia interiora augebant; ac donis ab omnibus et singulis Jehovae oblatis permagna auri copia in templum continuo quasi confluebat. Jam ante templum exstructum arca Jehovae divitiarum fons habebatur (5), praecipue vero postea *thesaurus domus Jehovae*, urgente necessitate, aerarium publicum non semel supplevit (6).

Auctoritas Regum in regno Judae, si ad amplitudinem spectes, Israëlitarum defectione multum sane diminuta est, sed si vim internam atque stabilitatem respexeris, eam hac separa-

(2) 1 Reg. XV. 11-14. 2 Paral. XV. 16. 17.
(3) 2 Paral. XVII. 7-10. XIX. 5-11.
(4) 2 Reg. XVIII. 28-37. coll. 2 Paral. XXXII. 6-8.
(5) 1 Paral. XIII. 14.
(6) 2 Paral. XII. 9. 2 Reg. XII. 18. alias.

tione potius auctam esse intelliges. Ex ipsa scilicet regni scissione omnibus apparebat, Prophetas, oraculis anterioribus obtemperantes (7), familiae Davidicae adeo esse addictos, ut ipsorum fides erga stirpem regiam neque improbitate neque legum contemtu singulorum regum infringi posset. Hinc factum est, ut nemo unquam Judaeus de solio Davidis occupando cogitaverit, nemo propheta ruinam domus regiae praesagiverit. Quamquam enim reges Judae non semel alienos deos secuti sunt; quamquam Asa, neglectis iis quae Hanani sapienter monebat, Syros in auxilium vocavit; quamquam Josaphatus, amicitia cum impio Achabo inita, et regno et familiae summas calamitates paravit; quamquam Athalia in suam ipsius familiam saeviit, et Joas Zachariam Pontificem Maximum, filium ejusdem viri, cui ipse vitam et regnum debebat, insontem occidit; quamquam denique, Achaz, spreto Jesaiae consilio, Assyrios ultro arcessivit, et templum Jehovae clausit: attamen prophetae his omnibus eo adducti non sunt, ut de familia regia regno pellenda cogitarent. Reges quidem nonnulli tum motibus popularibus, tum sacerdotum potentia perierunt: Ochozias rex Judae auctoritatis divinae specie a Jehu rege Israël occisus est (8); Athalia, quae Ochoziae successit, a Sacerdotibns interfecta periit (9); Joam interfecerunt servi domestici (10), Amasiam cives (11); sed nunquam

(7) 2 Reg. VIII. 18. 19.
(8) 2 Paral. XXII. 7-9.
(9) 2 Paral. XXIII.
(10) 2 Paral. XXIV. 25. 26.
(11) 2 Paral. XXV. 27.

bella civilia exorta sunt, nunquam ambitio principum rempublicam turbavit; regnum, justo haeredi semper restitutum, ex ejusmodi conversionibus commoda potius quam detrimenta cepit. — Neque vero etiam binae illae tribus, quae regnum Judae constituebant, mutua invidia sese persequebantur, sed unam quasi eandemque familiam efficiebant. Numerus enim Benjaminitarum minor erat, quam ut cum Judaeis aemulari auderent, ac propter urbem Hierosolyma, ambabus communem, religione aliisque vinculis ita erant conjuncti, ut discordia inter eos esse non posset. Quum igitur Benjaminitae, a ceteris Israëlitis seducti, imperium Roboami sprevissent, vix domum reversi hoc consilium ineptum esse intellexerunt, et ad Judaeorum partes statim redierunt (12). Hinc factum est, ut Judaei, concordes inter se, etiam gentes tributarias plerumque sibi subjectas tenerent: *Idumaei*, si a seditionibus quibusdam recesseris (13), usque ad tempora regis Achaz Judaeis paruerunt (14); in *Philistaeos* vel Ezechias rex dominabatur (15); ac praeterea *Arabes*, *Ammonitae*, et, quod satis probabile, *Moabitae* etiam per aliquod tempus Judaeis serviebant (16).

Sic regnum Judae continuo fere domi pacatum erat, omnesque civitatis Ordines communi consilio rebus publicis prospiciebant. Plurimi enim e *Regibus Judae* sincere, vel si minus

(12) 1 Reg. XII. 20. coll. ℣. 21.
(13) 2 Reg. VIII. 20. 21. XIV. 7.
(14) 2 Reg. XIV. 22. XVI. 5, 6.
(15) 2 Reg. XVIII. 8.
(16) 2 Paral. XVII. 11. XXVI. 7. 8. Cf. XX. 1. sqq.

sincere, sui tamen ac propriae utilitatis caussa religionem Jehovae tuebantur; *Sacerdotes* autem et *Prophetae*, quorum summa cura circa cultum religionis patriae versabatur, eam ob rem Reges omnibus viribus protegebant, ac pristina auctoritate paullatim recuperata, eos ad bona consilia ineunda perducere solebant. Hinc repetenda videtur caussa, cur in Judaea multo plures reges boni atque prudentes fuerint quam in regno Israël, nisi forte hanc differentiam ex ipso naturali regum ingenio potius repetere malueris. Nos ad vivum id non resecabimus, verum in iis nos continebimus quae dubitationem non habent, *in Regno Judae plures fuisse Reges egregios, et quamquam mali quoque et imprudentes aliquando non deessent, horum tamen errores a successoribus, sapientum consilio simul et exemplo edoctis, plerumque esse emendatos, remque publicam prudenter restitutam.* Quum enim Roboamus et Abias, reges alias non contemnendi, idolorum cultum in diversis urbibus constitutum, et Abias fortasse vel ipsam vitulorum adorationem, Betheli usitatam, in regno suo permisissent, eaque impietate nisi seditionum materiem, certe discordiae et invidiae semina temere inter cives sparsissent; Asa Abiae filius nihil antiquius habebat, quam ut hunc abusum reprimeret. Ipse, auctore Azaria propheta, omnes Hebraeos tam Judaeos quam Israëlitas ad festa solemnia Hierosolymis celebranda invitavit, ac patriae religionis studio omnes adeo implevit, ut sublatis idolis solum Jehovam colere promitterent, et Israëlitae non nisi vi a regibus Israël adhibita Hierosolymis arceri possent (17). Eadem prudentia usus est Josa-

(17) 2 Paral. XV. coll. XVI. 1.

phatus, Asae filius, qui, a Sacerdotibus et Levitis adjutus, simul rem judiciariam bene ordinavit, rem militarem praeclare auxit, et commerciis factitatis ac tributis a gentibus subjectis rite exactis aerarium restituit, atque reipublicae prosperitatem ad summum fastigium extulit (18). Post ejus mortem Joramus, Ochozias et Athalia, inducto cultu Baalis, regnum in summum discrimen adduxerant, quum Jojada Pontifex Maximus, qui sublata Athalia Joae nomine regnabat, rempublicam restituit; et quamquam deinde ipse Joas omnia male gerebat, et Amasias filius ejus, bello cum Israëlitis temere suscepto, moenia Hierosolymorum interrumpere cogebatur (19), tamen regnum non interiit, verum sub Azaria rege praestantissimo brevi reflorescebat. Hic enim, consiliis Zachariae prophetae usus (20), res internas summa cura in ordinem redegit, provincias, quae defecerant, recuperavit (21), atque re militari aucta securitati publicae prospexit. Eum quidem sub finem vitae Sacerdotes ab imperio detruserunt, sed haec mutatio civitati non fuit detrimento, cum filius ejus Joathan eadem fere prudentia omnia regeret. Huic vero successit Achaz prudentia civili et virtute bellica adeo destitutus, ut Assyriis ultro arcessitis Judaeam tributariam redderet, et templo Jehovae clauso, cultum deorum Syriacorum Hierosolyma induceret. Tum de libertate regni omnino actum videbatur; at Ezechias, qui Achaz patri successit, Jesaiae oraculis excitatus, cultum Jehovae de-

(18) 2 Paral. XVII. XIX. 4-11.
(19) 2 Reg. XIV. 8-14.
(20) 2 Paral. XXVI. 5.
(21) Ibid. ✝. 1-15.

nuo restituit, resque publicas tanta sapientia gessit, ut eodem tempore quo in regno Israël omnia labebantur, regnum Judae novas vires caperet, commerciis locupletaretur et artibus pacis floreret. — Neque etiam praetermittendum est hoc loco, mores Judaeorum non adeo fuisse corruptos quam Israëlitarum. Dum enim Amos et Hoseas populum Israël omnibus sceleribus contaminatum esse declarant, in Judaeis idololatriam tantum reprehendunt (22), cui regnante Achaz eos deditos esse queruntur. Quae idololatriae reprehensio, cum Reges potius, ejus auctores, quam ipsum populum spectet, nobis simul commonstrat, quomodo fieri potuerit, ut, quotquot essent Reges sapientiores in regno Judae, ii plerumque tam brevi tempore tamque facili negotio antiquum rerum statum restituerent.

§ XVIII.

Res internas utriusque regni accuratius comparare vix necessarium videtur, cum regnum Judae harum ratione tot tantisque momentis regno Israël praestiterit, ut in omnibus ei praestitisse recte affirmari possit.

In Judaea religionis cultus, qui Hierosolymis celebrabatur, non solum Judaeos et Benjaminitas magis magisque conjunxit, verum etiam ex aliis tribubus optimum quemque, ut in Ju-

(22) Amos II. 4. 5. Hoseas V. 5-8.

daeam migraret, allexit. Sic Sacerdotes et Levitae, sic multi Israëlitae pii et religiosi regnum Judae pietate, doctrina et divitiis auxerunt. In regno Israël autem expulsis Sacerdotibus et Levitis, qui res civiles maximam partem administraverant, ab initio statim turbae et confusio interior necessario ortae sunt; et quod ad reliquas migrationes attinet, exempla vel recentioris aetatis satis superque docent, quanta confectione laborare soleant eae civitates, e quibus cives boni et industrii, mutationibus in religione factis, emigrare coguntur. Sic lapsa est expulsis Mauris Hispania; sic revocato edicto Nannetico Gallia; sic jam antiquissimis temporibus lapsum est regnum Israël, cum post introductum cultum vitulorum fideles Jehovae cultores opprimerentur. At ipsis apostatis novae istae religiones non profuerunt, verum potius obfuerunt; nam cultus vitulorum Samariam et Galilaeam, duas provincias natura ipsa nimis separatas, magis etiam a se invicem avertit; et cultus Baalis Samariae constitutus a moribus Hebraeorum adeo abhorrebat, ut non concordiae sed bellorum civilium fons primarius exsisteret.

In regno Judae, ubi dignitas regia haereditaria erat in familia Davidis, cum qua familia etiam regni salus stare atque labi videbatur, ambitiosi seditiones movere non ausi sunt; et legitimi civitatis Ordines auctoritate satis magna pollebant, ut nimiam Regum potentiam coërcerent, et consiliis eos adjuvarent. Hinc reges plurimi res bene gerunt, populos tributarios sibi subjectos tenent, alios subjiciunt, universum regnum concordia continent. At in regno Israël Regum dignitas,

continuis caedibus ac seditionibus polluta, magis magisque labebatur, et cum potestate regia regni salus simul cadebat. Tribus ultrajordanenses, cum gregibus in terris remotis versatae, Regum imperia spernunt, Simeonitae et Danitae eis obtemperare vix possunt, Galilaea a Samaria in dies magis separatur, reliqui Israëlitae bellis civilibus de regia dignitate motis sese mutuo caedunt, provinciae tributariae deficiunt, Reges tumultuarie creati omnes fere rem male gerunt.

Praeterea morum quoque integritate Judaei longe superabant, Israëlitas, et majori constantia rebus suis confidebant; nam eodem illo tempore, quo in Israël nihil impollutum relictum erat, nec ullum crimen intentatum, et quo omnis reipublicae salus ab auxilio alieno exspectabatur, in Juda omnes summo studio legem divinam amplectebantur, ac fide in Jehovam corroborati, ad promovendam civitatis salutem omnia libenter audebant.

CAPUT TERTIUM.

CAUSSAE, CUR REGNUM JUDAE DIUTIUS STETERIT QUAM ISRAEL, EX UTRIUSQUE REGNI HISTORIA DEMONSTRANTUR.

§ XIX.

Postquam binis capitibus superioribus de utriusque regni *situ geographico* et de *rebus internis* ita dictum est, ut facile appareat, regnum Judae earum ratione regno Israël multis no-

minibus praestitisse, jam nobis de rebus externis quoque videndum est. Neque tamen hic demonstrasse sufficiet, utri regno aut *plures hostes* aut *acriores* institerint, licet res externae, si ab internis eas accurate sejunxeris, his fere contineri videantur; sed, ut ad consilii nostri finem perveniamus, simul docendum est, quo modo rerum internarum melior conditio revera in caussis fuerit, ut Juda res suas externas feliciori successu gereret quam Israël. Id autem ex *historia bellorum* ab utroque populo et adversus se invicem, et cum aliis populis gestorum perspicietur; nam ex his bellis regnum Judae sartum prodiit et incolume, quo tempore regnum Israël ab hostibus oppressum interiit. In enarrandis vero hisce bellis fieri non poterit, ut res utriusque regni *separatim* exponamus, et *deinde* instituta comparatione singula eorum commoda aut incommoda recenseamus; verum, cum bella inter Judaeos et Israëlitas gesta magnam partem hujus historiae efficiant, et praeterea ex his ipsis reliqua etiam, quae cum aliis populis gesserunt, plerumque originem duxerint; necesse erit ut amborum regnorum historiam simul complectamur. Ut vero *caussae, cur diversis temporibus regnum alterum alteri praestiterit*, eo melius appareant, totam eorum historiam in quatuor epochas distributam exhibebimus; in quarum *prima*, ad mortem Josaphati pertingente, *regnum Judae priores partes tenebat*, *secunda*, ad mortem Jeroboami II protensa, *regnum Israël principatum obtinuit. Tertia* ad mortem Achaz pertingit, quo regnante *utrumque regnum Assyriis tributarium factum est*, et *quarta* denique ad Ezechiam regem, quo regnante *liberata Judaea ad maximam felicitatem evecta est*, *Israël vero penitus devictum interiit.*

Ceterum difficillimum est res gestas Hebraeorum ita proponere, ut verus rerum nexus satis eluceat. Nam annalistae eorum, diversas hostium impressiones eorumque fortunam secundam aut adversam enarrantes, caussas aut plane non afferunt, aut e praejudicata illa opinione, qua piis in hac terra omnia prospere succedant, impiis omnia adversentur, omnia e cultu Jehovae sive neglecto sive restituto derivant. Omnino quidem nostra quoque sententia verum est, omnes calamitates quae Hebraei perpessi sunt e neglectis legibus Mosaïcis tanquam fonte primario promanasse; at in hac prima malorum origine non est subsistendum, verum per partes demonstrandum quomodo legibus labentibus omnia paullatim collapsa sint. Hoc nos, quantum per temporis angustiam licebit, jam exponere conabimur. Quodsi vero interdum res conjunxerimus, quae sejungendae potius videantur, lector benevolus haec prima historiae scribendae tentamina esse ne obliviscatur.

§ XX.

Tempore scissionis regnum Israël, quod ad res externas attinet, multo securius videbatur quam regnum Judae. *Syri Damasceni* per regem Rezon a jugo Hebraeorum vix liberati libenter quiescebant; *Phoenices* amicitiam cum Salomone initam etiam regibus Israël non interruptam servasse videntur; *rex Aegypti* Jeroboamo amicus erat et socius, neque *Judaei* ipsos adgredi audebant. Judaeis autem una ex parte ab *Israëlitis*, numero ipsis multo superioribus, altera ex parte

ab *Aegyptiis*, illorum sociis, multum timendum erat. Hinc prophetae Roboamo, qui ira abreptus Israëlitas vi redigere parabat, facile persuadebant, ut ab armis quiesceret; et quamquam ipsi postea, cum Jeroboamus cultum Jehovae sperneret, regnum Israël regibus Judae restituere malebant, artibus tamen pacis potius quam bello id efficiendum esse censebant. Roboamus autem rei militari magnam operam impendit, multisque oppidis aut conditis aut munitis terram in dies firmavit (1). Quas infesti animi demonstrationes cum Jeroboamus otiose pati non posset, mox bellum flagravit inter civitates, quae amicae esse nequibant. Memoriae proditum non est utra civitas alteram prior adgressa sit, neque, dum Roboamus vivebat, quidquam gestum est, quod scriptoribus Hebraïcis memoriae dignum videretur (2). Attamen cum hisce certaminibus impressio illa, quam Aegyptii anno post regnorum scissionem quinto in Judaeam fecerunt, contineri videtur; quamquam Chronista eam pro poena extraordinaria, a Jehova propter cultum idolorum in Juda permissum regi inflicta, habere maluit (3). Nostrum non est, hic ea repetere, quae viri docti de Sesaco ejusque exercitu innumerabili disputaverunt; dixisse sufficiat, Judaeos auctoribus prophetis voluntaria deditione et auro sponte exhibito ab hisce hostibus sese liberasse. Sed mirum videtur cur prophetae, qui libertatem ab omnibus hostibus

(1) 2 Paral. XI. 5-12.

(2) « Fuitque bellum inter Roboam et Jeroboam cunctis diebus; » haec sunt omnia quae in S. S. de eorum bellis referuntur. 1 Reg. XIV. 30. 2 Paral. XII. 15.

(3) 2 Paral. XII. 2.

strenue defendi jubebant, Roboamo talia suaserint, eosque merito reprehenderemus, nisi eventus consilium probasset. Sesacus enim statim regressus Judaeam liberam reliquit (4), et cum post triginta annos Aegyptii ad Judaeos denuo subjiciendos reverterentur, horum vires adeo auctae erant, ut Asa hostes ad Maresam fusos e regno depelleret (5). Roboamus autem aerarium a Sesaco exhaustum brevi restituisse, ac deinde res bene gessisse videtur; quandoquidem per duodecim annos omnes Israëlitarum conatus feliciter continuit. Sed Roboamo mortuo Jeroboamus altiora sperans, cum ingenti exercitu Abiam, qui Roboamo patri successerat, adortus est (6). Abias vix dimidium copiarum numerum hosti opponere poterat, et rei militaris parum peritus a multitudine Israëlitarum undique claudebatur; adeo ut de Judaeis actum fuisset, nisi Israëlitae propter Regis impietatem animo fracti, et contra veros Jehovae cultores pugnare veriti, verbis potius quam armis se vinci passi essent. Quum enim Abias ante certamen initum, se pro Jehova contra apostatas pugnare, coram suo et Israëlitarum populo publice esset professus, et sacerdotes patrio more classicum canere jussisset; Judaei quasi ardore religioso correpti in Israëlitas perculsos irruunt, eosque primo impetu fundunt fugantque (7). Abias hostes persecutus Bethel, novi cultus sedem,

(4) 2 Paral. XII. ℣. 9. 12. 13.

(5) 2 Paral. XIV. 9-15.

(6) Ego, Josephum secutus (A. J. VIII. 11. 2.), Jeroboamum Abiae bellum intulisse putaverim, quamquam in altero Paralipomenon libro cap. XIII. ℣. 3. Abias prior copias eduxisse traditur. —

(7) 2 Paral. XIII. 3-18.

aliaque oppida Israëlitica cepit, quae deinde per viginti fere annos Judaei tenuerunt (8). Ab eo inde tempore regnum Israël, regno Judae inferius et seditionibus insuper exhaustum, eadem fere ratione viribus decrescebat, qua hoc augebatur. In Israël enim Nadab Jeroboami filius, qui, in montibus Judaeos impugnare non ausus, oppida Danitica in regionibus planis sita a Philistaeis recuperare conabatur, res male gessit, et dum Gebbethon oppidum oppugnabat, seditione a Baasa mota periit. In Juda autem Asa, re militari magnopere aucta, regni fines denuo ad Gerara protendit (9), ac festis solemnibus Hierosolymae celebratis, sublatisque omnibus idolis ad illud tempus ibi relictis, et Judaeos et multos ex Israëlitis adeo sibi devinxit, ut Baasa inita cum Syris amicitia suos armorum vi Hierosolymis avertere statueret. Impressione in Judaeam facta urbem *Rama*, vix uno milliari geographico Hierosolymis remotam, occupavit, eamque munire adgressus est, ut ibi considens ipsum Judaeae caput quasi obsessum teneret. Haec autem res utrique regno infausta fuit. Nam Asa qui contra prophetarum consilia Syrorum auxilio uti, quam ipse arma tentare malebat, auro commovit Syros, ut majori Galilaeae parte occupata Baasam a Judaea avocarent; quo imprudenti consilio Rama quidem recuperavit, sed suo quoque regno novum hostem eundemque acerrimum provocavit. Attamen Israëlitis, Syrorum incursionibus magis objectis, majorem calamitatem paravit; nam praeter provinciarum amissiones

(8) 2 Paral. XIII. 19. XV. 9. 10. coll. XVI. 1.
(9) 2 Paral. XIV. 6-15.

etiam bella civilia, post Baasae mortem exorta, e rebus externis male gestis repetenda videntur. Amri vir rei militaris peritus (10), qui tandem ad regnum pervenit, condita urbe Samaria Syris munimentum firmissimum opposuit, sed propter cultum Baalis, quem induxerat, prophetas a se avertit, et Syris vix restitit (11). Achabus quoque, licet aliquoties feliciter cum Syris pugnaverit, et Josaphato regi Judae amicitia junctus esset, res tamen suas restituere non potuit, nec multum abfuit, quin Judaeos in eandem calamitatem implicaret. Josaphatus enim rex sapientissimus, quum regnum suum praeclare ordinasset, gentibusque vicinis rite domitis omnia pacasset, Israëlitas quoque a Syris, quos pater temere contra ipsos provocaverat, liberare statuit. Amicitia igitur facta, cum Achabo contra Syros profectus est; at prophetis nova haec amicitia non placuit (12), et quae Michaeas Josaphato, oraculum sciscitanti, de infausto rei exitu praedixerat, evenerunt. Achabus telo, ab ignota manu conjecto, percussus moritur, copiae dilabuntur, et Josaphatus in Judaeam reversus novos ibi hostes invenit. Ammonitae et Moabitae, Achabi clade erecti, statim ab Israëlitis defecerant, atque Josaphatum, quem Israëlitis amicum plurimum timebant, adgressuri ad Thecue urbem progressi erant. Primum Josaphatus nova re perculsus trepidabat; mox vero confidenter cum exercitu contra eos profectus inconditam turbam sine pugna profligavit (13). Plures

(10) 1 Reg. XVI. 16. 17.
(11) 2 Reg. XX. 33. 34.
(12) 2 Paral. XIX. 2. 3. 1 Reg. XXII. 13. sqq.
(13) 2 Paral. XX.

deinde annos regno cum laude praefuit, et, Joramo regi Israël opem ferens, Moabitas quoque in ipsorum terra penitus vicit. Attamen haec regni prosperitas non diutius duravit quam ipse rex vivebat; nam post ejus obitum calamitates, quas Prophetae ex amicitia et affinitate cum regibus Israël Judaeis eventuras praesagiverant, omnes fere simul irruperunt.

§ XXI.

Cum post mortem Josaphati cultus Baalis in utroque regno praevaleret, utraeque civitates simul labebantur. In regno Judae *Idumaei* primi sensisse videntur, Joramum non eadem qua patrem auctoritate pollere; ipsi enim a Judaeis deficientes suum sibi regem constituerunt, et quamquam e proelio cum Joramo inito inferiores decesserunt, libertatem tamen per aliquot tempus tuiti sunt (1). *Libna* etiam civitas alias parum nota regi impio parere recusavit; et tandem *Philistaei* cum vagantibus aliquot *Arabiae gentibus* subito in Judaeam invadunt, nemine fere resistente magnam praedam abigunt, ipsamque Regis familiam captam abducunt (2). Has calamitates mox novae secutae sunt: Ipse Rex lue periit; Ochozias, qui unus e filiis servatus fuerat, primo quo regnaverat anno, quum Joramo contra Syros opem ferret, a Jehu interfectus est; eaque occasione usa mater ejus Athalia interfectis

(1) 2 Reg. VIII. 20-23.

(2) 2 Paral. XXI. 16-20. Domus regis non de palatio Hierosolymitano intelligendum videtur, sed de alia quadam villa, ubi uxores et liberi Regis forte versabantur.

nepotibus regnum intercepit. Hi omnes cultu Baalis, cui dediti erant, pacem interiorem adeo turbarunt, ut nec foras boni quidquam gereretur. Joas autem, sub auspiciis Jojadae Pontificis Max. rebus religiosis magis quam rei militari intentus erat, et post illius mortem Prophetas insuper et Sacerdotes offendit (3); quo factum est, ut Syris, qui fracta potestate Israëlitarum inferiores Judae regiones occuparunt, vi resistere non posset, verum cum Hierosolyma tenderent, auro oblato eos ab Urbe averteret (4). In regno Israël calamitatibus non minoribus laborabant. Ochozias atque Joramus, ultimi reges e familia Amri, neque Moabitas redigere neque regiones ultrajordanenses a Syris vindicare poterant; Syri autem sub Hazaële, duce praestantissimo, in dies majora audebant, et reges quoque e familia Jehu misere premebant. Ipse Jehu, factionibus internis impeditus, omnem terram ultrajordanensem sine pugna amittit, ejusque filius Joachaz omnia omnino praeter Samariae montes hostibus reliquisse videtur; ipsi enim non nisi decem millia peditum, quinquaginta equites et decem currus supererant (5). Tum vero mortuus est Hazaël, cujus filius Benhadadus III patris virtutem cum regno non suscepit, et Joas rex Israël, a Prophetis in gratiam receptus, res melius gerere coepit. Syri ter victi oppida Israëlitis

(3) 2 Paral. XXIV. 17-25.

(4) 2 Paral. XXIV. 24. tradi videtur Syros in ipsam urbem Hierosolyma esse ingressos, sed 2 Reg. XII. 17. 18. res accuratius narratur, et Josephus (A. J. IX. 8. 4.) diserte addit: ὁ δὲ (Αζάηλος) πεισθεὶς τῇ τῶν χρημάτων ὑπερβολῇ, τὴν στρατιὰν οὐκ ἐπήγαγεν ἐπὶ τὰ Ἱεροσόλυμα.

(5) 2 Reg. XIII. 7.

olim ablata restituunt (6), ac Judaei quoque crescentem Israëlitarum potentiam mox senserunt. Amasias enim, qui Joas in regno Judae successerat, rei militari intentus arma converterat in Idumaeos, qui regnante Joramo ab Israëlitis defecerant, eosque in valle Salinarum magna clade affectos penitus ceciderat. Tum vero etiam de Israëlitis vindictam sumere statuit, quod, dum in Idumaea bellabat, oppida quaedam Judaeae devastaverant (7). At Joas rex Israël, in bello cum Syris exercitatus et rei militaris ipse peritus, Judaeos prope Bethsames ad internecionem fudit, regem ipsum cepit et Hierosolyma ingressus, omnes thesauros abstulit, muros urbis ab ea parte qua Samariam spectant solo aequavit, nec nisi auctoritate Prophetarum, qui plurimum apud ipsum valebant (8), permotus videtur, quominus ipsum regnum Judae tum temporis omnino deleret. Jam regnum Israël novo splendore fulgere coepit, praecipue autem sub Jeroboamo II ad summum potentiae fastigium elatum est; hic enim rex praeclarus non solum omnes regni provincias recuperavit, verum etiam usque ad Damascum et Chamat imperium protendit. Quo modo id effecerit nescimus, quoniam facinora ejus, quod multum dolendum est, in annalibus vix indicantur (9); at praeter auxilia quae Prophetae ipsi praestiterunt, prosperi ejus successus plerumque egregiis ipsius dotibus tribuendi videntur, nam regni gloria cum ipso stetit atque interiit. Sed tamen brevis haec Israë-

(6) 2 Reg. XIII. ỳ. 25.
(7) 2 Paral. XXV. 13.
(8) 2 Reg. XIII. 14-19.
(9) 2 Reg. XIV. 23-29.

litarum prosperitas amplum testimonium nobis exhibet, naturalem hujus regni statum talem fuisse, ut, si sapienter fuisset moderatum, in omnes terras circumcirca dominari potuisset.

§ XXII.

Jeroboamo II omnes fere gentes usque ad Euphratem parebant; sub filio ejus Zacharia non solum Syri et Ammonitae (1) statim defecisse videntur, verum etiam cives res novas moliebantur; nam sexto quo regnare coeperat mense, orta seditione, occisus est. Utrum defectio gentium tributariarum caussa fuerit, cur rex etiam a suis sperneretur, an bella domestica illorum defectionis ansam dederint, dici vix poterit; sed dubium non est, quin regnum domi et foris simul infirmatum sit. Seditiones tamen domesticae eo perniciosiores fuerunt, quod regni competitores non solum diversarum tribuum, verum etiam aliarum gentium auxilio utebantur. Etenim Manahem, qui e tribu ultrajordanensi oriundus Assyrios novit, horum auxilio sese sustinuit (2), nisi adeo per eos regno potitus est; et Phacee, qui illius filium de solio detrusit, amicus erat Syrorum, quibus denuo magnam auctoritatem in res Hebraeorum concessit. Ipsis enim junctus regnum Judae domare statuit, quod sub imperio sapientis Azariae nimia incrementa cepisse videbatur. Azarias jam ultimis temporibus Jero-

(1) 2 Paral. XXVI. 7. 8. Moabitas quoque Judaeis nunc paruisse vix dubitaverim, quum intermedii essent inter Idumaeos et Ammonitas, qui utrique Judaeis erant subjecti.

(2) 2 Reg. XV. 19. 20.

boami II, qui gentes extraneas subigere quam civitatem cognatam opprimere malebat, cladem ad Bethsames olim acceptam reparaverat; re militari restituta Hierosolyma novis moenibus, terram castellis muniverat; Idumaeos a patre victos denuo penitus subjecerat, Philistaeos atque Arabes domuerat, ac rebus regni Israël labentibus super Ammonitas adeo imperium extenderat (3). Eademque prudentia nunc Joathan filius ejus omnia regebat (4), quum bini reges, *Rasin* Syrus et *Phacee* rex Israël, conjunctis viribus eum adgressi sunt (5). Joathan eorum impetus feliciter repulit; at, qui ei successit, Achaz filius, non eadem fortuna usus est. Hic ritibus religiosis aliarum gentium deditus populi favore excidit, atque cruento proelio victus in ipsa Urbe oppugnabatur. Quum vero hanc hostes capere non possent, in Idumaeam sese convertunt, quae provincia nunc in perpetuum a Judaeis deficit; Philistaei non solum deficiunt, sed etiam multas urbes Judaeorum occupant (6); Ammonitae et Moabitae simul rebellasse videntur. Tot calamitatibus pressus Achaz de regno timet. Frustra Jesaias propheta Regem rebus suis confidere jubet. Achaz ab omnibus desperatus Assyrios in auxilium vocat, ipsis tributa solvit, eorumque religiones amplexus, clauso templo Jehovaé (7) libertatem simul cum ejus recuperandae facultate abjicit. Fortitudo enim Judaeorum in religione erat

(3) 2 Paral. XXVI. 6. 7. 8.
(4) 2 Paral. XXVII. 4-6.
(5) 2 Reg. XV. 37.
(6) 2 Paral. XXVIII. 18.
(7) Ibid. 24. 19.

posita, et Assyrii illi non ejusdem indolis erant cujus Syri et antiquiores Mesopotamiae reges, qui praedandi caussa in terras hostium irrumpebant, et tributis annuis contenti, populis subactis suas omnino leges et mores et terram relinquebant. Et Phul quoque Assyriorum rex eodem hoc more quondam utebatur; jam vero alia bellandi ratio obtinuit: Theglathphalasar et qui eum secuti sunt reges Assyriae sive potius Babyloniae, terras non solum occupare, sed occupatas tenere, et in unum idemque regnum conflare conabantur; gentes non occidunt, sed civitates delent, hominibusque ex aliis in alias regiones translatis, prima quasi monarchiae universalis fundamenta ponunt. Quibus mutationibus, in antiquiori regno Assyriae aut in Asia interiori effectis, nova haec occupandi ratio orta sit, id tenebris adeo involvitur ut ne conjectura quidem tentare audeamus; hoc tantum certo constat, magnae hujus mutationis vestigia inde a tempore Theglathphalasari in historia apparuisse. Hic rex ab Achaz accitus Damasco statim potitus est, incolisque in Assyriam traductis civitatem Syriae delevit (8); deinde tribus ultrajordanenses item deportavit (9), et Galilaeam quoque eodem modo subegit (10). Sola regio Samaritana propter montes facilius defendenda Phacee regi relicta est; sed haec etiam, nova seditione orta, non ita multo post libertatem amisit. Quum enim Hoseas, interfecto rege Phacee, regnum arripuisset, Salmanassar rex Assyriae, imparatum adgressus, statim ad deditionem

(8) 2 Reg. XVI. 9.
(9) 1 Paral. V. 26.
(10) 2 Reg. XV. 29.

coëgit (11). Sic igitur ambo regna Judaë et Israël eodem fere tempore ad eandem conditionem tributariam redacta sunt, et quamquam non eadem ratione libertatem amiserunt (hoc enim vi, illud voluntaria deditione Assyriis subjectum est), eadem tamen lege utrumque serviebat. At longe diversa fortuna amissam libertatem recuperare conabantur: nam utrumque regnum simul rebellavit, Israël vero periit, Juda antiquam felicitatem recuperavit. Accuratior hujus defectionis consideratio diversae fortunae caussas nobis indicabit.

§ XXIII.

Imprudentia regis Achaz regnum Judae penitus labefactatum erat. Idumaei defecerant; Philistaei insuper oppida quaedam Judaeorum ceperant; aerarium tributo Assyriis soluto exhaustum erat; et fracta erat populi fortitudo atque fides in regem, qui spreto Jehovae cultu victorum deos in civitatem induxerat. Attamen populi vires suppressae potius erant quam exstinctae, et Ezechias, qui Achaz regi successit, prophetarum consilia secutus eas brevi refecit. Simulatque enim ad regnum pervenit, non solum cultum Jehovae restituit, verum etiam, nuntiis ad omnes tribus missis, Israëlitas ad solemnia Hierosolymis celebranda invitavit. Ephraïmitae irridebant huic invitationi; e reliquis vero tribubus multi convenerunt, et sacris patrio more persolutis, tantum religionis studium tan-

(11) 2 Reg. XVII. 1-3.

taque in Jehovam fides universum populum incessit, ut Rex, rupto foedere ignominioso, quod pater cum Assyriis pepigerat, libertatem vindicare posset. Salmanassar vero rex Assyriae, cui simul contra Samariam pugnandum erat, Judaeam statim adgredi non potuit; sed Ezechiae tempus reliquit, ut arma contra Philistaeos verteret, iisque victis imperium firmaret (1). Quum tandem anno decimo quarto Sennacherib rex, Aegyptum petens, cum exercitu Hierosolyma tenderet, Ezechias quidem pugnam iniquam evitaturus auro pacem emere maluit; at, quum Assyrii non divitias quaererent, sed de imperio pugnare, aut Judaeos deportare vellent, Ezechiam non imparatum invenerunt, ad vim vi repellendam. Ipse enim urbem probe muniverat, milites armis recte instruxerat, et naturali urbis situ sapienter usus, omnibus puteis circumcirca obturatis, fontem Gihon sub terra in urbem deduxerat; adeo ut Judaei, Jesaiae oraculis corroborati, resistere possent, donec Assyrii, sive propter rerum inopiam sive alio quodam casu magnam stragem experti, Judaea cedere coacti sunt (2). Ab eo inde tempore res Judaeorum denuo florere coeperunt: augentur brevi divitiae regis, augentur opes et felicitas populi; gentes vicinae denuo nomen Judaïcum verentur, et ipsi Assyrii amicitiam eorum expetunt (3).

(1) 2 Reg. XVIII. 8. coll. XVII. 3-6.

(2) 2 Paral. XXXII. 1-14. Ex hac *aquae inopia* fortasse mirifica Assyriorum strages explicari potest, quae ex Orientalium loquendi ratione ab angelo Jehovae inflicta esse traditur l. l. ỷ. 21. Jesaia XXXVII. 36.

(3) 2 Paral. XXXII. 27-31.

Israëlitarum conatus jugum Assyriorum excutiendi tam prosperum successum non habebant. Ipsi enim suis viribus Assyriis resistere non amplius poterant, quoniam major pars regni, Syris contigua, ab hostibus desolata jam erat, reliquus vero populus bellis civilibus agitatus in dies debilitabatur. Hinc Hoseas cum rege Aegyptiorum de pellendis Assyriis conspiravit. At ex Aegypto, ubi tum temporis Ordo militum cum Sacerdotibus litigabat, parum auxilii exspectandum erat, et Salmanassar de his consiliis certior factus, Hoseam antevertit, terram occupavit, et urbem Samariam obsidione cinxit. Israëlitae per tres quidem annos fortiter sese defenderunt, sed Assyrii in regionibus fertilibus, quae urbem cingunt, considentes, tandem anno fere post regnorum scissionem ducentesimo quinquagesimo quarto fame eos ad deditionem cogunt (4). Regi et Principibus vitam concedunt, omnes vero nobiliores ultra Euphratem deducunt, et civitate penitus deleta alias gentes in Samaria collocant.

§ XXIV.

Sic Regnum Israel ab Assyriis petitum *vi armorum* interiit, dum Regnum Judae sub felici Ezechiae imperio nemine impugnante reflorescebat. Attamen caussae, cur hoc diutius steterit quam illud, non ab *inaequalibus hostium viribus*, quibuscum utrique pugnandum erat, verum ex *diversa rerum internarum conditione* repetendae sunt. Hostes enim qui Israëlitas

(4) 2 Reg. XVII.

adgressi sunt, *Syri* et *Assyrii*; iidem Judaeos etiam bello sunt persecuti; praetera vero *Aegyptii*, *Idumaei*, *Philistaei*, *Moabitae*, *Ammonitae* et *Arabiae gentes*, qui omnes frequentes irruptiones in Judaeam fecerunt, usque ad regnum Israël nunquam progressi sunt. Ad haec impressiones in Judaeam factae non minus formidolosae fuisse videntur, quam quas Israëlitae experti sunt; etenim Judaei Hierosolyma, caput regni, omnium fere hostium arbitrio identidem permittere coacti sunt (1), Samaria semel tantum, cum de regni interitu ageretur, in hostium manus incidit. Hisce autem momentis caussae illae cummaxime contineri videntur.

I. *Populus in regno Judae magis inter se conjunctus erat, quam in regno Israël, ac temporibus angustiarum fide in Jehovam inflammatus omnia audebat.* Huic concordiae atque ardori tribuenda est victoria illa, qua Abiae temporibus Judaei Israëlitis superiores facti sunt; eodemque religionis studio et fraterna quasi Judaeorum concordia effectum est, ut Ezechiae temporibus omnes prompti essent ad jugum Assyriorum abjiciendum, utque viribus satis pollerent ad id sine alieno auxilio perficiendum. Israëlitae contra, factionibus plerumque lacerati et de rebus suis desperantes, in omnibus fere dubii haerebant.

II. *In regno Judae Reges praestantes multo plures fuerunt quam in regno Israël. Asa* virtute sua Aegyptios profligavit; *Josaphatus* sapientia et morum integritate internas regni vires summopere auxit; *Azarias*, per duos et quinquaginta annos

(1) Hierosolyma urbs bis capta est ab Aegyptiis, semel ab Israëlitis, bis ab Assyriis.

sapienter imperans regnum lapsum ad summum splendoris fastigium evexit; *Ezechias* mira pietate et fortitudine res fractas restituit. In regno Israël unus tantum Jeroboamus II res bene gessit, reliqui omnes, paucis tantum exceptis, vix digni sunt, qui inter reges recenseantur.

III. *Prophetarum et Sacerdotum vis atque momentum in res publicas regno Judae saluti fuit, regno Israël exitio.* Prophetae bellum cum Israëlitis avertunt; iidem Sesacum Aegyptiorum regem pacant; ipsi in caussa fuisse videntur, cur Israëlitae, cum Judaeos vicissent, tanta clementia in eos usi sint; Pontifici Maximo debetur restitutus rerum ordo post nefanda Athaliae facinora; Ezechias denique non nisi Jesaiae oraculis corroboratus Assyriis restitit. — Quo modo autem in regno Israël prophetarum castigationes continuas seditiones moverint, supra demonstratum est.

IV. *Situs Judaeae geographico-politicus opportunior erat quam situs regni Israël.* Syri, regno Israël interjecto ab Judaeis separati, semel tantum inferiores Judaeae regiones devastarunt, a montibus sterilibus et bello faciendo minus aptis facile abstinebant; iidem vero regnum Israël per saeculum et quod excedit peragrabant atque devastabant. Assyrii quoque, remotiores a Judaeis, hos adeo observare non poterant atque Israëlitas, quibus continuo quasi imminebant.

V. *Denique situs Hierosolymorum, quam urbem Assyrii fame cogere non poterant, ad regni conservationem multum contribuit.* Huic enim rei tribuendum est, quod anno octavo

post interitum regni Israël, cum Sennacherib Hierosolyma oppugnaret, Ezechias feliciter restitit.

Hisce momentis, quae ex ipsa regnorum historia petita sunt, veras caussas contineri, cur Juda diutius steterit quam Israël, ex ipso *regni Judae interitu* magis etiam probatur. Quum enim in Judaea quoque *Populus* factionibus esset laceratus; quum *Reges impii et inepti* res publicas male gererent, quum *Prophetae* cum Regibus certarent, et discordes essent inter se ipsi; quum *Assyrii*, regno Israël potiti, Judaeis vicini facti essent; tum neque hoc regnum libertatem diutius tenuit, sed tamen sub Assyriorum imperio fortasse stetisset, nisi, rebus in Aegypto mutatis, bellum inter Aegyptios et Assyrios denuo exarsisset. Sic vero fieri non potuit, quin Juda, intermedia inter duo regna formidolosa, horum concursu oppressa periret.

Jam Manasses, Ezechiae filius, contemtis illis artibus, quibus pater regnum firmaverat, civitatem perdidit. Puer duodecim annorum ad regnum elatus, patriae sapientiae quasi irridens, nefaria sacra Baalis aliorumque deorum, cum in omnibus urbibus Judaeae tum in ipso templo Hierosolymitano instituit. Quod cum Prophetae ferre non possent, contra hos etiam tanta crudelitate saeviit « *ut eorum sanguine Hierosolyma quotidie manarent* (2). » Hinc illi calamitates, quas ipse Moses populo sacrilego minatus fuerat, et quae Israëlitis jam acciderant, Judaeis quoque denuntiabant. Neque diu inulta mansit tanta Regis insania. Assyrii subito irrumpentes,

(2) 2 Paral. XXXIII. 1-10. — Jos. A. J. X. 3. 1. — 2 Reg. XXI. 1-16.

nemine resistente, Urbe potiti sunt, et Regem suis invisum captivum Babylonem deduxerunt. Postea quidem regnum ei restitutum est, et per integrum fere saeculum Judaei suos ac proprios Reges habuerunt: at libertatem civitatis neque ipse Manasses, quamquam res deinde sapientius gessit, neque Josias qui ei successit, vir sapientia atque pietate insignis, ab Assyriis recuperare potuerunt. Nequidquam Josias cum Helkia Pontifice Max. cultum Jehovae restituit: populi vires minores erant, quam quibus libertatem vindicare auderet. Ipsi adeo prophetae de salute desperantes (3), ne omnia plane interirent, Assyriis adhaerendum esse censebant. At ne hoc quidem obtinuerunt; Aegyptii enim, qui sub regibus Saïticis res Asiae magis curare coeperant, tum temporis Assyrios adgressuri duce Nechao rege ad Euphratem tendebant. Quibus cum Josias, Assyriorum socius, transitum permittere nollet, ipse proelio fusus cecidit, et regnum Judae ab eo inde tempore uti Assyriis ita etiam Aegyptiis omnino patebat. Hostium reges jam Hierosolymis regnabant, non ii qui modo ab Aegyptiis modo ab Assyriis Regum nomen obtinebant; sed nihilominus hi reguli inter diversas partes, quas utrique reges inimici Hierosolymis fovebant, tam inconsulte fluctuabant, ut regnum jam paucis post annis periret (4). Consilio Jeremiae prophetae, qui Assyriorum partes tenere jubebat, respublica servari po-

(3) 2 Paral. XXXIV. 22-28.

(4) Jeremias propheta partibus Assyriorum favebat; Principes vero civitatis, Sacerdotes aliique e Prophetis Aegyptiis confidentes defectionem ab Assyriis suadebant. Jos. A. J. X. 6. 2. Jeremia XXXVII. etc.

tuisset; rex vero Sedekias, omnis consilii et constantiae expers, contra Assyrios rebellavit. Quo facto Nabuchcdonosor denuo in Judaeam irruit, Hierosolyma oppugnat, urbemque captam igne et gladio devastat (5). Nobiliori populi parte deinde in Chaldaeam traducta, regnum Judae eodem modo iisdemque fere ex caussis deletum est, quibus ante centum quatuor et triginta annos regnum Israël interierat.

(5) Jerem. XXXIX. 2 Reg. XXV. 2 Paral. XXXVI. Primum Nabuchodonosor ipse Hierosolyma adgressus est; deinde vero contra Ethbaal II Regem Tyriorum, Sedekiae socium, profectus obsidionem Hierosolymorum ducibus suis reliquit, qui Urbem absente rege expugnaverunt.

XIII.

THEOD. GUILL. JOAN. JUIJNBOLL

COMMENTATIO

AD

QUAESTIONEM HISTORICAM.

THEOD. GUILL. JOAN. JUIJNBOLL

HAGAE-COMITANI

THEOLOGIAE STUDIOSI IN ACADEMIA
LUGDUNO-BATAVA

COMMENTATIO

AD QUAESTIONEM AB ORDINE PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM
PROPOSITAM :

Exponantur caussae, quibus effectum sit, ut Regnum Judae diutius persisteret quam Regnum Israël.

QUAE IN CERTAMINE LITERARIO SECUNDOS TULIT HONORES
IV NONAS OCTOBR. MDCCCXXIV.

CONSPECTUS COMMENTATIONIS.

PROLEGOMENA.

SECTIO I.

DE FONTIBUS.

SECTIO POSTERIOR.

ANIMADVERSIONES NONNULLAE GENERALES.

VII. a

PARS PRIOR.

INTERNA UTRIUSQUE REGNI CONDITIO, RATIONE HABITA NECESSITUDINIS, QUAE UTRIQUE REGNO INTERCEDEBAT.

CAPUT PRIMUM.

GEOGRAPHICO-POLITICA UTRIUSQUE REGNI CONDITIO.

CAPUT SECUNDUM.

CIVILIS UTRIUSQUE REGNI CONDITIO.

CAPUT TERTIUM.

MORUM IN UTROQUE REGNO CONDITIO.

PARS POSTERIOR.

EXTERNA UTRIUSQUE REGNI CONDITIO EX UTRIUSQUE CUM RELIQUIS POPULIS NECESSITUDINE EXPLICATA.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM LITERARIAM.

Quamvis historia recentioris aevi rerum gestarum novitate quemcumque alliciat; antiqua tamen factorum praestantia et gravitate jucunditatem praebet, qualem alibi frustra quaeramus. Sive enim Graecos sive Romanos spectemus; ubique talia occurrunt, quae ipsa se nobis commendant. Neque his destituti sunt gentium orientalium annales: populos ad nostram notitiam perferunt, dignissimos, qui accuratius cognoscantur; civitatum, rerumpublicarum fata exponunt, disputatione inprimis egentia, et viri in iis prodeunt, toga sagoque nobilissimi. Atque in his orientalibus populis, tam gentis vetustate

quam factorum gravitate, prae aliis memorandi sunt Hebraei. A patribus oriundi nobilissimis, medii inter externam gentem, Aegyptios, ad magnum et potentem populum accreverunt. Quum in Arabiae desertis quadraginta annos commorarentur, Moses, vir prudentia, consilio, fortitudine et pietate, praeclaris omnino animi ingeniique dotibus magnus, et fere divinus, religionem, civitatis formam, leges, mores, omniaque summa sapientia ad ingenium et salutem populi accommodavit.

Expugnata terra Cananaeorum, nihilominus difficile erat omnes tribus religione sola et sapientissimis illis institutis tamquam unam civitatem continere, et discordiam invidiamque prohibere. Varia per longum tempus et adversa fuit populi fortuna. Quaeque tribus suos magistratus, suumque imperium habebat, et tot erant civitates, quot tribus. Alterius commoda alterius saluti opposita erant : accedebat aemulatio, in dies aucta; deerat communis omnium dux, qui omnibus in bello praeesset : discordiae intestinae, bella externa nuper conditam rempublicam evertere minitabantur. Viri, ceteris consilio et fortitudine insigniores, ab externo imperio nonnumquam cives suos liberabant; sed durum dominum mox excipiebat durior; eaque miserrima Israelitarum conditio perduravit, donec Samuel existeret, qui totius populi cum in bello tum in rebus civilibus dux creatus, summa, qua valebat, prudentia, Jehovae

cultum, commune gentis vinculum, restituit, ab inimicorum vexationibus liberavit et populum humaniorem reddidit. Civilibus institutis immortale profecto apud gentem suam nomen adeptus est. Nam praeterquam quod imperium et juris exercendi rationem meliorem instituerit, scholarum Prophetarum restaurator vel potius conditor fuit. Commutata imperii forma, Saülus bellis, quae gessit, felicibus populum ferociorem reddidit et militarem. Qui ipsi successit Davides, vir moderati et excelsi animi, ingenii acumine, clementia, fortitudine, doctrina et magno religionis studio praeclarus, imperium dilatavit et sapientissimis omnis generis institutis ornavit. Magnum etiam est Salomonis nomen, qui sapienter et prudenter, omnia adhibuit, quibus imperii splendorem augeret. Aedificavit templum magnificentissimum, foedera iniit, mercaturam mirifice auxit, imperii nomen apud exteros celebre reddidit. Mortuo rege imperium, misere dilaceratum, in duas partes dividitur : ex uno eodemque populo duo existunt regna, quorum alterum, quod dixeris fuisse potentius, plus quam saeculum ante alterum interiit. Singulare omnino eventum! memorandum in historia factum! — Exstant sine dubio causae, quibus id effectum sit.

Gravissima igitur est quaestio, a Nobilissimo Literatorum Ordine in Academia Lovaniensi proposita :

« *Exponantur causae, quibus effectum sit, ut Regnum* » *Judae diutius persisteret, quam Regnum Israël.* »

Et causarum investigatio, quis dubitet, an grata cuique et jucunda sit ad Historiam rite tenendam, quam si adimas, non nisi vetulae loquacis, ut Borgerus inquit, narratio superest; ludicrum profecto spectaculum non disciplinam agnosces. Et quis est, qui Wyttenbachio fidem non habeat, « qui cum » alia multa in Polybio laudat tum factorum, eventuumque » sagacissimam explicationem, e causis principiisque suis repe- » titam; sive hae causae continerentur in singulorum ingeniis » hominum, sive in cujusque Reipl. aut dynastiae constitu- » tione et forma, sive in harum mutua ratione et conjunctione » universaque orbis terrarum quasi civitate, sive in militari » disciplina, sive in coeli natura, sive in locorum situ regio- » numque proventu et opportunitate, sive in hominum, pro » varietate locorum et civitatum, diversitate, frequentia, ani- » morum indole, corporum robore » — (1).

Quae cum ita sint, difficillima profecto est haec causarum rite instituta explicatio, eoque gravior, quo altius antiquitate Hebraeorum Historia est recondita. Quemadmodum vero in omni disquisitione fontes adeundi sunt, ita quoque in historia ante omnia inprimis attendendum est ad scriptores, ex quibus ejus cognitionem haurimus. Atque talis disquisitio eo majoris est momenti, quo antiquiores sunt fontes ipsi, ex

(1) Sunt verba Borgeri Hist. Pragm. p. 10. sq.

quibus historiam indagare velimus. Si enim hac ratione consilium scriptoris eliciamus, scripta, quibus usus sit, ad suam historiam componendam cognoscamus, aliaque similia inveniamus, certissimum itineris ducem nobis comparasse videmur, qui tuto certoque nostra vestigia per tot ambages dirigat.

Mihi igitur liceat paucis tantum, quoniam ad quaestionem ipsam minus pertinere videtur, loqui de fontibus hujusce nostrae disputationis, et primum quaedam in medium conferre de consilio scriptorum, de scriptis, quae adhibuerunt ad suam narrationem componendam; ut inde concludamus, quinam horum librorum auctores fuerint.

PROLEGOMENA.

SECTIO PRIOR.

DE FONTIBUS.

§ I.

De consilio scriptoris librorum regum et chronicorum.

LIBROS, qui nomen *Samuelis* et *Regum* prae se ferunt, unum eundemque auctorem habuisse, luculenter ostenderunt Eichhornius (1) et Jahnius (2), cujus consilium eo tetendisse videtur, ut specimen traderet historiae imperii Jehovae in Israelitas, quam Theocratiam vocarunt; (3). Vel (ut accuratius nuper de libris Regum praecipue demonstratum est (4)

(1) *In Inleiding in het oude Test.* II. 579. qq.
(2) Einl. in die Buech. des A. B. II. 1. p. 232. sqq.
(3) Huic consilio contextus horum librorum optime congruit. Eichhornius ll. II. 547. et Jahnius ll. p. 283. sq.
(4) In D. E. G. Bengels neues Archiv fuer die Theol. B. II. St. 2. p. 469-482.

auctor id potius egit, ut Historiam enarraret Regni Israelis, ratione habita factorum et vaticiniorum Prophetarum; verum de iis tantum, quae Israelitas spectant; nam de Regno Judae non nisi obiter mentionem fecit. Ad finem vero perducta alicujus regis historia, brevissimam Judaici imperii tunc temporis conditionis narrationem adjecit, ut perpetuam inter utrumque regnum comparationem institueret. Atque ita hi Regum libri sunt fons praecipuus ad Israelitici Regni conditionem indagandam. In posterum vero, Hosea in captivitatem abducto, imperium Judaicum unice spectat, ubi igitur ampliorem de Judaeis mentionem factam esse invenimus, et ea interdum leguntur, quae apud chronicorum auctorem desiderantur. —

Plane aliud fuit alterius consilium in conscribendo opere chronicorum. Quemadmodum Regum auctor specimen Theocratiae, historia regni Israelitici conspicuae, tradiderit, sic ille Monarchiae Judaeorum conspectum conscribere voluisse videtur; atque in hac disquisitione de Israelitis finitimisque populis non mentionem facit, nisi tum, quum eorum historia cum Judaeorum rebus cohaeret (1). Quemadmodum scriptor Regum id egit, ut omnia informet et redigat ad Theocratiam; ita ille de religione Mosaïca, tamquam religione civitatis, à cujus observantia regni perduratio et felicitas perpetuo pendebat, loquitur. Hoc consilio tam accurate descripsit instituta Davidis et Salomonis, quae ad sacra pertinent, quaeque civilem imperii conditionem emendandam spectant: huc per-

(1) Cf. Jahn II. p. 249.

tinet ampla illa reformationis narratio, quam instituit Josaphatus, Hiskia, Manasse, Josia; utque perspicuam religionis, quam in suam induxit civitatem Jerobeamus, narrationem traderet, cum eaque Judaeorum religionis conditionem compararet, in his copiosior fuit (1). Estque igitur hoc chronicorum opus fundamentum, cui omnem nostram disputationem de regno Judae inniti oportet. Ex hoc diverso scriptorum consilio saepius quoque expediendae sunt difficultates, quae non semper ex variantibus lectionibus, vel vitiis librariorum explicari possunt : pertinent istae difficultates plurimum ad ea facta, in quibus invicem dissentire videntur. Plurima exempla attulit Jahnius (2), qui hac de re accurate disseruit.

§ II.

De fontibus, quibus usus est uterque scriptor.

Fontes adiisse scriptores horum librorum, tot loci testantur, in quibus ad alios relegant scriptores. Perpetuo auctor Regum lectorem remittit post finitam cujusque regis historiam ad *annales Regum Israëlis vel Judae*; (ספר דברי הימים למלכי ישראל vel יהודה) extremo tantum rege excepto, quoniam, regno everso, annales forte scripto non consignati fuerant.

(1) Cf. 2 chronic. X cum I Reg. XII. — De institutis Josaphati, 2 chron. XVII — XX cum I Reg. XXII. ℣ 41-71. — De Hiskia 2 chron. XXIX. ℣ 1-32 et 83 cum 2 Reg. XVIII. — XX. — De Manasse 2 chron. XXIII. ℣ 1. — 20 cum 2 Reg. XXI. ℣ 1 — De Josia 2 chron. XXXIV. XXXV cum 2 Reg. XXII. ℣ 1 — 23 et 30.

(2) Ll. p. 263. sq.

Sed plura chronicorum auctorem adhibuisse scripta liquet ex permultis illis libris, quibus se usum esse testatur: suntque hi fontes, vel *primarii* vel, ut vocant, *derivati*. Primarii, ut videtur, intelligendi sunt illi libri, qui jussu regis a certis et ad hoc munus gerendum constitutis viris componebantur. Non diu quaerendum est, quinam hi fuerint. Sunt procul dubio Prophetae, qui, in aula Judaeorum degentes, et dignitate et auctoritate, plurimum valebant (1).

Quum igitur ab his historia memoriae traderetur, necesse erat, ut eam secundum suam cogitandi et judicandi rationem conscriberent: quam integram recepit horum chronicorum auctor. Tenendum enim est, orientales, et ex iis quoque Hebraeos, more iis proprio plurima verbotenus transcribere solitos fuisse (2). Iis annalibus autem chronicum usum fuisse, ex permultis locis liquet, ubi variorum Prophetarum scripta citantur (3). Sed et praeterea adfuit ipsi sine dubio aliud opus *annalium Regum Judae et Israelis*. Qui fons derivatus vel secundarius dici potest. Huic enim operi plerumque inserebantur ipsa Prophetarum scripta (4), quamquam non omnia (5).

(1) Cf. Jahn. Bibl. Archaeol. II. Th. 2 Band. § 175, p. 266 et Josephus contra Apionem I. 6.

(2) Cf. Jahn. Einl. ll. p. 253. q.

(3) Eorum seriem confecit Jahnius ll. p. 249.

(4) Cf. 2 chron. XX, 34, XXXII, 32, XII, 15, XIII, 22, 24 et 27, cf. Jahn. ll. p. 250 q. de voce מדרש his locis obvia cf. Jahn. ll. et Eichhorn. ll. p. 593.

(5) Repugnet huic sententiae fortasse locus 2 chronic. XXXIII, 18, 19 ubi de annalium opere et de scriptis Prophetarum separatim mentio fit. Sed nihil obstat, quo minus

Fieri quidem potuit, ut quoque nostros regum libros legerit vel adhibuerit; non vero consentiendum est illis, qui censeant, memoratum illud opus diversum esse ab eo, in quo historia utriusque regni inveniebatur : quod pluribus jam refutarunt laudati scriptores (1). — Id contra verum esse videtur, annales, quos apud Regum auctorem citatos reperimus, saltem *annales Judae* idem fuisse opus, ad quod alter relegat, ob convenientiam quae in singulis verbis cernitur, si loca parallela conferamus; sed quominus alterum opusculum *annalium Israelis* unum idemque existimemus, sua nec prorsus rejicienda in medium protulit Eichhornius (2). Res vero minoris sane est momenti, quam ut hic diutius subsistamus. —

Fontes igitur partim utrique communes, partim non communes fuerunt. Chronicorum scriptori plures in promptu erant, et hinc discrimen etiam explicandum orthographiæ in nominibus propriis, hominum, urbiumve, atque in factorum interdum relatione conspicuum (3).

putemus esse aliam denominationem unius ejusdemque operis. Vitae vel rerum gestarum narrationi Manassis forte alii Prophetae adjunxerant relationem eorum, quae versu 19 indicantur. Nam si haec non assumamus, in gravissimam incidimus quaestionem : quomodo, se chronicorum scriptor ea, qua demonstratum est § 3, aetate vixerit, uti potuisset Prophetarum scriptis, quae tum probabiliter jam deperdita erant. Judaei enim post captivitatem Babylonicam tanta cura conservabant scripta et libros Prophetarum, ut postea eorum nullus perierit : (cf. Eichhorn. ll. I. § 5. p. 11. § 15. p. 29. § 90. p. 160 sqq. de sacrorum librorum collectione in templo post captivitatem conservata) quo facto, nil verosimilius videtur, quam auctorem, quoties nomina Prophetarum adscripta videret, ea retulisse, quo majorem scripto suo fidem haberet lector.

(1) Cf. Jahn. ll. p. 251 et Eichhorn. ll. p. 596.

(2) Ll. p. 558 et 597.

(3) Cf. Eichhorn. ll. p. 359. qq.

Sunt igitur, quod ex iis, quae disputavimus, sponte liquet, libri illi, ex quibus suam hauserunt historiam, omnes Judaicae originis; quo forte referenda est loquendi formula de Hierosolymis, *quae elegerat Jehova, ut nomen suum ibi constitueret* (1), aliae similes: quæ quoniam in locis parallelis iisdem verbis leguntur, non ab alia manu profecta sunt; nisi in posterum usu tam invaluisset iste loquendi mos, ut uterque temere hæc adhibuerit; quod tamen non probandum est, et sane, quo minus credamus, nimis durum et contortum videtur. Sed dubitari nequit in narratione historiae Regni Israelitici Regum auctorem etiam alia consuluisse scripta Israeliticae originis, quamquam nomine non allata. —

§ III.

De auctoribus horum librorum.

Verum quinam hos libros conscripserint, quum ipsa historia taceat, non facile conjicias, nec unquam certis argumentis probari posse videtur. Fuere quidem, qui Jeremiam Regum auctorem fuisse censerent; sed, ut ostendit Jahnius, perperam (2). Id vero constat, eos conscriptos esse, postquam Judaei in captivitatem Babylonicam abducti fuerant et quidem ante mortem regis Jojachimi (3).

(1) V. c. I Reg. XIV. 21. 2 chron. XII. 13.
(2) Ll. p. 237.
(3) Ut probavit Jahnius ll. p. 286.

Quae cum ita sint, attendentibus ad consilium auctoris, supra memoratum, nil fere probabilius videtur, quam *eum fuisse Israelitam.* Ut reliqui exsules, sic et horum auctor, abjurata idololatria, amore legis Mosaiae flagrabat et Jehovae cultus vindex erat acerrimus. His adactus studiis, ejusmodi consilium ipso erat dignissimum. Itaque omnes reges, qui, institutorum Mosaicorum obliti, religionem sacram violabant, gravissima reprehensione increpat; sed imprimis, qui in imperio Judaico regnabant, principes perpetuo, si quo modo fieri posset, improbat, facta eorum detestanda semper referens, et interdum bona omittens, quod ex comparatione horum cum chronicorum libris facile probatur (1). Atque ita, quamvis mutua tribuum invidia, qualis antea acerrima exstiterat, in dies imminuta esset, tamen saepius aemulatione quadam se abduci passus esse videtur. —

Huic vero sententiae aliquis objiciat, Israelitas, postquam abducti erant, prorsus separatos fuisse a reliquis Hebraeis, ut nullum rursus in posterum cum Judaeis commercium habuerint, eos adeoque fuisse remotos, ut, quae de iis deinceps innotuerunt, non nisi incerta, fabulisque intermixta sint: quomodo tum fontes acceperint, quomodo nonnulla de Judaeis

(1) Exempli loco inserviant loca I Reg. XIV. 22-24 cum 2 chron. XII. 1, 2, 14. 1 Reg. XV. 1. 2 cum 2 chron. XIII. 1. 1 Reg. XV. 6-8 cum 2 chron. XIII. 2. 22 et 23. — Id certe ex his locis conjicimus, avide scriptorem regum arripuisse occasionem perstringendi Reges Judaeorum et tacite eum praeterire voluisse jacturam, quam v. g. Jerobeamus passus est ex clade, qua affectus est ab Abia. —

post exsilium cognoverint, quomodo explicandus sit dialecti chaldaicae usus, ea denique scribendi ratio, quin ceteroquin a Judaeorum loquendi more, (si chronica conferas) magis diversam exspectavisset post tantum temporis intervallum?

Sunt revera Israelitae in varias terras, Mediam versus jacentes, abducti et ita dispersi, ut numquam fere conjungi posse viderentur, neque, velut maxima Judaeorum pars, in patriam redire. Attamen non omnes in orientem (quorsus plurimi abierunt), tetendisse verosimile est: alii sine dubio magis occidentem versus redierunt, tum potissimum, quum una cum Assyriis Babyloniorum subjecti sunt imperio. Multis Babylon arridet, totius imperii caput; huc se conferunt, hic et in finitimis regionibus reperiunt Judaeos; post longum temporis intervallum populares revisunt, diutius aemulationis studiis separatos; eos fratres agnoscunt; cum his invicem magis se conjungunt; saepius sermo est de pristinis majorum rebus gestis ac — tandem patriæ amore impulsus Israelita quidam consilium init conscribendi Israelitici regni historiam. Diu quidem jam erat eversum, sed ipsum illud eum incitat, ne memoria majorum oblivioni tradatur; ejus consilio imprimis favet Babyloniorum ingenium, quod historiae conscribendae studio imprimis indulget. Judaeorum commercio utenti, ipsi innotuit liber *annalium Regum Judae et Israelis* (1). —

(1) Fortasse ipsi Israelitae hoc opus conservarunt, quoniam ipsos inprimis spectabat, ad

Scripta Prophetarum, quibus usus sit chronicorum auctor, ipsi Judaei fortasse tanquam ipsos fontes primarios certe tam diligenter conservaverunt, et retinuerunt, ut non facile alicui innotescere possent : contra nostro auctori, quippe ex una decem tribuum oriundo, aditus patebat ad alios fontes, quo accuratius describeret ipsius regni Israelis historiam; ita peculiaria quaedam singulorum virorum facta vel res gestas melius cognoscere poterat, quorum relatio, scripto conservata, apud nonnullas familias vel tribus conservabatur : historiam v. c. Samuelis, Eliae, Elisae, aliorum, qui non tribui Judae vel Benjaminis adnumerabantur. Est quidem lingua, qua utitur, temporis intervallo a Judaeorum loquendi ratione valde diversa: sed haec differentia non adeo conspicitur in libris, qui toti fere verbotenus ex fontibus transscripti sunt. Agnoscimus passim fragmenta originis probabiliter Israeliticae, in quibus magis insolita verborum structura et orthographia occurrit (v. c. in historia Eliae et Elisae).

Utitur interdum chaldaismis, qui tamen non tam frequentes sunt ut inde quaestio difficilior oboriri posset: quique commode explicari possunt ex Chaldaeorum consuetudine, in quorum regione auctor jam commoraretur; atque sic facile passim his usitatae voces vel loquendi formulae irrepere poterant.

extinctum usque regnum conservarunt; tum vero Hiskias auctoritate, qua fruebatur in imperium Israeliticum adjectus, studioque ductus quantum posset litteras promovendi, hoc opus una cum aliis in suas traduxisse videtur ditiones, quo facto naufragium non passum sit.

Haec aliaque, quæ ob loci inopiam non fusius explicare licet, non prorsus inprobabilem reddunt conjecturam, scriptorem Regum *Israelitam* fuisse.

Aeque difficilis est quaestio, quinam fuerit chronicorum auctor : sunt hi libri certissime recentioris notae, quam Regum annales. Quod cum probari potest ex orthographia, tum ex recepto vocabulorum usu et mentione mensurarum, nummorum, cet. — (1). Ex quibus tuto concludi potest tempus, quo conscripta sunt chronica, incidisse post captivitatem et quidem in tempora, ab ea paulo remotiora. Esram eorum scriptorem fuisse, ut nonnulli contenderunt satis probabilibus argumentis refutavit Jahnius (2). Fuit sine dubio Judaeus, legis Mosaicae vindex acerrimus, fautor egregius, populi sui amantissimus, qui, ut ipse passim ostendit, omnia contulit ad populi laudem extollendam : utque Regum auctor imperii conditionem, quantum fieri posset, a meliore parte depingit; ita quoque ille facta Regum Judae pejora omittit vel delinire studet, Israelis contra principum vitia et clades minime praeteriit (3).

Verum enim vero objicit certe sectator Grambergii, ejusque sententiae propugnator : quare de consilio, de fontibus, de scriptore libri chronicorum tot tantaque adhuc disputavi-

(1) Cf. Jahn. ll. 244 qq et Gramberg: *Die Chronik nach ihrem Geschichtlichen Charakter und ihrer Glaubw. neu gepruft* Halae anno 1823. p. 5 et qq.

(2) Ll. p. 245. q.

(3) Cf. cll. v. d. Palm. ad 2 chron. XII. 1 et loca in nota 4. p. 8. supra laudata inprimis 2 chron. XIII. 2-22. cum 1 Reg. XV. 6-8.

mus : est enim, inquit, in promptu, eum nec verum tradere potuisse, nec voluisse; destitutum quippe omnibus adminiculis ad ea narranda, quae Regum scriptor non memoravit; et quid expectandum est ab eo, qui, quo melius lectores decipiat, jactat, se usum fuisse fontibus, quos non modo non adhibuit, sed plane finxit ad aliquam saltem narrationi fidem addendam (1). Verum non est hujus loci talia uberius explicare quae in antecedentibus pro loci ratione satis refutasse videmur. Si quis autem nostram de hoc libello sententiam efflagitet adeat Wyttenbachii Bibl. Crit. (I, 1 præf.) et Bryantii nomini Grambergii nomen substituat.

Sunt haec imprimis, quae in antecessum monita non plane supervacanea videantur : ita forte nonnulla recte tenere, accurate definire, caute explicare poterimus.

Ac jam transeundum est ad ipsam quaestionem, cujus pertractionem ut rite instituamus, ipsius regni scissi historiam primum paucis illustremus ad ejus vim probe intelligendam eaque quae hinc consecuta sunt melius tenenda.

(1) Conferri meretur totum opus Grambergii supra laudatum, sed inprimis disputationis conclusio.

SECTIO POSTERIOR.

ANIMADVERSIONES NONNULLAE GENERALES.

§ IV.

Calamitatum origo, quae deinceps post mortem Salomonis acciderunt, ex hujus imperio repetenda.

Laetissima profecto est imperii Salomonis facies : numquam antea Israelitae tantam perceperant felicitatem : omnes vicini populi Hebraeorum regis imperio erant subditi, neque amplius inimicis incursionibus molestisque vexationibus Palaestinam infestabant : ipsi Israelitae terram quiete incolebant, quae fructus uberrimos iis praebebat : ipse rex plusquam fere regio more splendidam ostentabat pompam, quae omnes gentes admiratione percellens, Hebraeorum nomen apud exteros illustre reddebat. Divitiis, artium literarumque studio, mercatura, institutis sapientissimis, gens florebat; omnia speciem prae se ferebant sapientissimi, ditissimi et potentissimi regis imperii.

Sed in ipsa illa regni felicitate semina recondita erant earum calamitatum, quibus populus misere deinceps dilaceratus est. Contra legem, Israelitis datam, in cujus observatione optimum salutis praesidium perpetuo positum erat, Salomo, liberaliore, quo ferebatur, studio veniam quoque dederat externis Deos suos in regno colendi. Jam religio Mosaica non amplius sola est et unica civitatis religio; sed prope commune totius gentis sacrarium sacra fiunt in aliorum Deorum honorem; in ipsa urbis vicinitate, in monte Olivarum, fanum conditur, conditumque diu summa religione conservatur, Israelitae ad idololatriam propensi, ista quotidie cernunt; ad societatem sponte invitantur, conviviis nonnunquam intersunt, quae in idolorum honorem celebrantur, et hinc nascitur apud alios veteris religionis negligentia, apud alios idololatriae consortium. Luxus praeterea eos labe contaminaverat, mores emolliverat, fortitudinem apud plerosque exstinxerat, populum universum debilitaverat. Alio modo facilius divitias sibi comparantes, de agricultura ipsi non amplius tantopere solliciti erant, aliisque lubentius agros colendos tradebant. Mercatura, cujus beneficia abunde percipiebant, quae ab agricultura non quidem eos abalienaverat, sed potius ejus studium excitaverat, arctius tamen Israelitas inter et Phoenices praecipue, qui inprimis luxui dediti erant, vinculum contraxerant, ut uterque populus easdem fere virtutes eademque vitia communia haberet. Incultiores Hebraei Phoenicum mores imitantur, quo facto a patria consuetudine in dies magis magisque deficiunt, petulantia viget, verus patriae amor perit.

Atque hac ratione, labefactata religione, moribus deperditis, vinculum, quod Israelitarum civitatem constrictam tenebat, dissolutum fuit: quod ubi fiat, pessima quaeque expectanda sunt. Quibus accedit, quod ipse rex, luxuriae amans, mulierum voluntati deditus, omnia secundum ipsarum arbitrium peragere cupiat, neque aliter possit; commutatur imperium in tyrannidem, cujus jussa ex gynaeceo prodeunt, regisque dignitas cum apud exteros tum apud populares maximopere imminuitur. Ad tantam pompam sustinendam ingenti opus est pecunia: non sufficiunt maximi mercaturae reditus, tributa civibus imponuntur graviora, quod complures aegre ferunt. Exstincta pristina, qua regem prosequebantur, reverentia, gentes subjectae deficiunt; seditionem movent Edomitae; oritur regnum Damascenum, quod brevi accrescit. Neque tantum externis tumultibus debilitatur imperium, verum etiam internis discordiis concutitur (1). Mutua excitatur invidia; aemulatio, quae perpetuo tribus Judae et Ephraïmi a se invicem alienaverat, Davidis et Salomonis auctoritate diu suppressa erat; sed, flammae instar, quae, cineri obruta, tandem per fumum erumpit, nunc tanto vehementior exardet. Ipse Jerobeamus in tribules primus regnum affectare audet: re quidem palam facta, in Ægyptum profugit; non tamen conjuratio penitus exstinguitur. Mortuo Salomone, a tribulibus revocatus, Sichemum se convertit, ubi in populi comitiis deliberarent de rege instaurando. Rehabeamus, filius Salomonis, a Judaeis jam rex creatus, ut in dignitate sua confirmetur, a reliquis tribubus Sichemum

(1) Cf. cl. v. d. Palm. in *Salomone* ad Prov. XIII. 2. II p. 350 sqq. editionis novae.

arcessitur: imprudentior huc se convertit, neque populi querelas audiens, ferociter contra et superbe respondet. Israelitae Jerobeamum regem creant: tribus Judae Rehabeamo fidem servat, eique se adjungunt Benjaminitae; atque ita separatio confirmata est et exstiterunt duo regna, regnum Judae et Ephraimi, seu decem tribuum (1). —

§ V.

Regni Scissi historia, cum praecedenti historia Hebraeorum comparata ex eaque illustrata.

Quis est, qui deplorandam istam et miserandam populi divisionem perspiciat, qui non summo de hocce populo angore prematur, ea praevidens, quae inde oriunda sunt? docuit omnium gentium historia, ejusmodi totius gentis distractionem interitum ipsius properasse, saltem lapsu temporis effecisse. Quanta mala hinc proficisci, quantopere istiusmodi rerum conversio populum debilitare et penitus fere exstinguere possit, luculenta jam in ipsa Hebraeorum historia exempla ostendunt.

Invenimus post Sauli mortem Hebraeorum gentem in duo regna divisam; uni tribui Judae imperabat Davides, reliquis Sauli filius, Jsbosethus. Illius regnum hujus imperio multo infirmius: nondum gaudebat sapientibus Davidis et Salomonis institutis,

(1) Cf. I Reg. XI et XII. 2. Chron. X, et XI 1-4. cl. v. d. *Palm Bybel voor de jeugd* XII. 157. qq. *Erläuterung der Jüdischen Geschichte*, *Tubingae* 1824. § 84 et 85. p. 145. qq.

nondum tantam horum regum meritis in alias tribus auctoritatem et dignitatem consecutum erat : contra Philistaeorum bellis exhaustum et Sauli socordia debilitatum, cui Benjaminitarum tribus prae aliis curae fuerat. Sed magno incolarum numero frequentatum, finibus includebatur satis firmis, si modo rite defenderentur. Neque deerat Davidi exercitus, belli laboribus periculisve edoctus, et militiae peritissimus. — Alterum regnum conjunctis omnium viribus potentius quidem videbatur; at Philistaeos acerrimos habebat hostes, qui ad Jordanem usque ditiones suas extenderant : praeterea copiarum robore destitutum erat, quarum maxima et optima pars in proelio perierat, quo ipse Saulus caesus est. (1). —

Talis tunc erat populi divisio seditioni Jerobeami magnam partem similis. Quot bellis intestinis, quot civium discordiis, cuinam aemulationi ansam dederit, annales Hebraeorum testantur (2). Verum fuit ista separatio tantum septem annorum : proelio enim facto, ex quo Judaei victores evadunt, Davides, apud reliquas tribus majorem auctoritatem adeptus est (3), ac tandem Isbosethi ignavia, et Abneri perfidia, Davides omnium tribuum regnum accepit. Rebus igitur restitutis, nihil timendum amplius quis censeat : sed semina jacta erant dissidii, erupturi, simul atque rex esset, minus constans et propositi tenax, et partibus non deessent audaces

(1) Hess *Gesch. der Israeliten.* VII. 306.

(2) Cf. cl. v. d. Palm. *Byb. voor de jeugd.* X. 166. qq.

(3) Cf. I Chron. XII. 21.

et strenui belli duces. Atque sic jam evenit: novimus Rehabeamum, hominem inconstantem, superbum, varium, qui prudentia carebat, qua valebat Davides, qui ferocia efficere cupiebat, quae hic sollertia et clementia exsecutus est. Quo serior, eo gravior erat altera regni divisio, utroque tempore dixeris populum exitio plus quam maturum fuisse: Davidis aetate intus grassabantur discordiae, tunc omnium animos incendebat perniciosa aemulatio; jam his accedebat morum corcorruptio: tunc foras implacabile quidem erat vicinorum odium, non tamen timendum Hebraeis, adhuc virtute valentibus: jam luxuria fortitudinem fere exstinxerat; arma, si susciperent, avide arripiebant, ut summo in inimicos populares odio indulgerent, et ad haec perficienda non virtute indigebant, sed furor et aemulatio animos incitabat: hostes si antea aggrederentur, non discedebant, priusquam victoriam reportavissent; jam potius servi esse malebant hostium, quam periculum cum iis pugnandi facere. Quid plura? — Videmus in his omnibus lineamenta populi Hebraeorum, postquam denuo commune vinculum dilaceraverant. Discrimen videmus maximum inter haec et illa tempora: illis aderat Davides, his desiderabatur; tunc ille rem restituit, jam civitas labefactata ad interitum ruit. —

Non opus est ut haec aliis illustremus exemplis. Nota est Absalomi expeditio, nota Sebae (1), quae, si bene iis cesserant, rursus imperium divisum fuisset. Sed non is erat Absalomus, non is Seba, ut contra Davidem valerent: temerarii,

(1) Cf. 2. Sam. XX et cl. v. d. Palm. ll. XI. p. 207. qq.

consilii inopes, fide apud suos carentes, non pares erant heroum exercitui, cui Joabus praeerat : neque ad aptam maturitatem istae conjurationes pervenisse videntur. Jam vero seditionis auctor est Jerobeamus, audax, sollers, auctoritate valens et fide apud tribules suos fruens, atque is rex creatur, Rehabeami inimicissimus, summa ambitione, et aemulatione ductus : regnum tueri conatur, seque in eo constituere cupit. Ab altera parte idem studium viget, atque inde gravissima mala oriuntur.

§ VI.

Regnum scissum ansam dedit exitio utriusque regni.

Ex quo Hebraeorum gens divisa est in regnum Judae et Israelis, fieri aliter non potuit, quin, dum altera pars alteri imperare studeret, utraque imperium amitteret. Utrique regno id inprimis fuit perniciosum, quod commoda civilia divisa essent, et sibi repugnarent. Quibus accedebat discrimen religionis, quod, si constitutum sit, nihil majorem habet vim ad populum in dies magis magisque a se invicem abalienandum. Quorum specimen exhibet historia regni Romani, cum occidentis, tum orientis : quae videmus etiam confirmata apud Hebraeos; divisa utriusque commoda ne conjugiis quidem et foederibus, inter utriusque regiam familiam initis rursus reconciliari poterant : contra expectandum erat, ut unum regnum in alterius detrimentum cum exteris populis

faceret : utrique in fine aeque erat periculosum, sive alterum ab hostibus nimis premeretur, sive foederibus cum aliis factis alterum potentius evaderet : illud si obtineret, iidem illi hostes alteri aeque erant timendi, hoc si accidisset, aequalis in altero regno ratio, aequilibrium ut vocant, evanuisset (1).

Quam antea invisum fuerit reliquis Asiae populis in dies magis accrescens regnum Hebraeorum, videmus in Historia Davidis. Bellum tum exortum est gravissimum de principatu Asiae : nam non aliter considerandum est bellum Israelitas inter et regem Nesibenum, cum sociis et reliquis prorsus Asiae populis conjunctum (2); quod iterum postea renovatum est. Tum praevaluerunt Israelitae, quorum regni potentia tunc temporis maxima fuisse videtur. Scisso vero regno, non tantum amplius impar erat talibus hostibus, sed si quando vel Nesibenus rex, vel alius ipsi similis, tale moveret bellum, fieri aliter non posset, quin succumberet regnum utrumque, vel saltem alterutrum periret. — Orientalibus jam Davidis et Salomonis tempore tam invisum fuit et omnium orientalium aemulationem accendit, ut prohibendi occasionem avide eos apprehensuros esse expectare possent, quominus forte regnum rursus conjunctum conjunctis viribus iterum ad illud gloriae fastigium adscenderet, ad quod et regionis situ et terrae fertilitate adscendere potuisse, jam noverant.

(1) Cf. Hess. II. IX. 19. qq.
(2) Cf. Hess. II. VII. 475-478.

Atque ea observamus, si historiam et fata utriusque regni consideremus. Quod ut deinceps rite faciamus, age! conspiciamus:

I. Internam utriusque regni conditionem, ratione habita necessitudinis, quae utrique regno invicem intercedebat.

II. Transeamus ad externam regnorum conditionem, quae explicatur ex horum cum reliquis Asiae populis, tam vicinis quam remotioribus commercio.

Ac certe quoniam non profecto rogavistis, Viri clarissimi! nudam et ineptam causarum tantum enumerationem, id egimus, ut duabus hisce partibus et *internam* et *externam* regni utriusque *conditionem* considerantes, quaestionem solvamus, *quomodo fieri posset, ut regnum Judae diutius persisteret quam Israelis.*

PARS PRIOR.

INTERNA UTRIUSQUE REGNI CONDITIO, RATIONE HABITA NECESSITUDINIS, QUAE UTRIQUE REGNO INTERCEDEBAT.

AD internam utriusque regni conditionem bene perspiciendam attendamus:

I. Ad geographico-politicam,
II. Ad civilem, proprie sic dictam,
III. Ad moralem utriusque regni conditionem.

I. Primo capite explicabimus mutuam singularum partium, quibus utrumque regnum constabat, inter se cohaerentiam et conjunctionem, ratione habita terrarum situs et necessitudinis, quae tribubus intercesserit.

II. Secundo complectemur ea instituta, quae cum ad civitatem tum ad sacra pertinent.

III. Tertio morum conditionem aliaque quae huc referenda sunt, tractabimus. —

Ac jam transeamus ad geographico-politicam utriusque regni conditionem inquirendam: primum videamus de *Regno Israelis*.

CAPUT PRIMUM.

GEOGRAPHICO-POLITICA UTRIUSQUE REGNI CONDITIO.

§ I.

Regni Israelitici amplitudo.

Regno Israelis continebantur omnes tribus cis-Jordanenses, exceptis Judaeis et Benjaminitis : ad hoc referebantur quoque ditiones trans-Jordanenses, a duabus tribubus occupatae, et dimidia Manassitarum parte. Terminos habebat a meridie regnum Judaicum, ab occidente mare Mediterraneum, et partem Phœniciae, a Septentrione Phœniciam, regnum Hamathense et Damascenum : sed difficile est hic limites definire uti etiam ab oriente. Verum id tuto adsumere possumus, Euphratem ab hac parte ultimum plerumque terminum fuisse : montes enim Gileaditici non procul ab hoc flumine se extendisse videntur (1). Commode ipsum regnum Israelis in duas partes dividi potest, quarum altera a mari Mediterraneo ad Jordanem, altera hinc ad Euphratem extenditur. Utraque pars, quo melius regni conditionem perspiciamus, consideratione non indigna est. Ac primum videamus de tribubus trans-Jordanensibus.

(1) Cf. Michaelis Mosaisch. Regt. I. 20-25, inprimis p. 678. edit. Belgic.

§ II.

Utilitas, quam percipere possent Israelitae ex ditionum trans-Jordanensium possessione.

Tractus trans-Jordanenses, qui saepius communi terrae Gileaditicae nomine commemorantur, planities continebant amplissimas, quae ad Euphratem usque se exstendebant. Complectebatur quidem ea regio complura et vasta deserta, aliquoties tamen interrupta : nam interdum distinguebantur locis campestribus laetisque pascuis, quae valde opportuna erant ad greges alendos et nutriendos (1). Lana, quam his locis praebebant oves, erat praestantissima, omnesque ejus generis species tenuitate et longitudine superabat (2) et materia erat ad tractandum exquisitissima. Quibus rebus deserta, quae quis ceteroquin inutilia censeat, uberrimus divitiarum fons fuerunt. Luculenta in historia occurrunt exempla, ex quibus liquet, quam lucrosa fuerit lanae hujus permutatio, quantasque opes ex ea perceperint Israelitae (3).

Non minoris momenti est *vallis*, ut vocatur, *Jordanis* : intelliguntur hoc nomine loca huic flumini vicina. Regio erat fertilitate nobilissima : notum est balsamum illud egregium, quod ab his tractibus nomen accepit, Gileaditicum (4). Ur-

(1) Cf. Jahn Bibl. Archæol. I. 1 p. 77. qq.
(2) Cf. Heeren Ideen. I. 2 p. 133. qq.
(3) Cf. 2 Sam. XVII. 27. 29.
(4) Cf. Warnekros, *Joodsche Oudheden.* p. 268. q.

bibus praetera, florentissimis fuit repleta : celebratur Hebon, cujus piscinae laudantur, quarum memoriam Salomo aeternitati tradidit (1) : Jeremiae etiam tempore urbs Ammonitarum munitissima erat et vere primaria. Et quemnam latet Jabes, post primam eversionem colonia fortasse Benjaminitarum iterum restaurata et incolis frequentata (2)? quo facto diu, et quid mirum? cum ea tribu commercium habuit, ut sua commoda cum hac arctissime fuerint conjuncta. Saülus, veteris necessitudinis memor, eam a gravissima Ammonitarum obsidione liberavit, ab eoque inde tempore, fracta ipsorum potentia, omnium urbium princeps evasisse videtur. Hinc Davides, Saülo mortuo, huc legatos misit, qui Jabesiensibus, laudata eorum fortitudine et pietate erga Saülum praestita, ipsum a Judaeis regem creatum esse annunciarent : sperabat enim fore ut hac ratione, si praecipua trans-Jordanensium urbs ipsum regem agnovisset, reliquae urbes brevi hujus exemplum secuturae essent (3).

Interim magnopere accreverat tribuum trans-Jordanensium auctoritas et potentia; divitiis affluebant, et Philistaeorum incursionibus, qui tribus cis-Jordanenses toties vexabant, penitus inmunes erant. Non exiguam dignitatem adsecutae sunt inter reliquos Hebraeos, quum Isbosethus, Saüli filius, per septem annos urbem Mahanaïm regiam sibi elegisset, tractus certe amoenitate allectus : quorsum postea Davides quoque

(1) Cf. Canticum Canticor. VII. 4.
(2) Cf. Hess. Il. VII. 25 et 278.
(3) Cf. cl. v. d. Palm. *Bijbel voor de jeugd.* X. 160

se contulit, postquam Absalomus, Hierosolymis occupatis, regnum affectaverat. Itaque nobiles jam factae erant tribus trans-Jordanenses, quum ipsa Palaestina tumultibus graviter affligeretur. Quot vero emolumenta iis redundaverint ex felici et prospero Salomonis imperio, qui eas provincias minime neglexit, quisque sponte intelligit. — Est locus in deserto fertilissimus, aquis abundans, arenis inclusus, ac velut terris exemtus, hominum vero accedente labore, moenia consistunt, turres surgunt, aedificia conspiciuntur, est propugnaculum adversus nomadum impetus; huc catervae ex diversis regionibus coëunt, fit mercium receptaculum, mercaturae forum et — ecce! urbem adspicimus, conditoris ingenio, sapientia, et perspicuitate dignissimam: est Tadmor, à Salomone condita, a Graecis et Romanis Palmyra vocata: cujus rudera adhuc indicia sunt pristini splendoris, et tot specimina antiquae felicitatis summaeque prosperitatis (1). Quae quum ita sint, nemo est certe, quin statim concedat, utilitatem, quam perceperint Israelitae ex tractuum illorum possessione, maximam fuisse. Ac revera tribus, quae eas terras tenebant, uberrimos terrae, quam incolebant, fructus collegerunt. Neque sapiens Hebraeorum legislator, etiamsi non praeviderit, quanta incrementa postea illae regiones accepturae essent, tamen bona, quae hinc Israelitis redundarent, probe cognovit. Et quis eum temere egisse in iis regionibus occupandis suspicatur? Perspicuitate, qua valebat, profecto quoque intellexit, Hebraeos, si tenerent eos tractus, firmum habi-

(1) Volney, *Voyage en Egypte et en Syrie.* Tom, III. 1 qq.

turos esse propugnaculum adversus aliorum hostium impetus. Montium Gileaditicorum jugum si rite munitum et praesidiis fuisset instructum, duplex habuissent terrae munimentum : alterum Jordanem, alterum hanc montium seriem (1). Sed desiderabantur talia munimenta, desiderabatur populus, qui idoneus erat ad ea loca contra hostium impetus tuenda. Non ea eorum fuit indoles, quae ne regum quidem Israeliticorum opera adjuvabatur, qui, quum satis haberent ad ditiones cis-Jordanenses defendendas, tribus, trans flumen sitas, plerumque non curabant.

Sed dicat aliquis, ipsos earum regionum incolas solos aptos fuisse ad ditiones suas tuendas. Novimus omnino haec loca maximo incolarum numero fuisse frequentata. Sed quinam isti? — Manassitae, montosam plerumque regionem incolentes, ipsi quidem ferociores erant et ad belli pericula ineunda fortiores, verum maxima pars pecoribus alendis vacabat. Gaditarum indoles robusta, fortis, bellicosa, jam a Jacobo descripta, a Mose laudatur. Depinxit ille agmina ea, quae diversas in partes abeunt, ut rapinas quaerant (2) « Gratias », hic inquit, « apud Gaditas reportabit, qui ampla iis spatia relinquit; » ibi Leonis instar recumbat et brachia verticemque confrin- » gat (3). » Validos igitur dicas eos fuisse ad hostium invasiones reprimendas, firmum propugnaculum adversus Ammonitas, a quibus fluvio Jabboco tantum separabantur? firmius

(1) Cf. Hess. H. IV. 231.
(2) Cf. Gen. XLIX. 19.
(3) Cf. Deut. XXXIII. 20.

omnino quam Rubenitas contra Moabitas (1). Valor enim et potentia eorum populorum major fuit, quam plurimum plerique existimant, de quibus postea disputandi locus occurret. Rubenitae, ut reliqui, dediti erant vitae pastorali; parvo satis fluvio a Moabitis secernebantur. Gens fuit non bellica virtute pollens neque robore firma. Elegans profecto est Deborae illud, quo irridens, istos alloquitur. « Apud rivos », inquit, « o Rubenitae, consultationes permagnae fuerunt; quid sedistis inter » sarcinas ad gregum balatum audiendum? — Apud rivos, o » Rubenitae, deliberatio quidem maxima certe erat » (2).

Partim igitur incolae gregibus ditissimi, pecoribus alendis operam navabant, partim urbes incolebant, artibusque dediti erant: attamen vita pastoralis hic dominabatur, quemadmodum ab altera Jordanis parte agriculturae studium. Quis autem a pastoribus efflagitet, ut militiae inprimis operam dent? Strepitus belli ab ovium balatu abhorret, et officio se satis strenue functos fuisse existimabant, si pascua et greges adversus aliorum invasiones tuerentur. Cum ergo conditionem tribuum trans-Jordanensium universe consideremus, id apparet, Israeliticum imperium hinc ex terrae proventibus et aptissimo mercaturae terrarum situ majora commoda percipere potuisse, quam

(1) Attamen non adeo premenda videtur ea tribuum separatio a circumjacentibus populis per fluvios minores. Tribus trans-Jordanenses loca, fluvio vicina, fortasse plerumque tenuerunt, Ammonitae et Moabitae tractus terrae interiores; ita ut fluvius Jabbocus non adeo finis fuerit: quod confirmatur eorum relationibus, qui nuperrime ea loca visitarunt. Non tamen impediebat, quominus quoque Israelitae cum gregibus loca interiora peragrarent.

(2) Cf. cl. v. d. Palm. ad Jud. V. 15, 16.

ex incolarum fortitudine, quod manifesto apparebit, si attendemus ad detrimenta, quae acceperunt Israelitae ex ejus planitiei possessione. —

§ III.

Necessitudo tribuum trans-Jordanensium cum altera imperii parte.

Referebatur igitur tractus trans-Jordanensis ad imperium Israelis: atque ab altera regni parte non nisi flumine separabatur. Rem fortasse dicat aliquis non magni momenti! fuisset, si orientis eadem atque occidentis ratio esset. Flumina majora, si historiam orientalium inspiciamus, apud antiquiores plerumque alterum regnum ab altero secernunt et fines sunt, ab ipsa natura positi. Jordanem certe dixisses terminum regni Israelis. Tribus trans fluvium adeo separatae sunt a reliquis! Quod Moses jam praeviderat, qui institutis, quae omnibus tribubus erant communia, hujusmodi separationem impedire cupiebat (1). Ipsae tribus jam initio verebantur, ne tandem reliquae ab ipsis alienarentur, et commune vinculum solverent: hoc consilio aram exstruxerant in ripis Jordanis (2). Sed neque leges, neque instituta, neque arae efficere potuerunt, quominus a reliquarum socie-

(1) Cf. Hess. ll. V. 266. qq.
(2) Cf. Josua XXII.

tate discederent, ac paulatim separarentur. Quae ipsa locorum natura postulabat, historia luculenter docet; jam primum a ceteris Hebraeis differebant vitae genere : erant hi plerumque dediti agriculturae, illi gregibus alendis et nutriendis, et Nomadum more plerique per deserta vagabantur. Quod discrimen quam diversos mores reddat, non eget disputatione. Vidimus etiam hic agriculturam mores humaniores, vitam nomadicam illic ferociores fecisse. Ne igitur miremur conjunctionem inter tribus, flumine separatas, tam arctam numquam obtinuisse. Bella, si geruntur, ipsae solae perficiunt; sic Jeptha duce cum Ammonitis (1), et Sauli aetate cum Arabibus Hedsjariensibus, Ituraeis, Nasiensibus, et Nadabaeis, bella gesserunt gravissima (2). Reliquas Israelitas si vicini populi aggrederentur, ipsi trans-Jordanenses plerumque remanserunt et bello se subtraxerunt. — Ne una quidem earum tribuum adfuit bello cum Cananæeis duce Sisera (3), bello cum Benjaminitis (4) aliisque, in quorum relatione ne nominantur quidem : si contra intestinis discordiis tribus cis-Jordanenses agitentur, partium inferiorum saepius tutum refugium erat regio, trans flumen sita : ita Mephibosethus, et cum eo omnes Sauli posteri, post ejus mortem in his locis, tamquam abditi, habitabant : huc se conferebat Davides, ab Absalome fugatus; nam hujus conjurationis socii non fuisse videntur; eodem modo in posterum eorum fuit receptacu-

(1) Cf. Judicum XI.
(2) Cf. Michaelis ad 1 chron. V. 16 et 18-26.
(3) Cf. Judicum IV.
(4) Cf. Judicum XX.

lum, qui regum tyrannidem aegre ferebant; hinc Elia profectus est et prodiit coram populo et rege Achabo; huc refugit, quum vidisset mala sibi impendere (1). Sed quid plura? — Agnoscimus commoda tribuum, flumine disjunctarum, ceterarum commodis contraria plerumque fuisse (2). —

Verum id, quod separationem perfecerit, et in dies aluerit, erat aemulatio, inter utramque partem conspicua. Rubenis posteri juri exciderant primogeniturae, quod quanti fecerint orientales, est notissimum. Rubenitae hac injuria, immerito ipsis illata, ut putabant, infensi, non missam fecerunt occasionem, qua rursus sibi reliquarum tribuum principatum, si non integrum, tamen pro parte, sibi vindicarent. Hoc consilio, quum adhuc Israelitae commorarentur in deserto, Corachus conjurationem iniisset, ut dignitatem sacerdotalem Levitis reliquisque tribubus communem redderet, illi non defuerunt: eaque seditio eo periculosior fuit, quo audacior ipsa expeditio (3). Rubenitae igitur principes erant conspirationis, sperantes, fore ut hac ratione majorem auctoritatem inter reliquos Hebraeos nanciscerentur. Neque diffiteri possumus, quod et ipse Moses suspicatus esse videtur, eos majora molitos fuisse, quum veniam rogarent eas regiones incolendi (4). Hac ratione minus ipsis invidiosa foret reliquarum tribuum auctoritas: ita sibi

(1) Cf. 1 Reg. XVII. 1-6.
(2) Cf. cl. v. d. Palm. *Bybel voor de jeugd* XI. 173 q. Hess. ll. VIII. 38. q.
(3) Cf. cl. v. d. Palm. ad Num. XVI.
(4) Cf. Hess. ll. IV. 226. q.

propriam quamdam potestatem vindicare possent : quae quomodo ipsis cesserint, ob monumentorum penuriam dici nequit.

Aemulatio, ut prorsus exspectamus, accrescentibus omnium tribuum viribus, in bella ut nonnumquam erupit; neque desiderantur ista exempla. Manassitae, quos suspiceris commercium quoddam perpetuo habuisse cum altera tribus suae parte, tantopere contra a se invicem dissidebant, ut ipsum illud discrimen ansam dederit bello civili : quod quam grave fuerit, sponte intelligitur (1). Ipsa, quibus Ephraimitae bellum iis indixerunt verba, indicia sunt vehementissimi in eos odii, summi contemtus, maxime exacerbati animi : uno praelio 42,000 ex Ephraimitis caeduntur, et funesta ista clades specimen praebet, quid bella civilia valeant. Sed satis dictum existimamus de aemulatione : non enim credibile est eam dein fuisse exstinctam, potius vero post regnum scissum in dies auctam, quum cis-Jordanensium tribuum potentiam tantopere imminutam et infractam vidissent. Sapientissime igitur Jerobeamus urbem Penuël munimentis præsidiisque instruxit, quae, ad concursum duorum fluminum, Jordanis et Jabboci sita (2), non tantum aptum erat propugnaculum ad alias tribus coercendas, verum etiam tribus trans-Jordanenses sub imperio retinendas. Utrum ipsi et successoribus feliciter cesserit, an secus, non memorant Hebraeorum scriptores; regum Israelitarum circa has regiones incuria contrarium probare

(1) Cf. Judic. XII et Michaelis ad ✝ 4. Cl. v. d. Palm. II. VIII. 124.
(2) Cf. Michaelis 2 Reg. XII. 25 et Hamelsveld, *Aardryksk. des Bybels* III. 112. IV. 295.

videtur : et quid conjiciendum est ex scriptorum de hac populi parte silentio, nisi eas magis a reliquis tribubus separatas et Israelitarum regum imperio minus subactas fuisse. Nihil fere post regnum scissum de Rubenitis, nihil de Gaditis deinceps refertur; et Manassitae tantum occurrunt, quoniam in ipsorum regione bella nonnumquam gesta sunt.

Sed praeterea paucis exponi meretur de societate, quae tribus trans-Jordanenses invicem conjunxisse videtur. Relata a reliquis tribubus separatio huic ansam dedit, eaque ipsis eo gravior erat, quoniam ipsorum fines hostium impetu semper expositi erant. Quibus se non pares existimantes, unam rem fecerunt; et recte omnino conjunctis viribus se plus valere posse putabant. Apparet ea tribuum conjunctio jam inde, quod fines inter tribus indicare difficillimum sit : altera alterius incolebat urbes, ideoque inter se magis coaluerunt, quam aliae tribus : hinc saepius eadem urbs diversis tribubus addicitur (1). Praeterea eadem fere omnibus indoles, eadem vitae ratio, eadem omnibus commoda et detrimenta; in animo omnium animadvertimus consensum, omnes simul bella gerunt, omnes una a bellis abstinent. Quam potens fieri posset ea societas, intelligimus, si accrescentem harum tribuum auctoritatem perspiciamus : et quam periculosum fuisset Israelitis, si quando cum ipsis contendendi periculum facere voluissent.

(1) Cf. Hamelsveld II. III. 445 q.

§ IV.

Detrimenta, quae passi sunt Israelitae ex horum tractuum possessione, ratione habita vicinitatis finitimorum populorum.

Atque illae ditiones, quamquam regno Israelis non tantam utilitatem praebuerunt, tamen ad illud referendae sunt atque hoc detrimenta, quae inde oriebantur, perpeti debuit. Unicuique regno semper maximi est momenti certos fines eosque a vicinorum invasionibus tutos habere : non semper in eo imperii potentia quaerenda est, ut multas easque longinquas terras possideat : praesertim si opes et auxilia ipsi desint ad fines tuendos et hostium impetus arcendos. Vidimus utriusque rei exemplum in historia recentioris aevi : Hispani, Belgicas provincias tenentes, undique inclusi erant a Gallis, populo, cui ipsi non pares erant. Quibus quum resistere non possent, non tantum eas provincias amiserunt; sed suam potentiam maximopere infregerunt. Idem docet historia Israelitarum : pascua, quibus excellebat ditio trans-Jordanensis, quoniam non certi erant termini, etiam aliis patebant Nomadum gregibus, qui illam Arabiae partem peragrabant. Hinc quidem cum iis oriebatur commercium; sed quidnam est commercium cum Nomadibus ? — Bella, vexationes, incursiones, ipsis plerumque gratiora sunt, quam perpetua pax. Exemplum vidimus jam aetate Sauli (1); docerent alia, si accurata eorum temporum

(1) Cf. 1. Chron. V. 10. 18-22.

historia ad nostram notitiam pervenisset. Istos vero Nomades, nonnumquam cohibere potuerint urbes illae munitae quas, quamvis paucae memorentur, habebant iis praesertim in locis; quaeque mediis arenis circumdatae, et quasi exemtae, tamquam insulae ex desertis se extollebant (1). Dispositae illae urbes tractus quidem fertilitate, in quo sitae erant, nobiles fuerunt et catervarum itinere, quod per deserta tendebat, mercaturae receptacula facta sunt, non tamen invicem tam arcte cohaeserunt, ut aliae imperii partes.

Verum detrimenta, quae Israelitae perceperunt ex Nomadum vicinitate, nullius sunt momenti, si attendamus, Israelitas horum tractuum possessione proximos fuisse vicinos imperii ipsis infestissimi et tunc temporis potentissimi, Syriaci. Termini, quum non accurate definiti esse videantur, erant plerumque incerti : hoc ipsum jam ansam praebere poterat plurimis bellis, ut infra videbimus. Urbium munitarum propugnaculum optimum est praesidium ad hostium vicinorum incursiones reprimendas; quibus fere carebant Israelitae. Memoratur tantum Ramoth, urbs Gileaditica; ac laudabile est factum regis, qui eam munivit; sed alia desiderantur exempla. Syrorum imperium magnam Arabiae Petraeae partem complectebatur; quo factum est ut tractus Gileaditicus plerumque belli fuerit theatrum. Itaque non mirum sit, si tribus trans-Jordanenses, toties Syris subactas videamus. Sed quod maximum est, cum Israelitis tum Syris ipsis, latae illius planitiei possessio op-

(1) Hamelsveld ll. III. 447 qq. Hess. ll. IV 225 qq.

portunitatem dedit bello utrique regno exitioso : cui ignota est Thapsacus, urbs nobilissima, ad Euphratem sita et mercaturae studio nobilitata. Ibi erat vadum Euphratis, ubi catervae flumen transibant; eam tenebant Israelitae eamque retinere cupiebant : sed non potuerunt. Assyriorum regnum interea maxima incrementa acceperat, et ad Euphratem usque ditiones suas extenderat. Tribus trans-Jordanenses vel ipsae prima causa fuerunt belli, vel Thapsacus se cum Assyriis conciliavit, eorumque auxilium impetravit (1): Quidquid sit, id constat, regnum Israelis jam flumine tantum separatum fuisse a regno tam potenti. Assyrii imperium propagare cupientes, primum in eorum ditiones incidunt, primum illae tribus devincuntur, primum in captivitatem abducuntur.

Atque ea detrimenta passum regnum Israelis ex istius planitiei possessione : detrimenta, quae quodammodo expectari poterant, quum termini tam extensi essent, neque idoneis munimentis instructi; quae, etiamsi fuissent, non semper tamen praesidiis servari potuissent : tam tenues erant opes regni ut satis haberent, si terras cis flumen sitas, inter se continerent : quibus accedebant intestinae discordiae, tumultus, bella civilia, alia, ut postea videbimus.

Ne igitur temerariam sententiam professi esse videamur, si hujus partis possessionem consideremus tamquam primariam causam interitus Israelitarum : quin iis gratulati fuissemus, si eorum imperium Jordane inclusum fuisset.

(1) Cf. Munthinge, *Gesch. d. Menschh.* VIII. 310.

§ V.

Tribus cis-Jordanenses.

Altera regni Israelis pars complectebatur tribus cis-Jordanenses; ad quas referebantur Ephraimitae, Manassitae, Sebulonitae, Issascharitae, Aseritae et Naphtalienses; Danitae et Simeonitae partim erant Judaico partim Israelitico regno subjecti: nam non certas quasdam habuerunt ditiones, sed inter reliquas tribus dispersi habitabant.

Ephraimitae, qui perpetuo cum Judaeis omnium tribuum principes fuerant, et de principatu cum his contenderant, in novo regno princeps tribus censendi sunt. Nec mirum! scissi regni auctores erant primarii: primus rex ex iis creabatur: in ea tribu regia sedes primum collocabatur. Tribus Ephraimi ejusdem originis, cujus Manassitarum, cum hac quoque semper valde erat conjuncta: utriusque ditionis vicinitas eam necessitudinem alebat, ac tandem horum commoda eadem reddidit: neque umquam aemulatio aut invidia alteram ab altera alienasse tradunt; quod effecit, ut communi plerumque *Ephraimitarum* nomine nuncuparentur. Summa conjunctae utriusque tribus erat potentia, quae in dies magis magisque accreverat, et sub felici Salomonis imperio maxima sine dubio incrementa ceperat. Ea conjunctio Ephraimitis

a regni inde initio majoris vis et auctoritatis in reliquas tribus perpetuo causa fuit; quarum vestigia nonnulla in sequenti regni historia deprehendimus. Nam permansit regia sedes in alterutrius tribus ditione ad finem usque imperii: et potuisset haec auctoritas omnes reliquas tribus quodammodo coërcere; nisi ab altera parte earum aemulatio esset excitata; ita ut, quemadmodum antea se conjunxerant cum Ephraimitis ad Judaeorum fastum deprimendum, eodem modo nunc Ephraimitarum auctoritatem infringere conarentur. Notabilis enim est omnibus tribubus innata aemulatio, qua omnes se invicem prosequebantur. Eo tandem processit invidia, ut in bella eruperit cruentissima, quae in ea praesertim incidebant tempora, quibus anarchia omnia turbabantur: sed de his infra videbimus. Sint tantum nobis documenta, hanc etiam partem regni Israelis, quoniam pluribus, quam regnum Judaicum, constabat, partibus, minus etiam, quam hoc cohaesisse: nam opus est, ut quisque intelligit, ad eas partes continendas, vinculo, quod omnes connectat; quod cum desideretur, partes singulae necessario deficiunt, atque ita totum regni corpus dissolvitur.

Minime contemnendae sunt reliquae tribus, quae ad hanc partem pertinebant, sive attendamus ad regionis situm, sive ad incolarum indolem. In ditionibus, quas Naphtalienses, Sebulonitae, Aseritae incolebant, plurimi relicti erant Cananitae, quibuscum se conjunxerant. Praeterea ob locorum opportunitatem multis peregrinis fuerant frequentatae: cui rei ansam dedit

iter catervarum, quae ex Babylonia reduces, Phoenicen petebant, apud vadum Beth-Scheanis Jordanem trajiciebant et transibant per tribus Naphtaliensium et Sebulonitarum : quo factum est, ut haec regio Jesaiae tempore vocaretur *Galilaea Gentium* (1). Sebulonitis, Danitis, Aseritis, loca concessa erant mari adjacentia, in eodem tractu, quem habitabant Phoenices. Sebulonitis Jacobus (2) regionem designaverat navigationis opportunitate insignem, inter duo maria, Mediterraneum et Tiberiadis, sitam; regionem, urbium, tunc temporis nobilissimarum, vicinitate praeclaram. Ipsa haec opportunitas mercibus importandis et exportandis accommodatissima erat; quid mirum igitur, si Hebraei tradant, hanc tribum navigatione maxime inclaruisse? In his saltem iis fides non neganda videtur (3). Idemque de Danitis et Aseritis affirmari potuisse videtur. Fuit ergo ratio earum tribuum plane alia, quam Ephraimitarum et Manassitarum. Finitimas enim tribus sua quoque attulisse, vero simile est, ad eam mercaturam et navigationem alendam; quibus factum est, ut invicem mutua societate magis conjungerentur, earumque commoda eadem prorsus fierent. Quod inprimis constat de tribu Issascharis, Sebulonitis et Aseritis vicina, et apparet, si attendamus ad verba Jacobi (4). Quam

(1) Cf. cl. v. d. Palm et Rosenmullerus ad Jes. VIII, 23. Alii potius locum, ubi Jordanem transierint, paulo superius statuendum censent, apud Paneam prope fontem fluvii.

(2) Cf. Rosenmullerus ad Gen. XLIX, 13.

(3) Quemadmodum enim ex Jesaia liquet, prae ceteris septentrionales tribus celebrantur ob mercaturae studium, earumque terra, tamquam maximo incolarum numero frequentata : cf. Rosenmullerus ad Jes. IX, 2.

(4) Cf. ll. Gen. XLIX.

eleganter et ad orientalium mores accommodate hic Issascharitas comparat cum asino, corpore valido et robusto, qui intra terrae terminos recumbit et regionis jucunditate et fertilitate allectus, servitia praestare et onera portare mavult, quam alio procul proficisci! Animadvertimus in hac comparatione quaenam fuerit tribus indoles: quietis amans, a bello et periculosa navigatione abhorrens, asini instar malebat terrae colendae et deportandis mercibus, quae in suis finibus nascebantur, vacare, quam externis negotiis se immiscere. Eadem officia praestitisse videntur Naphtalienses, cum ipsum regionis situm consideremus; idque necessitudinis vinculum eas tribus arcte connectere poterat et debebat. His enim temporibus ob Phoeniciae vicinitatem fructus omnibus redundabant laetissimi, eoque plures, quo arctius cum hac gente conjunctum fuerit regnum Israelis. Magnum igitur impedimentum fuit mutua harum tribuum conjunctio nimis invalescenti Ephraimitarum auctoritati; ac maximum profecto, cum ad ipsam earum indolem accuratius attendamus. Non enim, velut aliquis forte existimet, hoc agriculturae et navigationis studium animos a fortitudine et belli peritia alienaverat; sed contra ex laudato Deborae carmine novimus, has fuisse bellicosas, firmas, robustas. Danitis quidem et Aseritis pax bello optatior erat, ita ut in navibus remanerent (Judicum V, 17); sed ex Sebulonitis laudantur illi, qui ducis insignia aliis praeferebant; celebrantur Issascharitae tamquam Baraci fulcrum, quorum auxilio adjutus, per planitiem Esdrelonensem volabat (℣ 15): Naphtalienses vitam morti quidem anteponebant, nisi victoriam reportassent. Ac quanta elici possunt ex posterioris temporis monumento

(1 Chron. XII) de earum tribuum indole! in quo singularum agmina recensentur ad bellum parata, armis bene instructa, ex quibus aliorum insignis prudentia (ẏ 32), aliorum armorum praestantia et jaculandi peritia (ẏ 84), aliorum aliae facultates et virtutes celebrantur? Novimus validum omnium robur, quod si conjunctum est, invictum, si dissolutum et contra se invicem adhibitum, perniciosissimum evadit.

Minus igitur tribus cis-Jordanenses, tam Ephraimitae quam reliquae, cohaesisse videntur. Sed existimet fortasse aliquis ab hac parte regnum Israelis ab hostium exterorum invasione tutius fuisse: ac revera Jordanes tribubus iis firmum erat propugnaculum contra eorum inpetum: quem trajicere difficillimum erat, et eo tempore, quo rivulis a montibus Libani defluentibus plusquam repletus erat, nemo poterat: fluxus praeterea est celerrimus, et flumen ubique latissimum. Tribus tantum locis, Hierichunte (1), Tiberiade, et Scythopoli eum transire poterat: ex quibus illum Achabus laudabili consilio munivit. Per vadum Tiberiadis saepius trajiciebant Syri, qui, Palæstinam invadentes, perpetuis depopulationibus bellisque regnum Israelis, discordiis exhaustum, vexarunt: quo factum est, ut non nisi raro regum Israelis imperio tribus septentrionales fuerint subjectæ. Haec effecit Syriae vicinitas; haec fuere mala, quibus numquam ea percipere potuit regnum, quae ceteroquin ex iis ditionibus percepisset: recte igitur a Jesaia tribus, quae his locis habitabant, vocantur po-

(1) Vel potius Gilgale: alii enim suspicantur, nec immerito, Hierichuntem a fluvio paululum fuisse remotam.

pulus, qui in tenebris vitam degit; earum terra regio umbrae mortis; earum messis abundans, praeda hostium; earum jugum gravissimum (1).

Atque tale flumen, quale Jordanes, si urbibus instructum fuisset munitissimis, quam difficile ad trajiciendum fuisset Syris aliisque populis, docet Historia Romanorum (2). Sed flumen carebat munimentis, idoneis saltem ad hostium impetum reprimendum. Tandem quoque Assyrios, quo minus in Palaestinam transirent, ne cohibere quidem potuit; qui, flumine transacto, Naphtalienses primum subigunt, quibus devictis, reliquis interitum parant.

Majora commoda redundabant in Israelitas ex possessione montis Libani; cujus altera pars, quae dicebatur *Libanus*, cedris obsita, erat Phoenicum; altera Israelitarum, quae vocabatur *Anti-Libanus* (3). Montium asperitas et latitudo certos et tutos reddebat a septentrione fines (4): impediverunt certe Syros, quominus ab hac parte invaderent. Nam adversus regnum Hamathi minus opus erat talibus terminis, si, ut credibile est, semper foedere conjunctum fuerit cum Israelitis, orto forte ex necessitudine, quae utrique regno cum Phoenicibus intercesserat.

(1) Cf. Rosenmullerus ad Jes. IX, 1-4. Cum in scholiis tum in additamento ad h. l.

(2) Cf. Jul. Caesar, de Bello Gallico I, 8 et 18, citatus apud Michael. Mos. Regt. I, 80. Cf. Hess ll. V, 66 qq.

(3) Cf. Bellermann, *Handbuch der Bibl. Litt.* IV, 371 qq.

(4) Cf. Michaelis Mos. Regt. I; 25. p. 93 qq.

Quantam utilitatem perceperint Israelitae ex Phoeniciae vicinitate, dici vix potest. Phoenices, instituto commercio, agriculturae non tantum profuerunt, sed ejus studium perpetuo etiam aluerunt: ipsi humaniores et artium peritia excellentes, Israelitas has docuerunt: quae omnia hos populos adeo invicem conjunxerunt, ut plerumque unus idemque fuisse videantur. Haec autem conjunctio, quam perniciosa fuerit Israelitarum morum integritati, postea videbimus: hic tantum observasse sufficiat.

Atque hic erat status regni Israelis, ratione habita amplitudinis et communis necessitudinis, quae singulis partibus invicem intercesserat: haec fuit, ut vocant geographico-politica ejus regni conditio. Profecto non profuit ea amplitudo huic regno, neque id erat internum regni robur, ut tam latos terminos tueri et omnes partes continere posset: hinc tanta mala, tot bella, discordiae; hinc denique prior regni interitus repetendus; quod luculentius insuper appareat, quum regni Judaici conditionem accuratius perspexerimus.

§ VI.

Amplitudo Regni Judaici.

Amplitudo Regni Judaici non tam lata fuit, quam regni Israelis: tertiam fere partem Rehabeamus sub imperio retinuit regni paterni. Verum, ut jam obiter vidimus, in regni latitudine non semper ejus est potentia: neque

semper opus est maximo apparatu ad maximas res perficiendas; exemplum habemus Phoenicum et majorum nostrorum : quod de regno Judaico etiam adfirmari postest. Non adeo inclaruerunt Judaei iis expeditionibus, quibus hi; sed docuerunt, populum, si unum idemque omnibus sit propositum, neque alii in alias partes abstrahantur, omnia perficere posse, et hostes devincere, quamvis multo potentiores videantur. Sive partes consideremus, quibus constabat regnum Judae, videmus has invicem arcte cohaesisse, et interno robore valuisse : sive attendamus ad ipsum regni situm et terminos, regnum Judaicum Israelitico multo potentius fuit et felicius, quippe minus expositum exterorum invasionibus et aptius ad suas ditiones tuendas.

Regnum Judae complectebatur duas tribus, *Judaeorum* et *Benjaminitarum;* referebatur ad hoc maxima etiam pars Simeonitarum et nunnullae Danitarum urbes. De singulis partibus videamus.

§ VII.

Tribus Judae. — Urbs Hierosolymorum. — Templum. — Templi Thesaurus.

Quum Israelitae in deserto adhuc commorarentur, tribus Judae cum iis, qui sub ejus vexillis militabant, jam tertiam partem complectebatur totius populi; et dimidiam fere sub Da-

vide (1); atque ditionem in terra Canaane acceperat amplissimam et pluribus locis fertilissimam (2): quibus eam auctoritatem jam antea habuerat, ut omnium reliquarum aemulationem et invidiam excitasset. Quo minus Saulus de tribu Judae sollicitus fuerat, eo magis Davides et Salomo, qui reliquas quidem curabant, sed omnium maxime Judaeos; hi inprimis fructus percipiebant et perpetuo perceperunt sapientiae et sollertiae utriusque regis. In hujus tribus finibus caput fuerat totius regni, in eoque inveniebatur sacrarium, universo populo commune. Huc omnes confluere solebant incolae Palestinae ad festa majora celebranda: hic erat mercaturae forum: quales conventus quantopere urbem nobilitent et divitiis augeant, Mecca adhuc testatur, Islamismi metropolis. Neque minora commoda hinc in Judaeos redundarunt: aulam tantum conspicias Salomonis splendidissimam, pompam magnificam, cujus alendae et sustentandae causa magnae perpetuo opes postulabantur, quas quaeque tribus vicissim praebebat.

Urbem regiam tenere, maximi esse momenti ei, qui principatum affectat, docent exempla, cum veterum tum recentiorum: caput omnes reliquas urbes nutu regit et ad ipsius arbitrium omnia geruntur; praeit, et, signo sublato, omnes sequuntur. Ac tale quid inprimis in oriente conspicuum. Verum in antiquioribus regnis aliud quid his insuper accedit,

(1) Cf. Hess ll. IV, 222. VIII, 100 qq.
(2) Cf. Hess ll. V, 194 qq.

quod in hodiernis non semper obtinet : est in illis metropolis non tantum rerum civilium caput, verum etiam religionis principatum tenet : Thebae, Memphis, Babylon, Persepolis ac Roma deinceps, specimina fuerunt ejus conjunctionis; eamque omnibus numeris absolutam deprehendimus in urbe Hierosolymarum.

Atque Hierosolyma quanta et qualis urbs fuerunt! Urbs sine dubio omnium tunc temporis in oriente nobilissima. Montibus imposita jam e longinquo tam latitudine quam splendore et magnificentia, omnium oculos alliciebat et quemque summa admiratione percellebat. Propius accedentes, jam statim agnoscimus urbem regiam regio conditore, eoque qui eam amplificavit, dignissimam. Murum et moenia lata videmus, in eam altitudinem educta, in eumque modum turribus ubique munita, ut pro ejus temporis ratione urbem invictam censeas (1). Mox urbem ingredientes aedificia cernimus, ita ornata et exstructa, ut totius populi prosperitatem indicent. Sed omnibus his aedificiis supereminet magnificum palatium.

Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis : (2) tam latum, ut hoc solum urbem dixeris. Splendidum vestibulum ducit ad primum atrium, undique circumdatum aedificiis, duabus vel tribus porticibus instructis; ubi principes, summi in civitate viri, aulici, ministri et famuli, duces co-

(1) Cf. Jahn. Bib. Arch. III. 246 sq.

(2) Virgil. Æn. VII, 170.

hortis praetoriae cum suis inveniuntur. Hinc per alterum vestibulum, altero multo magnificentius, ad regia conclavia accedimus : quorum alterum inservit habendis conventibus cum senatu regio; alterum Throno est insigne, auro splendenti et regio more ornato; alterum ad alia adhibetur regis officia. Ulterius procedentes, per portam magnificam, ad aliam palatii partem tendimus; est — Gynaeceum, in quo omnia non tantum auro et argento fulgent, sed gemmis aliisque pretiosis metallis splendent. Hic orientalium ingenium tantopere sibi indulsit, ut pene exhaustum videatur; sive ipsum aedificium, sive hortos conspiciamus, floribus, arborum serie, piscinis, balneis, aliisque deliciis distinctos et amoenitate jucundos : ubique luxus viget et summa magnificentia. Tale erat palatium a Salomone conditum (1). Verum jam ex longinquo aliud aedificium conspeximus, in monte alto situm; quod refert plane arcem munitissimam : nam muro ingenti est instructum, qui, e vallo profundo eductus in trecentarum ulnarum altitudinem, tam firmiter est constructus, ut temporum injuria ad hoc usque tempus post tot saecula penitus everti non potuerit.

Ipsum templum prae se ferebat speciem magnifici orientalium palatii, vestibulis, aulis, atriis, porticibusque eleganter ornati : porticus marmoreis columnis fulcitae erant et tres portae ingentes summo splendore eminebant. Ipsum templi aedificium paulo altius situm erat, quod totum ex marmore exstruc-

(1) Cf. cl. v. d. Palm. ll. XII, 126 qq. Hess ll. VIII, 352 qq.

tum fuit, cujus albedo, sole lacessita, oculorum aciem occaecabat. Pergentes, altiusque perpetuo tendentes, obviam fimus duabus columnis, tam artificiose et pretiose elaboratis, ut omnia ejusmodi artificia superare videantur. Positae sunt ante aliud aedificium, quod propter splendorem quemque percellit : — est locus sanctus, ut vocatur, quem intrare solis sacerdotibus licet : ulterius progredi aliis non conceditur; attamen sponte, in animum subit cogitatio, aliud adhuc sanctius esse adsitum : vocant hunc locum *sanctum sanctorum*, ad quem uni tantum, Pontifici Maximo, idque semel quotannis aditus patebat. Et quis est, etiamsi haec loca intus non conspexerit, quin in summam exspectationem adducatur, splendidioris apparatus, quem, qualis fuerit novimus ex Hebraeorum scriptis, quae ejus loci descriptionem exhibent (1). Sed quare diutius hic commoramur ? Locum novimus, universo populo sanctissimum, et libenter iis assentimur dicentibus, hunc aptum fuisse ad summos quosque in animis sensus alendos, dignum tali religione, qualem Israelitae profitebantur. Templum Judaeorum templis Phoenicum et Aegyptiorum multo erat elegantius, magnificentius, splendidius; et urbis Hierosolymorum nomen per totum orientem nobilissimum reddidit. Quam magni igitur fuit momenti regno Judae talem urbem in ditione sua habere! Hac ratione hujus regni nomen apud exteros perpetuo majus et celebrius erat, quam Israelis. Ea jam Salomonis aetate urbis erat fama, ut permulti principes huc tetenderint et longinqua susceperint itinera ad templum illud, palatia, et

(1) Cf. Hess ll. VIII, 306. qq. Cl. v. d. Palm. ll. XII, 96 qq. Jahn. ll. III, 256 qq.

reliqua opera conspicienda, quibus sub Davide et Salomone regia urbs ornata fuerat (1).

Verum aliam ob causam Judaeis profuit templi possessio. Templa Phoenicum, Graecorum, Romanorum novimus fuisse ditissima propter dona, et permultas res pretiosas, quae Deo, cui templum erat dedicatum, consecrabantur. Et quis est, cui non in mentem subit templum Delphicum, tam multis donis ditatum? Idem mox etiam obtinebat inter Hebraeos; jam Davides ingentes thesauros ex magna, quam de hostibus reportaverat, praeda templo aedificando destinaverat, iisque accumulandis non defuerunt Israelitae (2). Tum enim omnes maximas divitias jam sibi comparaverant ex bellis illis a Davide gestis, et ex mercatura, quae paulatim invalescebat. Templo condendo major quidem pars absumpta est; deinceps vero mirifice auctus est templi thesaurus. Sub felici Salomonis imperio populus ex agricultura reditus percipiebat maximos; cui accedebant majora mercaturae incrementa. Ipse rex hujus commercii auctor erat primarius, ex quo lucra maxima; et cum eo omnium fecit tribuum imprimis tribus regia. Rex splendide et pene profuse omnia perficiens, rebus sacris etiam non defuit; solennia sacrificia religiosi ejus animi clara sunt; documenta ejusque vestigiis populus ingrediebatur : quo modo opes sacrae mirifice in dies augebantur. In templi denique cavernis reconditi erant regii thesauri, id est aerarium publi-

(1) Cf. 1 Reg. V, 9-14. VII.
(2) Cf. Hess ll. VIII, 116 q. et 164.

cum. Multi quidem sumtus postulabantur ad regiam aulam sustentandam et alendam; sed his inserviebant ingentes reditus, ex mercatura percepti, et tributa cum Hebraeis ipsis, tum aliis populis, imposita (1).

Hunc amplissimum templi thesaurum cum templo, tamquam hereditate traditum, jam quoque regno Judaico contigerat. Fruebatur igitur maximis divitiis, quibus regnum Israelis prorsus carebat. Hoc etiam thesauro Judaeorum major apud exteros erat dignitas. Rehabeamus habebat Gynaeceum, satis splendidum; et his opibus instructus, filiis suis tales reditus concedere potuit, quos Chronicorum auctor mentione dignos censuit (2). Vidimus igitur jam in praesentia Judaeis maximi fuisse momenti templum intra fines suos habere; eoque major his in posterum fuit ejus utilitas, quo graviora detrimenta ex hujus desiderio orta sint regno Israelis.

Templum, quemadmodum antea totius gentis fuerat sacrarium, post scissionem utriusque regni manebat possessio. Omnibus tribubus simul sanctum in posterum esse oportebat ob monumenta antiquissima quae in eo reservabantur; monumenta toti populo aequalis pretii; monumenta, quae priorum temporum historiam patrumque memoriam in mentem revocabant. Reperiebatur ibi tabernaculum, ab ipso Mose constructum, vasa sacra, aliaque ejusmodi, quae Salomo Gibeone in templum de-

(1) Cf. cl. v. d. Palm. ll. XII, 136 qq.
(2) 2 Chron. XI, 18 qq.

ducenda curaverat; sed omnium praestantissima erat Arca foederis cum duabus legis tabulis; documenta, quae quisque profecto, cum propter antiquitatem, tum ob gravitatem, nobilissima existimet, ac praecipue populo tam antiquo, populo orientali. —

Templum, si alio loco conditum fuisset, de ejus possessione permulta et gravissima bella sine dubio gesta fuissent; cujus exempla in historia Graecorum non desiderantur. Sed jam in ipsa regia urbe positum, non metus erat, ne Israelitae hoc sibi vindicare studerent. Forte quidem inservire potuisset ad regnum utrumque rursus sibi conciliandum. Templum Herculis Tyrii, communis totius reipublicae Phoenicum, coloniarum etiam erat possessio : Deum muneribus, sacrificiis, perpetuo prosequebantur honore : ita quoque Jovis templum apud Romanos totius civitatis, ut vocant, centrum fuit : ita Graeci, quamvis ceteroquin alii in alias partes abirent, conjungebant se apud templum Jovis Olympii; ibique non Atheniensium neo Lacedaemoniorum, sed Graecorum nomen, omnibus commune, omnes constrinxit. Apud Hebraeos respublica etiam in religione fundata erat; commune omnibus templum, communia omnibus fuere festa. Hoc igitur vinculum omnium arctissimum dixeris, quod utrumque regnum adhuc conjungebat, et perpetuo conjunctum tenuit, vinculum religionis.

Templum igitur et urbs regia regno Judaico pluris erant pretii, quam latissima regio; pluris erant, quam multae insuper aliae tribus. Templum apud Judaeos Jehovae cultus fulcrum erat validissimum, etiamsi aliunde aliorum deorum

cultus introduceretur: refugium erat et mansit tutum omnibus, qui Jehovae cultui erant addicti; quibus regnum Judae incrementa accepit insignia!

Quae cum ita sint, hoc regnum, tribum Judae et cum ea regiam urbem et templum et sacrum thesaurum universumque sacrorum apparatum tenens, optimam profecto regni Salomonis partem complectebatur.

§ VIII.

Tribus Benjaminitarum, Simeonitarum, aliae.

Regnum Judaicum jam satis firmum fuisset, etiamsi una Judae tribu constitisset, cum propter amplissimam ditionem et permagnam incolarum numerum, tum propter urbem regiam et templum: quibus accedebant peculiaria quaedam beneficia, a regibus, Davide et Salomone, in Judaeos prae reliquis collata. Verum aliae tribus insuper huic regno annumerandae sunt: ac primum quidem *Benjaminitarum*. Acceperat haec tribus terram non adeo magnam, sed urbibus, vicisque frequentatam, quae magni aestimari meretur propter soli fertilitatem: quod apparet ex Josepho, qui prae aliis tribuum ditionibus hanc regionem celebravit (1). Tribus Ben-

(1) Cf. v. c. Josephus Antiq. Jud. V, 22: Στενότατος δὲ ὁ κλῆρος οὗτος ἦν διὰ τὴν τῆς γῆς ἀρετήν.

jaminis pertinebat non quidem ad potentiores, minime quoque ad inferiores; sed inter tribus secundae classis prima merito recensebatur (1). Novimus ex Hebraeorum historia Benjaminitarum ingenium fuisse audax, bellicosum, pertinax: Funditores laudantur egregii, qui utraque manu jaculari solebant, idque accuratissime (2). Rei militaris peritia freti, tam audaces et potentes evaserunt, ut bellum aliquando suscipere ausi sint contra reliquas tribus, conjunctis viribus unitas; bis harum copias clade affecerunt maxima, et tertia vice demum insidiis decepti, majori reliquarum potentiae cedere cogebantur, quo facto magna strages edita est, qua tota fere tribus interiit. Non amplius quam sexcenti viri supererant, omnibus reliquis fere trucidatis; nam eo processit omnium exacerbatus animus, ut ne mulieribus quidem et infantibus parcerent. Verum ex hac clade, quam lethalem dixeris, animos tamen receperunt Benjaminitae (3). Tempore Judicum, (nam haud ita multo post Palaestinae expugnationem hoc bellum accidit) civium numero tribus mirifice accrevit ejusque nomen non tantum restitutum est, verum etiam apud reliquas nobilitatum. Primus rex, Saulus, erat Benjaminita, qui regiam sedem Gibeae posuit, urbe hujus tribus munitissima: in cujus vicinia oppido, quod Nob vocatur, inter urbes sacerdotales primum fere locum concessit: erat enim hic tunc temporis tabernaculum, hic habitabat Pontifex maximus, hic

(1) Cf. Hess ll. V, 218.
(2) Cf. 1 Chron. XII, 2.
(3) Cf. Jud. XX et XXI, Hess ll. IV, 50 qq.

edebantur oracula (1). Haec omnia debebant Benjaminitae peculiari curae, qua rex tribules suos prae ceteris prosequebatur. Tribus hac ratione mirifice aucta, ditata et amplificata, apud reliquas majorem auctoritatem et dignitatem consecuta est. Davides utriusque tribus commoda arctius inter se constrinxit: urbs regia in finibus utriusque Judae et Benjaminis ditionis sita erat: bona, quae inde redundabant, cum Benjaminitis tum Judaeis erant communia. Non igitur defuerunt Davidi post tumultum, ab Absalomo motum, in pristinam dignitatem restituendo: miserunt ter mille principes viros, legationem profecto, quae tribus hoc tempore potentiam indicet; praesertim, si animadvertimus plurimos adhuc Sauli familiae addictos fuisse (2). Cum Judaeis sub Salomone fruebantur inprimis fructibus laetissimis, qui ex sapienti et felici ejus imperio percipiebantur. Maximi igitur fuit momenti regno Judae hujus tribus possessio. Initio quidem statim post regnum scissum urbes nonnullae regni erant Israelis, ut Bethel, Rama, Hiericho (3): quae mox jam erant Judaeorum, jam Israelitarum; verum major pars tribus pertinebat ad regnum Judaicum.

Praeterea ad hoc referendi sunt *Simeonitae*, plurimi saltem; haec tribus tempore commorationis Israelitarum in deserto civium numero minima erat et omnium maxime infirma (4): his igitur concessae erant urbes nonnullae per Judaeorum tribum

(1) Cf. Hess ll. VII, 151.
(2) Cf. 1 Chron. XII, 29.
(3) Cf. 1 Reg. XII, 26. XV, 17. XVI, 34.
(4) Cf. Hess ll. V, 219.

dispersae, quod effecit, ut inter utramque arctior necessitudo intercederet. Hujusmodi exemplum reperimus haud ita multo post terrrae expugnationem (1). Plerique ex Simeonitis vitam agebant pastoralem, et ditiones suas extendebant per deserta Arabiae, a meridie Palaestinae sita, loca pecoribus pascendis aptissima. Qui ex Judaeis pecorum studio operam navabant, hic cum Simeonitis se conjungebant (2). Ex alia Simeonitarum parte, quae habitabat inter Israelitas, plurimi sub Asae regno ad Judaeos se contulisse videntur (3).

Verum minoris pretii fortasse quis existimet regno, si talem tribum, eamque pastoralem, subjectam sibi habeat: sed immerito. Utilitas, quam ex pastorum opere et labore percipere possit, non est exigua. Vidimus apud tribus trans-Jordanenses, idemque de Simeonitis affirmari potest. Maximum contra hujus tribus possessio Judaici regni incrementum dici meretur, cum attendimus ad populi indolem. Videtur fuisse bellicosa, ferox, agrestis. Non quidem prohibere potuerunt, quominus aliquando Arabum agmina impetus in regnum facerent, et incursionibus suis omnia devastarent: sed ostenderunt, se conjunctis viribus etiam plurimum valere, seque hos opprimere posse. Sub regno Hiskiae Amalecitas penitus devicerunt, et ex regionis suae finibus Nomades ejecerunt, ut securi et tuti habitarent et greges longe lateque pascerent (4). Haec victoria ipsis non

(1) Cf. Jud. I.
(2) Cf. Hess ll. VII, 211, ubi Nabal exempli loco inserviat.
(3) Cf. 2 Chron. XV, 8. 9.
(4) Cf. 1 Chron. IV, 24 et 43. Egregium profecto est monumentum, quod hoc factum, aliasque ejusmodi Simeonitarum res gestas memoriae tradidit.

tantum in praesentia salutaris fuit, sed etiam in posterum! Tantopere floruit tribus, tamque potens evasit! Post expugnata a Chaldaeis Hierosolyma videntur Simeonitae in ditione sua fuisse relicti, neque eam calamitatem perpessi, quae omnes simul afflixit.

Denique pars *Danitarum* pertinebat ad ditionem Judaeorum: quod inde colligimus, quod inter urbes, quas Rehabeamus munivit, etiam Danitarum memorentur (1).

Diversae hae partes regni Judaici, ut quisque jam perspicit, maxime inter se cohaerebant; erat tamquam una tribus potentissima, cujus commoda erant eadem, cujus vis interna firma et valida. Ab hac parte regnum Judae potentius fuit, quam Israelis: et quamvis Israelitico minus, unanimo consensu facile defendi poterat.

Neque incolarum numerus tam diversus fuit, praesertim quum his tribubus etiam annumeremus *Levitarum*, qui omnes dein ad Judaeos se contulerunt: quod maximi Judaeorum intererat, sive numeri sive eruditionis rationem habeamus, quae penes eos, tamquam sacerdotum familiam, recondita erat (2)! Denique si reputemus primam migrationem Israelitarum, quae accidit paulo post scissionem (3), alteramve, quae obtinuit sub Asae imperio (4): atque his si omnium

(1) Cf. 2 Chron. XI, 10, collatus cum Jos. XIX, 41 et 42. Hamelsveld ll. IV, 286.
(2) Cf. Jahn. ll. II, 1. p. 161.
(3) Cf. 2 Chron. XI, 16. 17. Michaelis ad h. l.
(4) Cf. 2 Chron. XV, 8 9.

eorum annumeremus secessum, qui, regno Israelis relicto, cum religionis causa tum propter perpetuos tumultus, in regnum Judaicum se receperunt, ubi tutum refugium se reperturos esse arbitrabantur, videmus incolarum numerum non magnopere diversum fuisse. Hisce ratiociniis inductus, accurate scripsit Chronicorum auctor, Rehabeamum imperasse Judaeis, Benjaminitis et *omnibus Israelitis, qui inter eos versabantur* (1). Haec significavit Regum scriptor, cum praeter reliquos etiam diserte meminit *reliquam populi partem*, quam Rehabeamus sub imperio habebat (2).

Itaque regnum Judaicum incolarum frequentia fere simile, interna vi omniumque partium cohaerentia regno Israelis multo erat potentius, et ut jam videbimus terrae situ hoc multo felicius.

§ IX.

Regnum Judae terrae situ multo felicius erat regno Israelis.

Regni Judaici situm considerantibus multo felicius apparet quam Israeliticum. Ingens moles, quae huic sustentanda et continenda erat, illud non premebat. Finibus praeterea inclusum erat firmis et satis tutis: ab oriente habebat Mare mortuum, ab occidente Mediterraneum, a meridie montes Seiris, vastum propugnaculum, Arabum impetus et violentiae oppositum.

(1) Cf. 2 Chron. XI, 3.
(2) Cf. 1 Reg. XII, 24.

Fines, jam natura tutiores, urbibus munivit Rehabeamus. Non erant quidem apti ad Sisaci impetum cohibendum, sed talis excercitus quomodo comprimi possit, et praesertim a populo, jam diu a bello desueto! Maxima damna regno Judae timenda erant ex vicinitate Aegypti: desertum enim, quod eam regionem a Palaestina secernit, numquam excercitum deterruit, in cujus historia multa exempla prostant. Verum, quod antea nemo praevidere potuisset, post mortem Sisaci Aegyptus internis perpetuo tumultibus ita agitata est, et hostium vexationibus adeo exhausta, ut reliquas circumjacentes gentes minus curarent, et minime quidem bellis infestarent. Tandem demum, quum Psammetichus totius Aegypti imperium adeptus esset, ejusque faciem commutavisset; in Judaeorum historia maximas partes egit, postquam regnum Israelis jam erat eversum.

Philistaei etiam vicini erant Judaeorum et habitassent in medio regno Judae, nisi montium jugum utrumque populum separasset. Jam vero erant tributarii et Judaeorum imperio diu subjecti fuerunt : unde videmus quam firma interna regni Judaici vis fuerit et efficacia, qua imminuta, etiam illi defecerunt.

A septentrione fines plerumque erant incerti, eosque belli fortuna protulit et reposuit. Terminum habebat regnum Israelis, quod Judaeis valde profuit. A septentrione hostium impetus maxime erant timendi; hinc Syri, dein Assyrii Palaestinam aggressi sunt : contra horum igitur impetus jam firmum habebat propugnaculum, regnum Israelis; hoc vero everso

munimento carebat : quo facto Judaei etiam succubuerunt adventantibus populorum agminibus, quae ex septentrione veniebant. Tum Babylonii statim obvii facti sunt regno Judae, quod deinceps ad se ipsum tuendum non amplius satis validum, eadem, qua regnum Israelis fortuna usus est. Idem accedit regno Romano in oriente : Romanorum imperium in occidente jam diu Barbarorum impetu interierat, quum alterum in oriente adhuc floreret. Merito igitur hujus rei causam inde repetit Montesquivius, quod Barbari, qui in ripis Danubii ad civitatum formam redacti erant, Graecis inservirent propugnaculo adversus aliorum Barbarorum impetus (1).

§ X.

Utriusque regni provinciae vel regiones subjectae et tributariae.

Regnum Judae plurimas ob causas jam statim post scissionem multo potentius erat quam Israelis, et in posterum fuit propter majorem singularum partium necessitudinem, cujus non nisi umbram vidimus in regno Israelis. Ne vero quis censeat hoc regnum potentius fuisse propter regiones subjectas, quas Davides devicerat, et Israelitae jam in potestate retinuerunt, provinciarum rationem paucis illustremus.

(1) Cf. *De la grandeur et decadence, etc.* cap. 23.

Non exiguum saepius incrementum est, si qua civitas tributarios sibi habeat populos et praesertim, si fidos eos socios inveniat, quae quantopere ipsam civitatis potentiam augeant, docent Aegyptii, docent Romani et egregium semper erit exemplum Masinissae, qui, fide Romanis data, iis auxilia non destitit, in bellis gerendis.

Israelitis subjecti erant Ammonitae, Moabitae, et ditiones Nisibeno-Hamathenses; Judaeis, Philistaei et Edomitae. Ne vero quis cogitet, quomodo fieri potuerit, ut Hebraei, qui jam regni sciscione tantam potentiae jacturam passi erant, hos populos sibi tributarios retinuerint, obiter attingamus normam, qua utebantur in populis devictis subigendis. His concedebant suis regibus, si modo tributum penderent, suis legibus, suisque sacris uti. Aliam rationem sequebantur Syri sub Antiocho Epiphane, qui, ut unam eandemque religionem per totum regnum introduceret, inter alios Judaeos quoque sacra Graecorum recipere cogebat. Idem fecerunt Christiani post regni Romani in occidente eversionem : idem Moslemi in populis devincendis : Hebraeorum vero ingenium superbum, contumax, intolerabilis fastus, quibus se exteris tam invisos, tamque odiosos reddiderunt, non ferebant, ut suam religionem devictis traderent, quos omnes se inferiores considerabant. Putabant eos esse indignos, qui fruerentur iis praerogativis, quibus se ab ipso Jehova donatos esse gloriabantur, quare et filios Jehovae ipsi se nominare solebant. Populi subacti, si tributum modo penderent, ceteroquin cum dominis nihil fere commune habebant : idque saepius neglexerunt, quum vidis-

sent ex hoc neglectu nihil mali sibi esse consecuturum. Si autem fieret aliquando, ut justo gravius contra pactum premerentur, ipsi se saepius tuebantur neque missam fecerunt deficiendi occasionem.

Quod attinet ad utilitatem, quam perceperunt ex populis tributariis, non tanta existimanda est, quantam alii populi hinc acceperunt. Odium infestissimum, quod omnes una Hebraeorum vicinos incitabat, hos perpetuo ab illis alienavit. Fidos belli socios eos numquam habuissent, nisi interdum inveterata aemulatio communibus, quas gerebant, rebus suppressa fuisset. Edomitae autem Judaeorum fidi belli socii fuisse memorantur; verum ejusmodi quid de reliquis non dicitur.

Si populos consideremus, quos regnum Israelis tributarios habuit, etiam hic videbimus, regno Judae hoc fuisse inferius, quoniam minus ipsi profuerunt; quod apparet, si utriusque regni provinciarum situm comparamus. De singulis populis tantum, universum id dicemus, quod ad quaestionem, quam jam tractamus, attinet; deinceps de his uberius loquendi occasio recurret.

Fines regni Israelis erant ejusmodi, ut aptum cum provinciis commercium intercluderent; quas igitur subactas tenere difficilius erat; quo facto utilitas, quam ex iis perceperunt, non magna fuit. Ex Moabitis tantum et Ammonitis regnum Israelis sperare poterat, fore, ut aliquid commodi acciperet. Verum et hae provinciae sitae erant in ditione trans-Jordanensi; qui-

buscum vadum tantum Hierichuntinum commercium quodammodo sustinere posset.

A septentrione Libani jugum regno ab ipsa natura finis fuit constitutus, ita ut ex provinciis, ab altera parte sitis, minora per se emolumenta percipere posset. Neque facile erat eas tueri: et vero simile est Syros potius ditiones Nesibeno-Hamathenses plerumque tenuisse; unde eorum regnum tam potens evadere potuit. Quod eo majore fide dignum videtur legentibus, Jerobeamum II, expugnata demum Damasco, inter alias terras, quas Syri Israelitis ademerant, has regiones rursus recuperae.

Aliter plane judicandum est de populis, Judaeis tributariis. Philistaeorum terram natura fecerat partem regni Judaici. Regio erat mercaturae valde opportuna, urbibus florentissimis consita, ab incolis frequentata, qui artium peritia nobilitati fuerunt. A Strabone laudantur populus, qui, ut Syri agriculturam et Phoenicum instar mercaturam fecerint (1). Philistaei si hostiliter agerent, talis vicinia Judaeis eo molestior erat; sed, quemadmodum postea videbimus, tunc temporis maxime debilitati erant, nec amplius ea auxilia acceperunt, quibus olim tam potentes evaserant. Facile contra fuit Judaeis, ea, qua jam valebant, potentia fruentibus, Philistaeos sibi tributarios retinere: quod eo luculentius patet attendentibus, quantopere regnum Judaicum afflixerint, quum hoc ipsum

(1) Cf. Hess ll. VIII, 283 qq.

infirmius factum fuisset, et quantopere tunc adhuc valuerint, si modo ab Edomitis aliisque adjuvarentur.

Idumaeorum terra montibus quidem Seiriticis natura ipsa a regno Judaico separata fuit; sed ab altera parte Judaeorum possessiones, ut supra demonstratum est, etiam magnam Arabiae Petraeae partem complectebantur. His locis aliquando urbem possederunt munitissimam, Petram. Praeterea utrumque regnum situm erat inter duo maria, Mediterraneum et sinum Arabicum, quod effecit, ut alterum altero perpetuo indigeret. Mercatura erat commune utriusque vinculum : eadem necessitudo utrique terrae intercedebat. Petra mercium, quae ex utraque regione non tantum, sed ex Aegypto etiam aliisque terris huc deferebantur, fiebat receptaculum (1). Elath urbs Edomaeorum maritima, colonia Judaeorum frequentata fuisse videtur (2) : et egregium profecto utriusque gentis commercii monumentum sunt rudera viae stratae vel munitae, quae Hierosolymis inde ad hunc Arabiae portum extendebatur, et trans montes et per valles tendebat. (3). Non igitur mirum est, Edomitas tamdiu non tantum tributarios, verum etiam fidos fuisse socios. Hac mercatura totum florebat regnum; omnium vero urbium imprimis Hierosolyma. Videtur ergo regnum Judaicum ab hac parte etiam superius fuisse regno Israelis : praebebant tributarii populi ipsi majorem vim et efficaciam, sustentabant et alebant regni vires, erant perpetuus

(1) Cf. Heeren Ideen I Th. 2 Afd. p. 119.
(2) Cf. 2 Reg. XVI, 6.
(3) Cf. *Büsching Erdbeschr. Asiens.* p. 120, citatus ab Hamelsveldio ll. III, 375 qq.

fons felicitatis et prosperitatis. Multo major erat utilitas, quam Judaei perceperunt ex horum tractuum possessione, quam Israelitarum incrementa ex arctiore cum Phoenicibus foedere. Fuit quidem haec regio his quoque divitiarum fons, sed etiam moribus corrumpendis opportunitatem dedit : qua tabe Philistaea et Idumaea, quae tantum regiones erant tributariae, Judaeos minus contaminare potuerint. Si damna et detrimenta probe perspexerimus, quisque nobiscum consentiet, Phoeniciae vicinitatem Israelitis summopere nocuisse, eosque neque ex ditionum Nesibeno-Hamathensium, neque ex Moabitidis neque ex Ammonitidis possessione tantam percepisse utilitatem, quantam Judaei ex ipsorum in Philistaeam et Idumaeam dominio.

Jam fortasse aliquis cogitet, novum illud regnum sapientibus institutis confirmatum fuisse, et regum prudentia ita administratum, ut dignam aemulam se praestiterit regno Judaico : quo facto, emolumentis, quibus illi jam initio fruebantur, edocti, consilio et fortitudine eadem, saltem ejusmodi, sibi vindicare conati sint. Atque haec nos ducunt ad alteram quaestionem, quae pertinet ad *civilem conditionem*. Hoc enim nomine intelligimus *instituta* cum *civilia* tum *sacra*, quae ad Religionem pertinent, in antiquioribus regnis arcte connexa : quibus innititur cujusque civitatis fundamentum ; ex quibus oritur cujusque reipublicae salus, efficacia, firmitas, integritas, et perduratio.

CAPUT SECUNDUM.

CIVILIS UTRIUSQUE REGNI CONDITIO.

§ XI.

Instituta Jerobeami.

RECTE Montesquivius in cujusque civitatis, inquit, primordiis principes reipublicae institutorum civitatis sunt auctores, et deinceps instituta ipsa principes conformant (1).

Roma initio bonis et praeclaris optimorum regum institutis confirmata erat, atque haec ipsa instituta deinceps Romanos constituerunt talem populum, quem sequentia saecula perpetuo admirantur. Apud Hebraeos Davides et Salomo bonis institutis Remp. constituerant, ad quorum normam omnes sequentes reges cum illis comparantur. Idem obtinuit apud Israelitas: Jerobeamus, primus regni conditor, suis institutis regnum confirmare conabatur, quorum ratione habita, de omnibus, qui ipsi successerunt, Hebraeorum scriptore judicium ferunt. Maximi igitur est momenti, Jerobeami instituta accuratius perpendere, et considerare, utrum regno Israelis profuerint an nocuerint. Postquam Israelitae a Rehabeamo defecerant, initio apud eos seditio et anarchia omnia tumultu solvere minita-

(1) Ll. Chapitre I, pag. 3.

bantur; omnia confusa, permixta, turbata. Ex tumultu regnum ortum est Israelis : infelix profecto omen ! quisque nunc praevidet, ejus fundamenta vel esse nulla, vel certe labentia, facile everti potuisse; nam quid seditiosa multitudo, cujusdam hominis ambitione excitata, valeat, non indiget quaestione; regnum, ex tumultu ortum, tumultu iterum interiturum esse, dixeris. Deceptus populus, quum animadvertit, se a proditore esse captum, eum aeque libenter, furore agitatus, deludit, eodemque studio alium sequitur. Ea erat conditio populi Israelitici post regnum scissum. Jerobeamus consilia sua sapienter celat, satis callide discedit, nihil se moliri simulans, et interim se ipse regem creari studet : astutia ingenio Jerobeami digna! Seditionis auctor a populo solenni conventu rex constituitur. Regnum igitur novum ortum erat, cui rex quidam praeerat; sed jam adhuc deerant in nova civitate leges, sacra, regia, alia. Primum, quod regi faciendum erat, fuit, regnum suum perturbatum sedare, in eoque se confirmare : itaque regiam sibi elegit urbem tribus suae principem et caput, Sichemum, jam ab antiquis temporibus, rebus, quae ibi acciderant, tam nobilem, quam famosam; eamque muniit, et sine dubio ornavit (1). Thirsam, urbem vicinam, amoenitate regionis insigni, ubi initio interdum commoratus esse videtur, dein tandem regiam sibi elegerunt Baeza, et qui ipsi successerunt (2). Omri, urbe devastata, et palatio everso, regis sedem traduxit in montem cujusdam Israelitae, Schomeri, ut vocant, in eoque urbem condidit,

(1) Cf. 1 Reg. XII, 25.
(2) Cf. Hess ll. IX, p. 85. Hamelsveld ll. III, p. 232.

eamque munivit, et exornavit, quam Samariam nuncupabat (1). Tum demum quandam firmitatem accepit regnum Israelis; nam ab eo inde tempore ad regni usque eversionem haec regia mansit: quam magni enim sit momenti regno, regiam habere fixam et constitutam, ex iis, quae de Hierosolymis disputavimus, liquet: e habita ratione, de regia regni conditione judicatur, atque tale quid Israelis regno demum his temporibus contigit. Haec inconstantia jam magis nocuit, quam plerumque videtur; cum Hierosolyma jam antiquitate venerationem cuique injicerent, tum demum urbs condita est regia, quae aliquando norma futura sit totius regni. Ab hac igitur parte regnum Israelis multo inferius fuit Judaico (2).

Caeterum initio eadem erant apud Israelitas instituta civilia et sacra, quae apud Judaeos; sed non diu mansit ea aequalitas. Jerobeamus, vir audax et solers probe perspiciebat, eam non perpetuo obtinere potuisse, nisi cum damno sui et suorum, quod non passus est animus ejus superbus, et imperandi cupidine flagrans. Quamdiu Hierosolymis templum omnium Israelitarum commune esset, eodemque omnes commearent, non tantum tacitus erat de principatu consensus, verum etiam metuebat Jerobeamus, ne annuo itinere religionis et solennium causa Hierosolyma facto, cives in amicitiam et foedus cum Judaeis redirent, atque ipse imperio excideret (3). Quid igitur ipsi erat faciendum? Non diu haerebat in consilio capiendo, quod, quamvis audax et temerarium,

(1) Cf. Hamelsveld Il. II. p. 334 seqq.
(2) Cf. *Erläuterung zur Jüd. Gesch.* S. 90. p. 153 seq.
(3) Cf. Michaelis, Mos. Regt. IV, S. 198 et Josephus, Ant. Jud. VIII, 8. 4.

tamen sui causa perficiendum esse putabat; nil aliud mente agitabat, quam religionem patriam plane immutare; sed quomodo tale quid perficere potuerit, merito quis roget, in oriente scilicet, apud populum, qui ab antiquissimis temporibus per tot saecula eam religionem professus est, quam filii a patribus haereditate acceptam considerant tanquam donum pretiosissimum? Difficillima prorsus esset quaestio, nisi attenderemus ad orientalium ingenium, Hebraeorum indolem, et Jerobeami perspicacitatem.

Delectantur inprimis orientales sacris solennibus, pompa magnifica, et omnibus quibuscumque, quae sensus alliciunt: ad eam normam composita erat Phoenicum, Aegyptiorum, omnium denique populorum religio, atque ita sapienter admodum etiam conformata erat religio Mosaica: Hebraeis grata, externo habitu quemque detinuit; a Davide solenni cantu exhilarata, a Salomone mirifice amplificata, omnium vicinorum sacra cum magnificentia, tum splendore superabat. Jerobeamus intelligebat, se eam plane abrogare non posse; callide igitur nonnulla immutavit, ita ut populo eadem viderentur, sed revera inversa essent. Hebraeorum ingenium ad externum splendorem proclive et in sacris parum constans, sub Salomone eam in cultu divino religionem praeterea deposuerat, qua existimarent, Hierosolymis ea sacra necessario administrari debuisse: quod satis luculenter apparet ex liberali Salomonis indole: populus tunc aliis locis sacrificia Deo obtulerat: quo facto via strata est Jerobeamo ad consilium suum, si modo artificiose strueret, perficiendum.

Per aliquod temporis spatium Jerobeamus in Aegypto commoratus erat, ibi cultum Aegyptiorum accurate noverat, qui ipsi mirifice placebat; hunc igitur in novo regno constituere parabat. Aegyptios, quatenus fieri posset, imitabatur. Apis et Mevis ab iis divino honore afficiebantur; utrique in peculiari urbe templum erat exstructum : in eorum imitationem duos etiam aureos vitulos confecit, sub quorum specie Jehovam coli volebat : et ecce Israelitae Deus vester, Deus, qui vos ex Aegypto eduxit! Jerobeamus sub horum imagine hoc factum suis optime in mentem revocare se posse putabat; iste cultus his notus erat; talem vitulum jam in deserto adoraverant, ac Judicum tempore restituerant; sub Salomone talium imaginum cultus memoria rursus excitata, Hebraeorumque sensus Aegyptiorum hieroglyphis magis adsueti erant (1). Itaque duas urbes elegit, quarum altera in finibus septentrionalibus, altera in meridionalibus sita erat, Danem et Bethelem, easque templis ornavit; illic antiquum restituit, hic novum condidit (2). Nec temere eas urbes elegit; illa Judicum tempore jam nobilitata erat templo, quod Micha condiderat; ibi cultus vitulorum denuo inductus fuerat, et posteri habitabant sacerdotum, qui cultus illius sacra perfecerant (3) : Bethel jam Patriarcharum memoria consecrata fuerat (4). Ne longiora autem itinera Israelis molesta essent, alteram urbem

(1) Cf. Hess ll. IX, p. 23 seq. Muntinghe ll. VII, 13. Jahn ll. II, 1 B. p. 155.

(2) Cf. 1 Reg. 12. 31.

(3) Cf. Jud. 18 et cl. v. d. Palm. ll. VIII, p. 173 seq.

(4) Cf. ll. IX, p. 26.

septentrionalibus, alteram meridionalibus tribubus sacrum locum destinabat. Retinuit tot religionis Mosaicae instituta, quot retinere poterat, quo melius populo suo novum istum cultum commendaret. Praecepit Israelitis sacrificia his locis perficere, eoque quotannis se conferre ad festa solennia celebranda; nam haec abolere non potuit, et, si potuisset, certe non fecisset; utilitatem, quae inde percipi potest, omnes antiqui populi posterioribus saeculis ostenderunt, Graeci, Romani, Arabes, et ipsi Hebraei (1). Verum quemadmodum omnia ad arbitrium peregit, ita haec quoque temere immutavit; videtur unum tantum festum retinuisse, tabernaculorum scilicet, quod mense post solitum tempus celebrari jubebat, ut aliqua similitudo utrique regno intercederet (2). Vitulorum cultus, solennibus sacris conviviisque exhilaratus, depingitur a prophetis (3) : laudantur ab his lauta sacrificia, epulae splendidae, cantus solennes (4). Festum Novilunii inprimis, omnium fere in oriente laetissimum, Israelitae maximo etiam apparatu nonnunquam celebrasse videntur (5).

Non immerito alii suspicantur, Jerobeamum, abrogato oraculo Urim et Thummim, ut hoc damnum populo suo restitueret, aliud quid recepisse, huic analogum. Illud si non abrogasset, timere potuisset, ne Israelitae perpetuo Hierosolyma

(1) Cf. Michaelis ll. IV, S. 198.
(2) Cf. cl. v. d. Palm. ll. XIII, p. 15 seq.
(3) Cf. Michaelis ad Hos. 8. 13.
(4) Cf. Amos 5, 21-23.
(5) Cf. Amos 8, 5.

adirent, ut Pontificem summum de rebus dubiis consulerent; hoc si non recepisset, populus caruisset oraculo, quod habere omnium antiquorum populorum maximi intererat. Ita Graeci, quamvis alii alios aemulatione prosequerentur, tamen omnes commune habebant oraculum, Delphicum, in omnium fere medio situm. Sagacissime igitur callidus iste simulatae religionis magister, aliquid excogitavit, Israelitis jam a Patriarcharum inde temporibus notam (1), quod non aliud fuisse videtur nisi Theraphim, quos constat fuisse imagines fatidicas, quas de rebus dubiis responsa reddere orientales credebant: quo magis has populo commendaret, recepit Judaeorum Ephod, quem Sacerdotes induere solebant, oracula edituri; atque hac ratione externo etiam Sacerdotum habitu oraculum Judaeorum adumbrare conabatur, quod ex adyto templi Hierosolymitani reddere solebant. Huic instituto allusisse videtur Hoseas: *Israelitae*, inquit, *per multos dies sedebunt sine rege et principe, sine sacrificiis et simulacris, sine Ephod, et Theraphim* (2).

Omnibus Israelitis grata fuisse potuerint talia instituta, sed jure exspectare poterat Jerobeamus fore, ut Levitae, quoad ejus fieri posset, ipsum impedirent, quominus haec sacra rata fierent. Si nonnulli ex iis ipsi obsecuti sint, alii eo magis resistere potuissent. Major erat ejus ordinis cohaerentia, et arctius vinculum, quam ut invitis consensum efflagitare posset. Praeterea per totum regnum Levitae erant dispersi, et non tantum inter Israe-

(1) Cf. Rosenmüller ad Gen. 31, 19.
(2) Cf. Hos 3: 4. Cf. Rosenmüller et cl. v. d. Palm. ad h. l.

litas, sed etiam inter Judaeos habitabant; apud hos summa fruebantur auctoritate, et omnibus temporibus pertinuerant ad principes summosque in Rep. viros. Quum commercium inter se perpetuo haberent, omnia moliri poterant, quod quam perniciosum sibi evenire posset, penitus perspiciebat Jerobeamus. Consilium igitur sumsit non minus temerarium, quam reliqua, novam sacerdotum castam, quam vocant vel potius alios sacerdotes, non ordinis adeo legibus adstrictos, instituendi; ad quod munus, quo magis totum populum sibi conciliaret, aditus omnibus patebat, tam majoris quam inferioris ordinis (1): Levitas contra munere movit, et regno expulit.

Haec erant instituta Jerobeami, quibus praecipiendis regnum condere studebat, et successoribus imperii legem praescripsit. Quo melius perspiciatur, quam vim habuerint, singula paucis illustranda sunt.

§ XII.

Instituta Jerobeami nocuerunt civitati, quam constituit; origo fuerunt multorum malorum, et priorem ejus regni interitum praepararunt.

Jerobeamum, cum haec instituta populo traderet, secundum arbitrium egisse videmus; utrum autem unanimi populi

(1) Cf. 1 Reg. 12, 32. ubi dicitur constituisse כהנים מקצות העם id est: *sacerdotes ex plebe;* suspicantur alii, (*Erläuterung* II. p. 153 seq.) Jerobeamum rursus introduxisse jus Patriarcharum sacerdotale, secundum quod quisque primogenitus jus sacerdotii obtinendi

consensu, vel plurium suffragiis, sive seniorum vel principum tribuum auctoritate confirmata, an unius Jerobeami voluntate inducta sint, non disertis verbis indicatur; postremum vero simile est (1), quamvis quidem haec agendi ratio satis sit temeraria; sed temerarium jam novimus Jerobeamum, et hominem audacissimum: id autem constat, ea fuisse instituta civitatis, et normam vel regulam, ad quam omnes posteriores reges se accommodarunt; qui igitur dicuntur *commisisse peccata Jerobeami*, vel *ejus vestigia pressisse* (2).

Aemulatione ducebatur Jerobeamus, cum haec excogitaret; aemulatione, qua utrumque regnum invicem se prosequebatur; aemulatione, quae alteri interitum praebuit, alterum valde debilitavit. Commoda publica utriusque civitatis jam sibi repugnabant; id sponte ex regni scissione sequebatur; verum ea aliquando forte reconciliari poterant; jam vero Jerobeamus scissionem perfecit, et vulnus insanabile reddidit sacris permutandis, quorum vim in respubl. cujusque civitatis, veterum inprimis, quisque perspicit. Haec sacrorum permutatio regni Israelis interitus altera causa fuit; instituta Jerobeami, ipsa

habebat; utrum verum sit, alii dijudicent, sed repugnare videtur cum verbis Hebraici scriptoris; מקצות usurpatur plerumque de fine rei alicujus vel extremitate; cf. Gesenius ad vocem קצה. Eadem loquendi formula legitur 2 Reg. 17, 32, ubi certe contextus eundem sensum postulat; cf. quoque 2 Chr. 13, 9.

(1) Cf. 1 Reg. 12, 26. ויאמר בלבו *Et secum dixit* id indicat; vocabulum, versu 28 obvium ויוצץ nunquam significare potest *concilio habito consilium capere*, sed *secum cogitare, secum deliberare* ex notione τοῦ Niphal. Itaque minus placet Muntinghii et Hessii hac de re sententia; ll. l.

(2) Cf. Jahn. ll. Th. 2. Band. 1, p. 156.

per se spectata, exitium praepararunt; ratio, qua usus est, in iis constituendis, hoc acceleravit (1).

Ac primum quidem his introducendis populus integritatem amiserat. Receperat, si imaginem omnibus velamentis detegamus, revera religionem Aegyptiorum, quae jam institutum facta erat, cui innitebatur civitas Israelitarum; ne foedus quidem, quod Jerobeamus cum Aegyptiis habebat, necessitudinem, quae iis cum his intercesserat, arctiorem reddere, et magis confirmare potuit, quam haec instituta, populo tradita. Neque temere statuitur, eum plura insuper ab iis recepisse; nam quid aliud erat festi Tabernaculorum dilatio, nisi chronologia Aegyptiorum recepta (2)? Quemadmodum cuique populo summi est momenti suam indolem et characterem retinere, et conservare ad interiorem civitatis firmitatem tuendam, ita Israelitae, his receptis, propriam amiserunt indolem; quo facto ansam dederunt, ut paulatim magis magisque aliorum populorum, vicinorum in primis, ludibrium fierent.

II. Jerobeamus legem violaverat Mosaicam, eamque ad arbitrium suum explicando, populo praecepit, quatenus in posterum esset norma civitatis: ita populum privavit fulcro valido et perpetuum felicitatis fontem obstruxit; ut enim non omnibus populis prodest quaeque legislatio: ita magni intererat Hebraeorum, quibusnam legibus uterentur. Lex Mo-

(1) Cf. cl. v. d. Palm ad Hos. 6, 10.
(2) Cf. Muntinghe ll. VII, p. 15. Hess ll. IX, p. 25.

saica populo tam salutaris eique tam accommodata erat; ut ea rejecta, prosperitatis etiam jacturam faceret, necesse esset (1). Hac utentes, Hebraei fruebantur praerogativis, quibus aliae gentes orientales carebant, apud quas non lex sed jussum et arbitrium valebat.

Non aliter Jerobeamus regiam dignitatem sibi magis confirmare se posse arbitrabatur, quam isto cultu constituto, qui maximopere a Judaeorum sacris abhorreret; regnum Israelis, quod ortum erat ex imperio, cum idololatria, tum recessu ab institutis Davidis, in duas partes diviso, non melius sibi conservare poterat, quam iisdem hisce vitiis erroribusque alendis. Qualis dementia, quam falsa jurisprudentia! Templum condas, Jerobeame, in regno tuo, ibique cultum Mosaicum instituas; bene res tibi cedet, felix erit populus, integer scelerisque purus! sed rite perspexisti, templum, quod conderes, minus fore splendidum, quam Hierosolymitanum; opibus indigebas, ingenioque Salomonis, et Junonis instar, dicere maluisti:

Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo (2).

III. Viam munivit, qua tandem idololatria invalesceret (3): vitulorum cultus non quidem erat idololatria—ipsum Jehovam, ut Jerobeamus praetexebat, sub horum specie adorabant — verum populus, si eruditi ad hoc discrimen perpetuo acute

(1) Cf. Jahn. ll. II, 1. 154.
(2) Virg. Aen. VII, 312.
(3) Cf. Jahn. ll. III. p. 140.

attenderint, brevi intelligebat, hos vitulos ipsum esse Jehovam. Alii, nulla de Jehovae cognitione praediti, nisi eorum, quae fama obscura ad eos pertulisset, satis bene officio se functos fuisse arbitrabantur, si has imagines honore affecissent, iisque sacrificia attulissent; et quid melius viam munit ad ipsam idololatriam? Sic facile erat Achabo, cultum Baalis constituere, qui ab illo non multum, secundum vulgi opinionem, diversus erat: ita populus dein, hoc Baalis cultu interdum abrogato, ex vitulorum adoratione tantam voluptatem rursus percipere potuit. Facillimus erat ad idololatriam transitus, facillimus iterum ad vitulos reditus. Quid plura; sub ipso Jerobeamo jam invaluit idololatria, jam luci erant sacri, jam idola conspiciebantur (1), atque ita ipse jam vidit, quorsum sibi abiret ista novorum sacrorum institutio. Non minus vero nocuerunt ista Jerobeami instituta regno Israelis, si attendamus ad rationem, qua usus est, in his sacris constituendis et ordinandis.

Ac primum quidem sacrorum sedem a regia sede divulsit, adeoque non quidem religionem a civitate separasse censendus est, sed id vinculum, quod antiquas civitates tam arcte connexit, et tam firmas reddidit, tamen quodammodo dissolvit; animadvertimus eam conjunctionem regiae et sacrorum sedis per totum fere orientem, et apud plerosque antiquos populos; eam firmitatem dedit Phoenicum civitati coloniarumque societati Tyrus, omnium caput, templo Herculis instructa; eam Romanis Roma, ornata templo Jovis in Capitolio condita, omnibus

(1) 1 Reg. 14, 15.

communi. Apud Israelitas diu desiderabatur confirmata et constans metropolis, regni splendori conveniens; nec forte Jerobeamo, si quidem Sichemum sacrorum caput facere voluisset, ipsi successisset; carebat haec urbs iis praerogativis, quibus Dan et Bethel prae caeteris gaudebant; aemulatio inde orta fuisset, regno nuper condito funestior. Achabus demum Samariam civitatis et cultus Baalis caput constituere potuit; nec tamen perpetuo etiam deinceps mansit; non valuit ejus auctoritas apud Jehui familiam et sequentes reges. Destitutum igitur erat regnum Israelis tali civitatis sacrorumque conjunctione, qua Judaicum tam potens evasit.

II. Elegit ad sacra perficienda non unum, ut apud Judaeos obtinuit, sed duo loca: hac ratione populi unitas minus conservari poterat, et vinculum non tam arcte adstringi, quam in civitate, ubi unum sacrorum caput, omnibus commune, totum populum conjungit. Itaque festa majora nunquam eam efficacitatem, eamque vim habere potuerunt in regno Israelis, quam in regno Judae. Populus, in duas partes divisus, festa celebrabat, sacrificia conferebat, convivia habebat; desiderabatur unitas.

III. Ita apud remotiores tribus vitulorum cultus perpetuo quidem usitatus manebat, sed quo consilio tum insuper elegit Jerobeamus urbes in ultimis terminis positas? Exspectare poterant Israelitae, fore, ut Judaei Bethelem aliquando recuperarent, quoniam proprie pertinebat ad Benjaminitarum ditionem; Syri autem, si quando impetum facerent in terram Israelis, statim Danem oppugnarent, alterum sacrorum caput. Je-

robeamum has urbes elegisse, ut hostium incursiones, si quidem festorum occasione terram invaderent, cohiberet, et arceret (1), non vero simile videtur; quid enim valet populi turba, festa celebrans, et ut saepius fit, voluptati dedita, contra hostium exercitum? His locis ab hostibus occupatis, regnum Israelis sacris erat privatum, vinculum civitatis disruptum; in posterum ita evenit. Abia enim Bethelem recuperavit (2), Benhadad Danem (3): quo facto templa, sacra, templi thesaurus in hostium erant potestate. Achabus igitur adhuc melius regni securitati prospexisse videtur, quum templum totius gentis, quantumvis Baali consecratum, in media fere terra, in regia urbe exstrueret; neque improbabile videtur, Israelitas postea, experientia edoctos, hujus instituti detrimenta probe perspexisse : in posterum plura loca vitulorum cultus sedes laudantur, in iisque Gilgal prae caeteris (4) : fortasse quidem Samariae quoque fanum exstructum est in eorum honorem (5). Sed Bethel perpetuo omnium sanctissimus habitus est locus, vocatur urbs regia, ibique reges Israelitarum palatium habuisse videntur, quoniam hic plerumque degebant ad sacra celebranda (6).

IV. Videmus, Jerobeamum hac ratione magnam, quam op-

(1) Cf. Muntinghe ll. IX. 26 seq.
(2) Cf. 2 Chron. 13. 19.
(3) Cf. 1 Reg. 15. 20; 2 Chron. 16. 4.
(4) Cf. cl. v. d. Palm ad Hos. 4. 15, et Amos 5. 15 et 8. 14.
(5) Cf. cl. v. d. Palm et Michaelis ad Hos. 8. 3.
(6) Cf. cl. v. d. Palm et Rosenmüller ad Amos 7. 13.

timam merito dixeris, populi partem a se abalienasse; plurimi quidem ipsi assentiebantur, sive convicti, sive ad resistendum impares; sed alii aegre ferebant: ac jam ejusmodi quid evenit Jerobeamo, quod postea Ludovico XIV, postquam edictum Nannetense aboluit: tum enim multa millia Reformatorum Galliam reliquerunt; jam ex regno quoque Israelis, quod Hebraeorum scriptores disertis verbis memorant, permultae familiae in regnum Judae se receperunt (1).

V. Omnium maximum detrimentum, et luculentum falsae, qua Jerobeamus utebatur, Jurisprudentiae indicium est Levitarum expulsio; plurimae eorum urbes erant in ditione Jerobeami; ex XLVIII urbibus Levitarum, quae per totam terram dispersae jacebant, XXXV sitae erant in regno Israelis. Non tam potens erat illa tribus, quam aliae (2): sed in dies eorum numerus etiam mirifice auctus est, adeoque, si, numeri tantum habita ratione, ad civium jacturam attendamus, quam passus est Jerobeamus, maximum erat detrimentum. Bene Salomo dixerat: *populi frequentia est regis gloria, et splendor; decrescens civium numerus principis dedecus.* Verum praeterea haec tribus casta erat eruditorum, penes quam omnis doctrina fuit recondita; erant jurisconsulti et theologi, legis Mosaicae jura et sacra populum docebant; apud eos omnis legis interpretatio (3). Observari quidem meretur, castam sacerdotum non maximopere inservire ad populi humanitatem promovendam,

(1) Cf. 2 Chron. 11, 16, 17 et supra dicta §. 8.
(2) Cf. Hess ll. V, 234 seq. et Michaelis ad Jos. 21. 1.
(3) Cf. Jahn. ll. III, 356 seq.

et literarum doctrinarumque cognitionem alendam et amplificandam; sed potius eorum auctoritate efficitur, ut perpetuo eodem gradu cognitionis subsistat; ab altera vero parte eruditio, qualiscumque tandem, his auctoribus, inter populum conservatur. Aegyptii et Indi egregia hujus rei sint indicia; idemque apud Hebraeos animadvertimus. Quidquid humanitatis inter Israelitas supererat Sauli aetate, Levitae, quamvis eorum tribus praecedentibus temporibus neglecta jacuisset, reservaverant (1). Post Davidem et Salomonem hi soli inter miserrimam illam morum corruptelam legis notitiam tueri potuerunt, et cavere, ne penitus aboleretur. Talis autem ordo jam a Jerobeamo munere movetur, quin etiam regno expellitur; omne propugnaculum, regiae auctoritati oppositum, et ad morae resistendum aptum, tollitur. Quantum detrimentum civitati! (2) Optime ipse consilia explicuit; timebat eorum auctoritatem; timebat talis ordinis efficaciam, adeoque castam non amplius instituit, sacerdotalem dignitatem non uni ordini addixit, sed vilem praebuit cuique volenti, qui modo unius vituli et septem arietum sacrificium conferre posset (3). Atque hi sacerdotes fiebant; sacerdotum turba certe quidem deludenda et contemnenda, quae, cum sacris conjuncta, speciem prae se ferebat profecto non magnificam! At nihilo minus suspicax Jerobeamus metuisse videtur, ne istiusmodi hominum agmen majorem, quam vellet, auctoritatem consectaretur. Ab hoc pavore se liberatum putabat, quum sibi etiam sacrificandi po-

(1) Cf. cl. v. d. Palm, ll. XII, 88.
(2) Cf. Jahn. ll. II, 1. 161.
(3) Cf. 2 Chron. 13. 9.

testatem retineret (6); et forte quidem ipse, ut isti turbae quandam saltem dignitatem adderet, se eorum principem fecerit, et regiam dignitatem cum Pontificatu conjunxerit: quidquid est, ex Levitarum repulsa et ex nova sacerdotum institutione tanta detrimenta ipsius regni firmitati oriri debebant, quanta exspectanda erant a rege, qui omnia ad arbitrium suum constituit, ut se ipse et suam dignitatem tueatur. Sacerdotes, cum a Psammeticho repulsam tulissent, Aegyptum reliquerunt: quo facto Aegyptii, qui antea non exterorum moribus erant deperditi, jam ad Graecorum rationem omnes fere redacti sunt, vel potius ipsa Graecia in Aegyptum deducta est, Aegyptio tantum velamine circumdata. Idem obtinuit apud Israelitas; hi ad Aegyptiorum primum, ad Phoenicum deinde rationem integri fere se conformarunt. Baalis sacerdotes facillime auctoritatem suam in istam sacerdotum turbam exercere poterant, atque ita sponte et inviti Israelitae aliorum sacerdotum imperio, Hierarchiae, ut vocant, subigebantur, quod deinceps accuratius videbimus.

Quae cum ita sint, pessima fuerunt Jerobeami instituta, civitatis integritati, et, ut recte Josephus animadvertit, Israelitis origo et principium fuerunt plurimorum malorum, ac tandem id effecerunt, ut, bello ab alienigenis devicti, in captivitatem abducerentur (2).

(1) Cf. 1 Reg. 13. 1.

(2) Cf. Josephi Ant. Hebr. VIII, 8. 4. « ἀρχή, » inquit « κακῶν ἐγένετο τοῦτο τοῖς Ἑβραίοις, καὶ τοῦ πολέμῳ κρατηθέντας ὑπὸ τῶν ἀλλοφύλων αἰχμαλωσίᾳ περιπέσειν. »

§ XIII.

Lex Mosaica omnibus partibus aptissima erat, ad Hebraeorum salutem in terra Cananaea perficiendam et confirmandam.

Jam obiter observavimus, Jerobeamum pessime egisse, talibus institutis populo tradendis, quoniam ita legis Mosaicae fundamenta pervertit, eamque ad arbitrium explicuit, vel potius nullam ejus rationem habuit: diximus in ea lege observanda populi salutem solam fuisse positam. Ne autem temere hanc sententiam protulisse videamur, paucis liceat ostendere, legem Mosaicam omnibus partibus aptissimam fuisse ad Hebraeorum salutem in terra Cananaea perficiendam et confirmandam. Hanc quaestionem plane, omnibusque numeris absolutam conficere non pertinet ad nostrum propositum. Sequentia igitur observasse, sufficiat.

Codex legis Mosaicae, qui integer ex tot monumentorum naufragio enatavit, praecepta continet rituum sacrorum instituendorum, et leges de Republ. temperanda ac gubernanda. Atque haec quidem duo, religionis externae habitus, et conditio civilis, utut sua natura diversa, hic singulari ratione ita erant conjuncta, ut divelli plane non possent, magnaque opus sit cautione ad utrumque distinguendum et internoscendum; laudabiliter in his egisse censendus est sapiens Hebraeorum legislator; convenientiam conspicimus, cum quaque antiquae

civitatis moderatione comparandam. Primus ejus character ac praecipuus in eo est constituendus, quod Hebraei Deum suum coluerint tanquam regem, et tale ipsi praestiterint obsequium, quali in monarchia perfecta prosequi solent summum imperantem, penes quem absoluta est potestas. Est lex consideranda tanquam religio nationalis, quae tantum pertinebat ad gentem Hebraeam; omnia ejus praecepta et instituta peculiariter adaptata erant indoli hujus populi, et naturae illius regionis, in qua habitabat; omnia accommodata erant opinionibus tum receptis: Jehova, ut Dii apud alias gentes et populos, Hebraeis vicinos, considerandus est tanquam Deus tutelaris; sacra nonnulla aliarum gentium adscita erant et ad Hebraeorum ingenium et ipsum legis consilium conformata. Populus quo melius ab idololatria detineretur, legis consilium tulisse videtur majorem a reliquis gentibus separationem, non absolutam, sed aliquam. Eo omnia spectabant instituta, ut veri Dei doctrinam conservarent, in eoque omnia, quamvis videantur diversa, amice conspirant. Praecipuum, quod ipsi legislatori inprimis erat propositum, fuit, ut populum ab idololatriae labe immunem servaret: cui consilio perficiendo quam idonea sit doctrina illa de uno Deo quisque sentit. Quam fructifera insuper Hebraeis fuit ea doctrina! Firmum profecto fundamuntum, cui integrum religionis rituumqne sacrorum aedificium tanquam superstruatur! et Polytheismus, omnis verae pietatis destructor, quam tenues profert de Divina Majestate notiones, quanta imaginationis monstra, quantopere illo laxantur et solvuntur omnium officiorum vincula, quam horrenda denique crimina gignit crudelis et impura idololatriae supersti-

tio (1)! Atque haec omnia cohibere potuit haec doctrina, et certe cohibuisset, si ea lex semper rite observata et intellecta fuisset: huc spectabant institutio ordinis Levitarum, praeceptum uno tantum loco sacrificandi, alia. His addere possemus Deum peculiari favore, quo Hebraeorum gentem prosequebatur, curasse, ut talia instituta Hebraeis traderentur; nam quis neget Dei providentiam, in hac gente inprimis conspicuam; sed de his uberius loqui, ad alium locum pertinet; hic inprimis civilis legum ratio in nostram disputationem cadit.

At quantam praestantiam in cultu Mosaico observamus? Magnificentia et splendor, decus et majestas, summa opulentia sine profusione, luxuria, elegantia sine fastu, puritas et sanctitas, denique convenientia cum Naturae Divinae dignitate, tot sunt attributa, quae eam in cultu Mosaico praestantiam indicant; sive tabernaculum intras, sive ad templum adscendas, oculos alliciunt, sensus constrictos tenent et animum sublimioribus affectibus percellunt; praeterea non cupiditates explendi, sed populi causa sacerdotes munere funguntur; sacrificia, Deo oblata, partim cremantur, partim in laetis conviviis ab ipsis Hebraeis in loco sacro comeduntur; facilis est cultus ad praestandum, et jucunditatem praebet, verbis non definiendam; porro quam sapientes fuerunt leges de sacrificiis, oblationibus, primitiis, decimis, quam sapientes de diebus festis, tam majoribus, quam minoribus, quam sapientes de Levitarum ordine et sacerdotum conditione!

(1) Egregie haec demonstravit Hess l. l. V. 239 et VI. 305.

Haec omnia autem vim habebant cum in res sacras, tum civiles, atque manifesto testantur ingenium Legislatoris, qui omnia tam sapienter moderatus est. Notae sunt leges de agrorum possessione et cultura, de matrimoniis et tori societate, instituta in oriente prorsus necessaria; notae leges servitutem spectantes, atque sanitatem et valetudinem, quae in regionibus calidioribus eo majorem curam postulant: quid recenseam praecepta, quorum praecipue vis erat in conservanda hominum vita, et bonorum securitate; spirant eam sapientiam, eam perspicacitatem, qualem in aliis legislationibus frustra quaeras, nec unquam invenies; quidquid in bene ordinata civitate postulatur, hic egregie explicatur, definitur, determinatur: sive judicia attendas, sive ipsam civium securitatem, salutem, prosperitatem, sive rem militarem spectes, omnia ad illius temporis rationem, regionisque opportunitatem ita conformata sunt, ut nihil insuper desideretur.

Lex quidem non omnibus temporibus perfecta et absoluta esse potuit; nam homines cum temporibus mutantur; procedunt, recedunt; ut saepius in posterum legi additamentis opus sit, quae nemo prospicere potuerat; sed id obtinuit in omni legislatione; fundamentum vero, cui innititur, idem manet, nisi populus penitus immutetur, et idem esse desierit, qui antea fuerat. Itaque Davides rem militarem, judiciorum rationem, religionis externum habitum amplificavit; Salomo sua addidit, quae an omnia bona sint, merito dubitant: lex tamen Mosaica integra mansit civitatis, quam vocant, constitutae norma. Hebraeorum Resp. quamvis jam in duo regna

dilacerata, hanc retinere non tantum, sed observare debebat si sibi consuleret; non enim desierant esse Hebraei, quanquam nomen Judaeorum et Israelitarum diversas gentes indicare videretur. Habitabant in eadem terra, eademque, quae antea, beneficia ex hujus observatione percipere poterant. Spartani, si Lycurgi, Athenienses, si Solonis, alii si aliorum legislatorum leges perpetuo retinuissent, non ea mala fuissent perpessi, quae postea experti sunt. Idem ipsa horum historia testatur; idem quoque docent Hebraeorum annales. Illustre profecto documentum praestantiae legis Mosaicae praebet aetas Davidis et Salomonis; praebent posteriora quoque tempora, quum gens salute, prosperitate, felicitate floreret. Itaque exsecrandus est iste Jerobeamus, qui hanc legem suis institutis adeo pervertit, eamque tam impudenter infregit; diris sit devotus, et ipse damna perpetiatur, in quae vos injecit, Israelitae! Infelix profecto popule, et miseratione digne! quare tandem obsecuti estis isti proditori? — Sed ipsi legem neglexistis, ipsi vestra incuria vestrum exitium praeparastis, neque aures praebuistis iis, qui toties vobis acclamabant:

« Discite Justitiam moniti, et non temnere Divos » (1).

(1) Virg. Aen. VI. 620.

§ XIV.

Disquiritur, quatenus lex Mosaïca apud Israelitas permanserit civitatis norma.

Talis fuit legis Mosaïcae praestantia, quae ex dictis jam satis intelligitur; disputandum restat, quatenus post scissionem retenta sit apud Hebraeos, tam Judaeos quam Israelitas. Primum ad Israelitas transeamus, quo melius eorum civilem conditionem conjunctim perspiciamus; dein de Judaeis videbimus.

Difficillima profecto est haec quaestio ob monumentorum penuriam; ex scriptis, quae nobis supersunt, quanquam non accuratam eorum temporum historiam exhibent, et minime res gestas eo consilio enarrant, ut civilis reipublicae conditionis rationem habeant, ex iis tamen, quoad ejus fieri possit, nonnulla eliciamus.

Bossuetus suspicatur, tribus separatas codicem legis Mosaicae Pentateuchum, ut vocant, semper veneratione prosecutas fuisse (1), quod utrum verum sit, disputatione indiget. Ut praecedenti § vidimus, civilis conditio cum externo religionis habitu tam arcte erat conjuncta, ut ab hac divelli non posset; religio erat civitatis fulcrum, cui omnia innitebantur. Apud Israelitas patria religio plane immutata,

(1) Cf. *Discours sur l'Histoire universelle, tome I, page 25. Stéréot.*

umbram tantum referebat illius imaginis, adeo tenuem, ut non nisi ab iis, quibus accurate hoc discrimen demonstratum esset, agnosceretur: hujus autem nescius Aegyptiorum potius, quam Hebraeorum cultum te videre arbitrareris. Sublata igitur erat certe ipsa religio Mosaica, sublatum praeterea fundamentum, cui civilis conditio superstructa erat: neque sperare poterant, fore, ut haec instituta postea in desuetudinem abirent. Erant civitatis Israeliticae fundamentum, et semper civitatis norma consideranda sunt.

Carebant Israelitae omnibus insuper adminiculis, quibus doctrina et cognitio legis apud populum conservari, eique in mentem revocari potuissent. Exempla, librariorum manu confecta, hoc tempore erant rariora; ars scribendi non adeo jam invaluerat, ut ejus ope apud populum universum legis notitia propagaretur: summi igitur momenti fuit exemplum, quod in templo conservabatur; monumentum pretiosissimum, dignum, quod in arca foederis, in ipso adyto, in sancto sanctorum custodiretur. Alia praeterea exempla in templo reservabantur, ex quibus diebus Sabbaticis festisque solennibus praecipua capita populo praelegebantur. Ne remotiores tribus legis notitia destituerentur, qui ad templum toties adscendere non poterant, sapienti instituto ordo Levitarum per totam terram erat dispersus, ut non tantum artium liberalium, aliarumque rerum scientiam traderent, verum etiam legis notitiam perpetuo in memoriam revocarent, eamque interpretarentur. Haec omnia apud Israelitas desiderabantur, templo amisso, sacris mutatis, Levitis expulsis. Quominus autem Israelitae non penitus ab

institutis Mosaicis abalienarentur, effecerunt scholae Prophetarum, inter Israelitas reservatae, quas ne absoluta quidem alicujus regis auctoritas supprimere potuit. Facile retentae esse videntur propter emolumenta, quae hinc oriebantur ad populi humanitatem amplificandam. Tam firmiter constitutae, eamque auctoritatem inter Hebraeos nactae erant, ut omnes veneratione quadam eas prosequerentur. Pythagoras, quo melius doctrinarum studium et divinarum et humanarum conservaret, quo magis morum corruptelae resisteret, eorumque integritatem restitueret, laudabili et egregio consilio Sodalitia instituerat, quae ab eo nomen habent. Ipse princeps omnibus sociis praeerat, ut hi, eum ducem sequentes exemplo suo populum docerent, omnibusque se commendarent. Exemplum iis auctoritatem praebebat apud populum, Optimates, Principes; quorum licentiam quum comprimere, cohibere, arctioribus finibus includere conaretur, consecutus est magnam in republica vim, quam ut sibi vindicaret, eum studuisse, non negandum videtur (1).

Non aliud erat scholarum Prophetarum inter Hebraeos institutionis consilium, quatenus de his judicium ferre possumus (2). Samuel Hebraeorum Pythagoras, his instituendis etiam doctrinarum studium, Poesin et Musicam, legis inprimis Mosaicae notitiam, morumque integritatem, reservare

(1) De Pythagorae institutis, omnium instar, conferatur Barthelemy, *Reize van den Jongen Anacharsis*, VIII. p. 110 — cap. 75.

(2) Cf. Bengel Neus Archiv. II, 2, pag. 484 seq.

studebat, et optimum profecto postea fuit munimentum, regis auctoritati oppositum. Hinc magni quique viri inter Hebraeos prodierunt, in iis edoctus est Davides, Nathan, Gad, alii, quam plurimi, qui cum sub Davide et Salomone, tum in posterum de Hebraeis tam egregie meruerunt, ex quibus plures Prophetarum nomine nobis innotuerunt, et scriptis suis immortale nomen sibi vindicarunt; nec mirum; in his scholis poeseos ac musices ope, religionis ac patriae amor et sensus sublimiores excitabantur, eorumque titillatione in affectum quisque rapiebatur, et in summam adducebatur admirationem. Simplici vitae rationi adsueti, in tuguriis degentes, minimo victu contenti, tranquillam et beatam vitam degere populum edocebant.

Retinuerunt et hanc vitae rationis simplicitatem in posterum; pulcherrime depingitur Prophetarum coetus sub Jorami imperio; ipsi aedificant tuguria, ligna caedunt, secures mercede conducunt, ne unius quidem earum jactura ab iis reparari potest (1). Atque talis Prophetarum schola quum memoratur, tum fingite vobis coetus, quos excelsior animi impetus compulerat, ut, viri cujusdam Divini ab ore pendentes, talia ab eo praecepta acciperent, quibus et patria ipsis carior redderetur, et ipsorum mentes sacrorum majestate gravius percellerentur. Fingite vobis hos coetus in casis et tuguriis habitantes, in amoenis collibus degentes, carmina canentes, quibus et fortia Jehovae facta, ejusque laudes et

(1) Cf. cl. v. d. Palm ad 2 Reg. 6, 1-7.

heroum facinora celebrabant. Resonabant valles cantu coelesti, cantumque comitabatur instrumentorum musicorum symphonia, ut et aures sonorum suavitate demulceantur, et mentes Divina voluptate perfunderentur. Fingite vobis, quam vim hujusmodi carmina in animos nobiliorum juvenum necessario haberent, sive potius ipsi locum adeatis, et ipsum Saulum regem adspiciatis; videbitis omnes, qui ad hoc Bardorum genus accedunt, mox eodem furore poetico inflammari; atque, in eandem exstasin raptos, eosdem atque illos animi motus persentiscere (1).

Laudamus igitur reges Israelitarum, qui hoc institutum non sustulerunt, sed tacite in regno suo tolerarunt. Tres praecipuae memorantur scholae Prophetarum in horum temporum historia, altera Bethele, altera Hierichunte, tertia Gilgale, (2) quae diu florebant sub principatu Eliae et Elizae. Prophetae viri erant, qui dum sacrorum ministri rerum ad cultus externi observationem pertinentium curam gerebant, hoc spectabant, ut religio Mosaica ad intimam supremi Numinis venerationem ipsamque morum probitatem atque integritatem conduceret, quare ne sacerdotibus quidem aut regibus parcebant, si quando graviter deliquissent (3). Peculiari vestimentorum genere a vulgo distincti, quique austeriorem vitae rationem sequebantur, pellibus hirsutis induti (4), inter tan-

(1) Cf. *Herder Geest der Hebr. Poes. Deel 4, page* 100. Jahn. II. III. 118.
(2) Cf. Cl. v. d. Palm ad 2 Reg. 2, 2.
(3) Sunt verba cl. Pareau Ant. Hebr. pag. 171, editionis secundae.
(4) Cf. 2 Reg. 1, 8 et Zach. 13, 4.

tam morum corruptionem audaciter coram populo prodeunt, ad ipsum regem accedunt, et omnes gravi reprehensione increpare audent. Ipso Jehovae nomine ab aliena superstitione populum avocant, veram religionis indolem patefaciunt, et morum integritatem commendant. Miraculis populi oculos in se convertunt, omnes factis suis percellunt, omniumque animos summa admiratione implent; ipsi sublimiori spiritu inflati futura praedicunt, vividisque coloribus et admirabili eloquentia revelant. Venerabilis profecto congregatio! dixeris, talium virorum apparitionem populum avocasse a vitulorum, et postea ab idolorum cultu; ipsius Jehovae colendi amorem excitasse, et legis Mosaicae auctoritatem perpetuo confirmasse; sed aliter plane evenit. Erant Hebraei orientales; miracula et gravissima eloquentia populum quidem vehementer movebant, sed movebant, quamdiu eorum sensus perculsi essent: alia si occurrebant, quae eandem vel ejusmodi efficaciam habebant, illorum obliviscebantur. Ita explicandum est, quo modo fieri potuerit, ut in deserto splendentibus fulminibus, auditisque tonitrubus, attoniti, et metu et veneratione perculsi, haud ita multo post, fide neglecta, quam dederant, vitulum aureum confecerint, adoraverint, in ejusque honorem festum laetum et splendidum celebraverint (1). Si autem videamus, quantopere ab ipsis regibus Prophetae contemnerentur, qui eos persequebantur, et gravissimis vexationibus premebant, Isabelam si in mentem revocemus, quae consilium

(1) Cf. Gerritsen commentatio in Annalibus Acad. Rheno Traject. anni 1823, pag. 10 seqq.

ceperat omnes Prophetas, qui Jehovae nomen profitebantur, interficiendi (1); denique si attendamus ad increscentem in dies sacerdotum Baalis multitudinem et auctoritatem, tum profecto quisque intelligit, eos Prophetas, easque scholas non tantam habuisse efficaciam, quantam suspicareris. Si ipse oculis cernere velis, quantopere reges Prophetas revereantur, ad Jerobeamum attendas, publice Bethele festum celebrantem: ipse sacra peragit; maxima hominum frequentia oculos in ipsum intentos habet; interim exoritur tumultus; homo quidam per magnam turbam festinat, prodit coram rege, coram omni populo; est Propheta, qui verbis factisque factum Jerobeami publice improbat, qui non a proposito deterretur; rex ipsum capi jubet; alii apud regem eum suspectum reddunt; rex credit, et in proposito pergit (2). Adspicias, quam truculenter Achabus Micham in carcerem detrudat (3), quibus minis Achazia Eliam minitatus sit, militibus saepius ad eum capiendum missis (4). Postea, quum vitulorum cultus a Jehuo et posteris cum omni splendore rursus restitutus esset, quam acerbe Amazia, hujus cultus sacerdotum fortasse primarius, in Amosum invehitur, eumque calumniis, opprobriis, conviciis increpat, et tanquam hominem seditiosum, rerumque novarum cupidum apud Jerobeamum II falso accusare conatur (5)!

(1) Cf. 1 Reg. 18, 4, 13; 19, 10.
(2) Cf. 1 Reg. 13.
(3) Cf. 1 Reg. 22.
(4) Cf. 2 Reg. 1, 9.
(5) Cf. Cl. Rosenmüller ad Amos 7, 10.

Prophetarum scholae lapsu temporis etiam abrogatae sunt, saltem negligentia, turbis, communi et ubique pervulgata morum corruptione interiisse videntur (1). Sed jam satis de his institutis, iisque, qui hinc prodierunt dictum est. Porro videamus, utrum argumentis, ex ipsa historia petitis, demonstrari possit, Israelitas aliquam tamen hujus legis rationem habuisse. Atque hic, quoniam hujus temporis scriptores nihil fere de hac quaestione memorabile referunt, universum conspectum praebere sufficiat.

Negari nequit, praecepta nonnulla apud Israelitas servata fuisse, quae legis Mosaicae indolem spirant; si rem vero accuratius perpendamus, haec diuturno, quo conservata fuerant, temporis intervallo adeo trita fuerunt, ut ne regum quidem auctoritate aboleri possent. Ejusmodi rei vestigium offendimus sub imperio Jorami: viduae cujusdam filii ab alio in servitutem erant redacti; nam lex erat, qua concedebatur, filios ejus, qui debitum solvere non posset, servos reddere (2). Alia instituta necessario retenta fuerunt propter ipsius populi indolem; leges, verbi causa, quae terrae divisionem spectabant, secundum quas quisque civis suum habebat agrum: populus enim Hebraeorum, in XII gentes, tribus, vel castas, si dicere velis, erat divisus; eam rationem immutare apud nullum populum, qui eodem modo erat constitutus, aliquis sive princeps sive alius quidam maxima auc-

(1) Cf. cl. v. d. Palm ad Amos 7, 14; cum hac sententia verba Amosi, comm. 15 relata, optime conveniunt.

(2) Cf. cl. Palm ad 2 Reg 4, 1, Michaëlis Mosaïsch. Regt II., pag. 368 ed. Belg.

toritate gaudens, unquam ausus est, cujus rei documenta animadvertimus apud Persas, Aegyptios, Indos. Apud Israelitas haec instituta eam quoque sanctitatem adepta erant, ut abrogari non possent. Itaque tabulas genealogicas, quae dicuntur, accurate conscribebant, et integras conservabant, quibus factum est, ut postea indicare potuerint, Baesam oriundum fuisse ex tribu Issaschare (1); ut Israelitarum nonnulli post reditum in patriam, ex quanam tribu, gente, familia suam traherent originem, dicere potuerint: quin imo, ut post Christum natum Lucas, Annam Prophetissam Aseritam fuisse, manifesto tradiderit (2).

Egregium documentum, quanam religione integra agrorum possessio apud Israelitas conservata sit, invenitur in historia Naboti, cujus praedium Achabus, quippe hortis suis vicinum, ad hos explicandos emere cupiebat; quod quum recusavisset Nabotus, rex, ne summa quidem, qua pollebat, potestate, aliquid efficere potuit. Regina, regis moerore comperto, talem repulsam aegre ferebat; regi gratificari cupiens, neque consiliorum expers, aliquid molita est, quo facinori quandam saltem justitiae speciem daret. Excogitavit nefanda ista muliercula duplex scelus; falsi testes eum accusant, falsi judices majestatis crimine condemnant; specie religionis jejunia publice promulgantur, ac denique Nabotus coram populo condemnatur, et lapidibus obruitur (3).

(1) Cf. 1 Reg. 15, 27.
(2) Luc. 2, 36.
(3) Cf. cl. v. d. Palm et Michaelis ad 1 Reg. 21, 8-13.

Permultam vim habuisse haec legis Mosaicae instituta, ex dictis suspicareris; quae vero si accuratius consideras, luculenter indicant, quomodo isti reges et principes, qui regno Israelis imperabant, haec conservaverint, et cum communibus orientalium juribus conjunxerint. Quemadmodum enim ex ea historia patet, secundum jus Mosaicum haereditatis, ager Naboti idem erat filiorum; sed secundum institutum, omnibus orientalibus proprium, filius et universa familia, si pater deliquisset, cum eo interficiebatur, bona publicabantur, et regis possessionibus adscribebantur. Filii enim Naboti eandem sortem experti sunt, idque perpetuo apud Israelitas obtinuisse videtur. Ipse regum scriptor hunc morem Achabi tempore jam satis notum esse suspicabatur, ut disertis verbis filiorum mortem non commemoraverit, et nobis adhuc incognitum fuisset, nisi alio loco obiter ejus rei mentio facta fuisset (1). Quam egregie huic facinori oppositum est laudabile Amaziae factum, qui tantum vindictam sumsit de iis, qui in Joasum patrem conjurationem fecerant (2)!

Patet igitur ex hac morte Naboti, instituta nonnulla fuisse retenta, non tamquam praecepta sapientis illius legislatoris, sed tanquam instituta, cum populi indole conjuncta, et temporis intervallo inveterata. Tute profecto assumere possumus, apud Israelitas, quorum principes, si dignitatem obirent, nullis conditionibus fuerunt adstricti, etiam orientalium more remp.

(1) Cf. Michaelis ad 2 Reg. 9, 26.
(2) Cf. cl. v. d. Palm ad 2 Reg. 14, 5, 6.

administratam fuisse, et, ut ex ipsa historia apparet, reges ad orientalium loquendi morem tyrannos fuisse, quorum potestas nullis legibus circumscripta est, apud quos et voluntas et communis omnibus usitatus mos norma est, secundum quam omnia faciunt.

Si quidem vero non satis adhuc persuasum sit de legis Mosaicae neglectu, age, adeas Gynaeceum, prorsus ad orientalium rationem instructum; reperies reginam matrem, Eunuchorum turba stipatam (1): est quidem tale quid legi Mosaicae contrarium, quae istam immanitatem vetabat, et omne penitus cum iis commercium non tantum vehementer dissuadebat, verum etiam istis homunculis ad templi vestibula aditum occludebat; sed grati sunt isti aulae regum Israelitarum, nec iis carere poterant: dignitas regni Israelis talia postulare videtur. Sed relinquamus palatium, et templum Baalis ingrediamur.

§ XV.

Cultus Baalis.

Israelitae, ut jam obiter observavimus, commune omnium Orientalium ingenium et indolem habebant, quod imprimis tenendum est, cum eorum historiam tractamus: facilis igitur

(1) Cf. cl. v. d. Palm ad 2 Reg. 9, 32.

iis fuit transitus ad horum mores et religionem, quae iis easdem illecebras offerebat, quibus hi alliciebantur. Indulgebant orientalium sacra hominum affectibus, rebusque inprimis venereis, quibus accedebat hilaris et jucunda festorum celebrandorum ratio, pompa maxima, splendor eximius, lautus apparatus; quae omnia fervidiori Hebraeorum ingenio vehementer placebant (1). His sacris eo facilius et libentius jam antea adhaeserant, quoniam in ipsa eorum terra peragebantur. Complures Cananaeos Hebraei post terrae expugnationem reliquerant, quos expellere non potuerunt (2) illorum plurimi montes tenebant; Israelitae loca plana et campestria : illi orientalium more, institutorum tenaces, sacra integra retinuerunt; Israelitae, receptis eorum moribus, initis cum iis matrimoniis (3), arctissime cum illis se conjunxerunt, et inscii vel inviti in ipsos fere Cananaeos permutati sunt. Locis, quibus Hebraei traduntur idolorum cultui adhaesisse, Cananaeorum, nec alia sacra intelligenda sunt (4) : nam existimabant se satis fecisse, si Jehovae cultum cum illis conjunxissent. Quantopere tunc temporis iste cultus jam floruerit, videmus, splendidum templum adspicientes, in honorem Baalis Sichemi conditum, magnifice exstructum, donisque ditissimum (5). Cum vicinis necessitudinis vinculum arctius contrahentes, plures Deos recepe-

(1) Cf. Gerritsen ll. pag. 32 et seqq.
(2) Cf. Jud. 1, 27 seqq.
(3) Cf. Jud. 3, 3-6.
(4) Cf. Jud. 2, 13; 3, 7; 7 totum; 8, 31 seqq,
(5) Cf. Jud. 9.

runt; praecipue, quoniam non adeo dissimiles videbantur, seque etiam eorum Deorum, quos honore prosequebantur, tutela frui, putabant (1).

Itaque observandum est, quum in posterum etiam glorientur, se Jehovae cultum non neglexisse, istum sensum religiosum non esse nisi inanem superbiam, et vanam gloriam ex communi orientalium cogitandi ratione explicandam (2). Primus Samuel, dein Davides cultum Jehovae quidem restaurare, et tanquam unica populi sacra constituere conabantur, sed Hebraeorum ad idolorum cultum propensionem immutare non potuerunt. Cananaeorum reliquiae cum Hebraeorum gente interim mirifice numero accreverant; alii Hebraeorum sacris quidem adhaerebant, et summos etiam magistratus gerebant (3), alii vero iique plurimi patriam religionem profitebantur; urbes nonnullas soli Cananaei tenebant, eorumque ingentem numerum Salomo opificiis, quoniam Israelitis peritiores fuisse videntur, adhibuit (4).

Non igitur mirandum est, idolorum cultum post Salomonem rursus invaluisse, sub cujus imperio ejus studium tantopere fovebatur; praeterea instituta Jerobeami viam muniverant ad illum cultum eo facilius introducendum (5). Lex Mosaica

(1) Cf. Jud. 10, 6.
(2) Cf. Muntinghe ll. VII. pag. 33.
(3) Cf. 1 Reg. 9, 20, 21 cl. v. d. Palm ad h. l. Hamelsveld ll. III., pag. 44 seqq. Hess. ll. VIII, pag. 114 seqq.
(4) Cf. Jahn ll. I, 1 pag. 146.
(5) Cf. Jahn ll. III, pag. 141 seqq.

nondum eam vim habebat ad talia prohibenda; Israelitis denique cum vicinis arctior necessitudo intercesserat.

Omri probe perspiciebat, foedus, quod Jerobeamus cum Aegyptiis inierat, et sacrorum imitatione confirmare studuerat, si tunc adhuc obtinuerit, regno Israelis non ita profuisse, ut omnes speraverant; nec mirum est, foedus Aegyptiorum, Jerobeami familia exstirpata, magnam partem infractum fuisse. Omri igitur, quo magis se in sua dignitate tueretur, cum Phoenicibus societatem fecit. Quam quo arctiorem redderet, et simul vinculo, quod rumpi non posset, suum populum cum his connecteret, exemplum Jerobeami secutus est. Sacra Phoenicum recepit, atque ita utramque gentem sacrorum communione conjunxit (1). Permultis ex Phoenicibus, qui in ipsius ditione habitabant, et huc mercaturae causa migraverant, hoc procul dubio mirifice placebat. Insuper filio suo in matrimonium dedit filiam regis Tyriorum, Isabelem, cujus pater Ithobalus, ipse templi Astartes summus sacerdos, jam imperii erat potitus (2). Cui, quum castae suae imprimis faveret, etiam optima quaeque praesidia aderant, quibus sua auctoritate cultum Baalis apud Israelitas rite constituere poterat. Ab hoc inde tempore, ut Seldenus (3) ait, cultus Phoenicum in regno decem tribuum viguit. Achabus, ab Isabele incitatus, Samariae splendidum templum exstruxit in honorem

(1) Cf. 1 Reg. 13, 25, 26, cl. v. d. Palm et Rosenmüllerus ad Mich. 6, 16.
(2) Cf. Josephus contra Apionem I. 5, 18.
(3) Seldenus de Diis Syris, II. Cap. 1.

Baalis, sive Herculis, ut Graeci dicere solent (1): quo condito caput regni etiam caput fiebat religionis. Huc Israelitae se conferebant ad sacra perficienda, ad festa celebranda, ad sacra convivia habenda, ad Deum honore afficiendum, osculandum (2) et muneribus donisve sibi conciliandum. Quam studiose istum cultum prosecuti sint Israelitae, ex eorum historia et optime ex Prophetarum scriptis patet. Sacerdotum et Prophetarum agmen erat maximum (3), ipsum templum splendidum et augustum, simulacra ex auro argentoque confecta, pretiosisque vestibus induta, vasa artificiose sculpta, templi thesaurus ingens, dona, huic ornatui luxuriose accommodata, permulta, eo imprimis tempore, quo populus divitiis et mercaturae studio florebat (4): convivia etiam memorantur profusa, splendida, omnibus deliciis abundantia, quibus intemperantia praeërat (5). Denique, si universum cultum auctoritate reginae, ejusque adulatorum tam diu sustentatum, iisque sacris omnes principes faventes videamus, porro, si attendamus ad octingentorum quinquaginta sacerdotum, Prophetarumque numerum, ab ipsa Isabele publicis sumtibus altum, quid amplius obstat, quin Baalis cultum civitatis religionem agnoscamus? Ac jam, quod ad ipsam religionem attinet, Israelitae similem nunc cultum

(1) Cf. Bochartus in Phaleg, pag. 708 seqq.

(2) De osculandi more cf. Michaelis et Rosenmüller ad Hos. 1, 32. De Festis cf. Hos. 2, 11, 13.

(3) Cf. 1 Reg 18, 19.

(4) Cf. Rosenmüller ad Mich. 1, 7.

(5) Cf. cl. v. d. Palm ad Hos. 3, 1.

habebant, atque omnes vicini populi. Solem et Lunam omnes adorabant; habebantur rex et regina, qui astris tanquam exercitui imperarent; Ammonitae Solem, nomine *Milcomis*, vel *Molochi* (id est, *regis*) Moabitae *Chamosi*, Syri *Rhinnomis*, Babylonii *Beli*, Phoenices *Baalis*, Lunamque *Astartis* nomine nuncupabant (1). Idem erat omnium et communis Solis Lunaeque cultus, hac de causa dictus *Sabaeismus* (2) aut *Dualismus*.

Cultus Baalis, Isabelis aetate, apud Israelitas jam tam altas radices egerat, ut exstirpari non posse videretur; sub Achabo, Achazia, Joramo florebat. Narratur quidem hic simulacrum Baalis ex templo removisse (3), quo facto regem ipsum non magnopere huic cultui deditum fuisse suspicareris; quod est verosimile (4); templum tamen superat cum omni sacrorum apparatu. Jehu demum regia dignitate vi accepta, falsa proditione et horrenda crudelitate cultum aboluit, omnium ejus cultorum caede pollutus (5). Sub filio vero rursus invaluit (6), et quamvis deinceps vitulorum cultui reges inprimis operam dedisse videantur, tamen perpetuo plerisque cultus Baalis

(1) Cf. cl. Rosenmüllerus ad Hos. 2, 15.

(2) Ab Hebr. צבא. Hoc vocabulo Hebraei indicant *Stellarum multitudinem*; cf. de hoc cultu Jahn. l. c. III, pag. 447 et seqq. et nonnulla apud Volney : *les ruines* caet. pag. 154 et seqq. et Meiners Geschichte der Religion. I Th.

(3) Cf. 2 Reg. 4, 1.

(4) Cf. Muntinghe ll. VII, pag. 72 seqq.

(5) Cf. 2 Reg. 10.

(6) Id apparet ex 2 Reg. 13, 1, ubi legitur vocabulum אשרה; cf. Gesenius Wörterbuch, 1823, in voce.

retinuerunt : quibus passim alluserunt Hoseas, Amos, aliique coaevi scriptores (1).

Quam perniciosum fuerit civitati religionem patriam immutare, jam ex institutis Jerobeami vidimus, sed multo perniciosior erat cultus Baalis introductio. Immutavit prorsus Israelitarum indolem et ingenium, idque necessario fieri debuit, quoniam ipsorum regum erat religio, quos plerique cives sequebantur. Arctior jam quidem erat horum necessitudo cum Phoenicibus; sed eo facilior ad mores eorum et luxuriam transitus (2). Praeterea nunc populi vinculum desiderabatur; Judaei omnes religionem, templum, oraculum commune habebant; Israelitae jam adibant oraculum Ecronis, apud Philistaeos; ubi celebratissimum Baalis fanum fuisse creditur; quod vicini eodem fere modo coluisse videntur, quo Graeci Delphicum Apollinem, quem quamvis variis caeteroquin locis honoratum, omnes hic majore honore prosequebantur (3). Denique populum Israelis quam maxime divisit, et a se invicem abalienavit iste Baalis cultus, et permultorum malorum causa exstitit. Jam enim alii, quamvis pauci, religioni Mosaicae adhaerebant; et Prophetas rerum suarum fautores habebant

(1) Cf. Hos. 3, 1, 4, 32, Micha 6, 16; forte quidem huc referri potest Hos. 5, 1, 9, 15. Cff. laudati interpretes et cl. Rosenmüllerus ad Amos 4, 4, et in prooemio ad Hoseam, pag. 25.

(2) Cf. Muntinghe ll. IV. pag. 343, Hess ll. VI, pag. 23 seqq., 178 seqq. VIII, pag. 436 seqq.

(3) Cf. 2 Reg. 1, 3.

egregios (1) alii institutorum Jerobeami tenacissimi esse non desinebant; alii ea cum sacris Mosaicis rursus arcte conjungere volebant, et veri Jehovae adoratores haberi, quos graviter imprimus perstrinxere Elia (2) et Hoseas (3); alii rursus Baalis cultus vindices erant acerrimi. Jam alia factio praevalebat, jam alia; Elia auctore, Baalis sacerdotum magna strages edebatur, et cultores Jehovae videbantur superiores; Jehu ejusque posteri factioni suae vicissim favebant. Tales autem factiones ex religionis discrimine ortae, quam fanatico ferantur furore, historia recentior manifestis exemplis docuit (4). Adscendas montem Carmelum, conferas te ad portas Samariae; hic jugulatorum hominum acervos adspicies, et ipsius regiae familiae corpora obtruncata animadvertes. Illic fluvium Kisonis rubefactum videbis, et undas mortuos in mare eructantes. Sed ab hoc theatro potius oculos avertamus; ad Judaeos nos convertamus, et videamus, utrum apud eos laetior religionis et civilis Reip. conditionis facies nos arrideat.

(1) Cf. cl. v. d. Palm ad 1 Reg. 18, 21.
(2) Cf. 1 Reg. 18, 21.
(3) Cf. cl. Rosenmüller ad Hos. 3, 4.
(4) Cf. Erläuterung II. pag. 163 seqq.

§ XVI.

Interna civilis reipublicae Judaicae conditio. Lex Mosaica — Religio Mosaica — Idolorum cultus.

Lex Mosaica apud Judaeos civitatis fuit norma, vel constitutio, ut vocant recentiores. Nonnunquam quidem a regibus, qui falsam adhibebant jurisprudentiam, negligebatur, et interdum abrogata fuisse videtur; mala, quibus tunc regnum Judaicum afflictum sit, non fuere minora iis, quae experti sunt Israelitae; sed perpetuo reges fuerunt, qui neglectam legem restituerent, suisque institutis confirmarent. Posterioribus temporibus, quibus Judaei penitus eam neglexerunt, et ipsa in contemtum abiit, ipsum hoc regnum tantopere debilitatum, omnique firmitate privatum est, ut tandem hostium, cum vicinorum, tum exterorum praeda fieret.

Omnia Judaeis in promptu erant, ut supra vidimus, quibus legis Mosaicae instituta optime tueri et perpetuo retinere potuerunt. Templum habebant religionis praesidium, religionem civilis legis Mosaicae vindicem; eaque religionis cum civitate conjunctio, maximum illud cujusque civitatis munimentum Judaeorum civitati tantas vires praebuit. Templum Salomoni debebant Hebraei, religionis restaurationem Davidi; utriusque institutis inprimis fruebantur Judaei, eorumque fructus laetissimos percipiebant. Exemplum Davidis regibus praesertim optimum perpetuo erat incitamentum, optima norma ad

quam imperium suum administrarent. Viderant sub eo filioque praeclaro remp. mirifice floruisse; viderant Davidis tempore populum felicitatem debuisse legis Mosaicae et cultus Jehovae observantiae; viderant, quam facile sub Salomonis imperio luxuria oriri posset ex nimio vicinorum populorum imitandi studio, quam vehementer haec noceret integrae cultus et civitatis conditioni, quam misere, patriis institutis neglectis, mutua populi necessitudo interiret. Atque utinam omnes reges haec semper in memoriam revocassent; legem Mosaicam profecto observassent, eamque tantum temporis opportunitati populique conditioni accommodassent; et sapienti experientia edocti, si opus fuisset, Salomonis et Davidis vestigiis insistentes, prudenter legis consilium, non verba, secuti fuissent: quis dubitet, an hac ratione optima in omnium animis studia fovere, patriae amorem apud alios resuscitare, apud alios excitare potuissent? Pacis tempore, sapientibus institutis, praestantissimis Davidis aliorumque scriptis, populi indolem et characterem conservare, hymnis sacris pristinarum rerum memoriam revocare, iisque omnibus non tantum cohibere optime potuerunt, quominus populus ista nefanda perpetraret, sed etiam, ut bonorum vestigia ingressi, omnes legis Mosaicae studio, religionisque amore imbuerentur, et rectam utriusque intelligentiam compararent. In bello, quam vim habere potuissent ea carmina recensendis heroum factis ad militum animum corroborandum, eosque invicta fortitudine replendos: sacri cantus, sacri soni, quid efficere potuerint, optime testari potestis, Spartani cum Tyrtaeo duce in Messenios irruistis! Quem belli ardorem vobis injecerunt ejus carmina, quae virtutem, patriae

et gloriae amorem, mortisque contemtum spirabant! merito profecto Horatius dixit :

> « Tyrtaeusque mares animos in Martia bella
> « Versibus exacuit (1). »

Jam credimus, quomodo factum sit, ut Judaei toties tam splendidas victorias reportaverint; nota est clades qua Abia Israelitas affecit; nota Asae victoria de Cuschaeis, nota Josaphati de ingenti Moabitarum, Ammonitarum, aliorumque sociatorum exercitu. Eam vim habebant carmina illa, quae heroum facta, quae pristinas bonorum et fortium res gestas, aliaque, quae populo vehementer placebant, tam eleganter explicabant et ad haec exempla imitanda incitabant. Verum et nos sonorum carminumque suavitas a nostro proposito fere abduceret, quum jam satis persuasum sit de legis Mosaicae vi in Judaeorum statum civilem (2).

Erat plerumque resp. ad normam civitatis rite constitutae conformata; novimus regiam dignitatem, non absolutam, sed terminis circumscriptam. Rex, quum imperium aggrederetur, jurare debebat, manibus legum codici impositis (3). Casta Levitarum regiae dignitatis vindex (4), etiam sacrorum erat antistes, eorumque summus, Pontifex maximus, post regem primarius in civitate vir. Judiciorum rationem sapientibus

(1) Horatius Art. Poet. v. 402.
(2) Muntinghe H. VII, pag. 65.
(3) Cf. 2 Reg. 11, 12. 2 Chr. 23, 11.
(4) Cf. 2 Reg. 11; 2 Chr. 23.

institutis legibusque constitutam, agriculturam non neglectam, et sacra, omni splendore peracta, animadvertimus. Exterorum cultus, quamquam interdum introductus est, nunquam civitatis religio fiebat, nisi iis temporibus, cum et ipse populus corruptus interitum suum praepararet.

Primum videamus de vitulorum cultu. Rehabeamus, quanquam Mosaicae legis et religionis vindex fuerit, tamen aliorum Deorum venerandorum veniam concessit, quibus annumeranda videntur sacra, quae Jerobeamus instituerat (1). Fortasse quidem fecit eo consilio, quo acrius illi resisteret; documentum profecto aemulationis, non sapientiae ! Infirmum et inconstans Rehabeami ingenium talia tolerare, non cohibere potuit : sine dubio populus a Salomone corruptus, nondum emendatus erat, nec propensionem ad idololatriam mutaverat; Naama, Ammonitis, mater ejus (2), et Maacha inprimis, omnium uxorum dilectissima, ad haec perficienda certe non defuit (3). Nimis acriter forte Regum scriptor Rehabeamum perstrinxit (4); acute saltem Chronicus *legem*, inquit, *Jehovae reliquit* (5) : et egregium profecto est ejusdem effatum (6), *reperiebantur adhuc inter Judaeos bona quaedam*, id est : bona in civitate et rebus sacris instituta (7).

(1) Cf. Erläuterung, pag. 151.
(2) Cf. 1 Reg. 14, 21.
(3) Cf. 2 Chr. 11, 22.
(4) Cf. 1 Reg. 14, 22-24.
(5) Cf. 2 Chr. 12, 1.
(6) 2 Chr. 12, 12.
(7) Cf. Muntinghe ll. VII., pag. 25, et in annot. 25. Hess. ll. IX, pag. 60.

Vitulorum cultus certe introductus est posterioribus temporibus; non enim improbabile est, Joasum, regem Israelitarum, postquam splendidam de Judaeis victoriam reportaverat, in regnum Judae, quod paululum temporis tenuit, quo melius hoc sub potestate retineret, vitulorum cultum introduxisse, ut communia utrique regno sacra redderet (1). Berseba, ultimus fere regni Judaici terminus, apud Prophetas ejus cultus sedes fuisse fertur, et Israelitae perstringuntur, quoniam Judaeos ad sua sacra peragenda traducere conati fuerant (2). Judaei per aliquod temporis intervallum istum cultum quoque retinuisse videntur (3), eoque facilius eo fortasse perduci potuerunt, quoniam antea cum Israelitis diutius foedere fuerant conjuncti. Lachis enim, urbs in confiniis ditionum Ephraimitarum sita, Betheli vicina, facile hac labe contaminari potuit, suaque contagione reliquas Judaeorum urbes polluere (4); His si addamus matrimonia, quae sine dubio cives utriusque regni inierunt, aliasque opportunitates, aliter fieri non potuit, quin a nonnullis etiam Israelitarum instituta recepta sint (5).

Neque defuerunt Judaei adsumendis Phoenicum sacris; cui rei ansam dederunt et arctior necessitudo cum iis, aliisque vicinis populis, et societas cum Israelitis, et ipsa Judaeorum in-

(1) Cf. 2 Reg. 14 et 2 Chr. 25.

(2) Cf. Amos 5. 5 et 8. 14.

(3) Hujus vitii eos coarguit Hoseas; cf. Rosenmüller ad Hos. 4, 15 et ad caput 5 et 6 passim.

(4) Cf. Rosenmüller ad Mich. 1, 13; verum is locus, cum de vitulorum tum de Baalis cultu accipi posse videtur.

(5) Cf. Erläuterung p. 172 seq.

doles, quae his aeque atque Israelitis talia sacra commendabat.

Paulo post regnum Salomonis scissum indefinita fere Maachae auctoritate una cum religione Mosaica cultus etiam Baalis et Astartes introductus est : quo tempore, ut videtur, potius reginae, ejusque sectatorum, non universi populi religio fuit (1). Recensentur enim obelisci in honorem Solis exstructi, qui in templo conspiciebantur. Ejusmodi quoque Samariae reperiebantur (2), neque Tyri desiderabantur, ubi Hiramus aureum obeliscum posuerat (3). Eosdem Maacha habebat (4). Annos LXVI postea Jehoram, filius Josaphati, sacra Phoenicum rursus introduxit, uxoris Athaliae stimulis agitatus. Nec mirum : erat haec filia Achabi et Isabelis; quorum vestigia pressit. Rege enim mortuo, imperii administrationem suscepit, et haec sacra, quamdiu vixit, per XVI inprimis annos, inter Judaeos servavit. Ac jam Hierosolymis, ubi templum perpetuo sedes manserat cultus Mosaici, qui tunc in magna Jojadae auctoritate vindicem adhuc habebat acerrimum, templum etiam conspiciebatur Baalis cum omni apparatu, sacerdotum agmine, cui praeerat Matthan, summus sacerdos (5). Sub Joaso et Amazia publice cultus iste admittebatur (6). Hic vero opinione,

(1) Cf. 2 Reg. 15, 11-15, ubi rursus occurrit idem vocabulum אשירה, de Astarte intelligendum; cf. supra.
(2) Cf. 2 Reg. 10, 26.
(3) Cf. Josephus contra Apionem I, V. 18.
(4) Cf. 2 Chr. 14, 5 cl. Rosenmüller ad Levit. 26, 30.
(5) Cf. 2 Reg. 8, 16-29; 11 totum, et 2 Chr. 23.
(6) Cf. 2 Reg. 12, 1-22; 2 Chr. 24, 1-27.

tunc temporis inprimis praevalente, perductus, Edomaeorum sacra introducere conabatur, sperans fore, ut hac ratione eos facilius subactos tenere possit, eorum Deorum gratiam sibi concilians (1). Fortasse quidem hoc instituto Judaeorum cum Edomitis commercio se optime prospexisse, arbitratus est.

Multo pejus praeterea fecit Achasus, qui jure omnium Judaeorum regum pessimus vocatur: contemtor legis Mosaicae, omnia ad suum arbitrium fecit, et tyrannus temerarius imperium suum exitio propius admovit. Cultum Baälis cum omni splendore non tantum restituit (2), verum etiam eodem furore, quo Amazia ferebatur, consilium sumsit, religionem Mosaicam et omnia ejus sacra, quin etiam templi apparatum, quoad ejus fieri posset, ad Syrorum rationem redigendi; populum imitans, prorsus fere ab Assyriis devictum (3). Itaque aram ad exemplum altaris quod Damasci viderat, faciendam curavit, et in prioris locum reposuit. Sed brevi forte perspiciens, id commode fieri non posse, templum ipsum tandem clausit, et novum exstruxit, Rhinnomi accommodatius, ejusque religione dignius (4).

Regnum Judaicum jam omni vinculo destitutum, discordiis per hoc tempus dilaceratum fuit; quibus accedebant bella externa cum Edomitis et Philistaeis, qui incursionibus suis omnia destruere minitabantur. Bella cum Israelitis, Syrisque tunc

(1) Cf. 2 Reg. 14, 1-22. 2 Chron. 25, 1-6; Michaelis ad Jesam. 49, 15.
(2) Cf. 2 Reg. 16, 3, 4.
(3) Cf. Jahn. ll. II. 1, p. 168, III p. 145.
(4) Cf. 2 Chr. 28.

Judaeis tam gravia erant, ut ad externum auxilium confugere cogerentur; templi thesaurus et regiae divitiae vix sufficiebant huic implorando, quo a periculo imminenti liberarentur. Hac mercede sola adjuvantur ab Assyriis, ut hi tributarii fierent, qui, everso regno Israelis, brevi et Judaeis exitium paraturi esse videbantur. Nunquam ad tantas angustias redacti erant; Rehabeamus quidem Sisaci impetum perpessus erat, Jehoram Philistaeorum et Arabum invasionem, qui, captis Hierosolymis, regisque filiis occisis, mulieres ex gynaeceo captivas abduxerant, et magnam praedam fecerant (1). Hujus imperium defectione Edomitarum debilitatum erat, bellis perpetuis, quae Josaphatus jam inchoaverat, exhaustum, et Athaliae tyrannide afflictum, maxima damna acceperat. Joas quidem, Syrorum bello resistere non potuerat, et ipse et Amazia abalienatum populi animum, conjuratorum vi interemti, experti fuerant; verum non umbram referebat conditio regni Judaici, quae his temporibus obtinebat, eorum malorum, quibus sub Achaso vexatum est. Unde igitur hae calamitates repetendae sunt in regno, ubi dixeris religionem Mosaicam civitatis normam fuisse? Orta sunt ex perversa regum istorum jurisprudentia, qui secundum arbitrium agebant, qui ipsius civitatis rationem nullam habebant, voluntatem tanquam legem considerabant. Eadem prorsus animadvertimus damna, quae apud Israelitas, eaque eo videntur graviora, quo magis differant a regni conditione sub eorum regum imperio, qui civitati nullo modo melius se prospicere posse existimabant,

(1) Cf. Jahn. ll. II. 1, pag. 171. Muntinghe ll. VII, p. 74 seqq.

quam, si secundum sapientia legis instituta eam administrarent et universum populum sacrorum communione, tanquam arctissimo vinculo, connecterent. Hac ratione factiones supprimere, et omnibus commune commodum, patriae salutem, curare potuerunt.

Ex tabula autem, quam supra exhibuimus, quae multorum regum facta ostendit, qui male de regno suo meriti sunt, merito aliquis conjiciat, mirandum esse, regnum Judae cum Israelis non una fuisse eversum. Id vero tenendum est, instituta Mosaica nunquam suam vim amisisse, semper cum Idolorum cultu fuisse retenta, et non, nisi ad finem vergente Achasi imperio, fuisse abolita, certe auctoritate mirifice imminuta. Praeterea apparet internum regni robur tum majus adhuc fuisse, quam quis caeteroquin putaret. Bellis civilibus nondum, ut apud Israelitas penitus enervatum, et legis institutis perpetuo sustentum et restauratum fuerat. Cantus sacri efficaciam, in bello Amaziae cum Israelitis animadvertimus (1), sed inprimis ex felici Asae et Josaphati imperio, Josadae auctoritate, et Ussiae, Jothami, et Hiskiae meritis, legis vim conspicimus. Asa patriorum institutorum tenax, Baalis cultum abrogavit, fanum et Idolum matris evertit; vestigiis Davidis insistens, labefactatum regnum restituit, Jehovae cultum cum omni splendore restauravit, sacerdotum ordinem ad pristinam dignitatem reduxit, templum renovavit; nec populum omni institutione destitutum reliquit (2). Egregium documentum felicis

(1) Cf. 2 Chr. 13, 1-23.
(2) Cf. Hess ll. IX, p. 82 seqq. Jahn. ll. p. 169. 2 Reg. 14 et 15. 2 Chr. 13 et 14.

ejus per XLI annos imperii est victoria de Cuschaeis, et civium numerus mirifice auctus, qui quantopere regni splendorem indicet, Romanorum scriptores optime intellexerunt, auctum vel imminutum incolarum numerum, quibus Roma frequentata erat, passim recensentes.

Josaphatus patrem pietate et prudentia etiam superavit; non modo ejus instituta confirmavit, sed suis praeceptis populo insuper commendavit, et cultui externo majorem splendorem addidit : quae pater perficienda reliquerat, filius perficere conatus est. Sacerdotes et Levitas populum docere jussit legis Mosaicae instituta, quae tunc unica doctrina alicujus momenti habebatur, quae etiam omnia continebat, populo scitu necessaria. Scholas praeterea instituit, ubi fortasse alia quoque scripta Salomonis vel Davidis a doctoribus explicabantur. Sapienti instituto ipse rex imperium peragravit, omnia perlustravit, et dein Judiciorum rationem conformavit, minora Judicia posuit, et insuper summum instituit concilium, a quo causae majoris momenti dijudicarentur, quod omnibus minoribus praeesset (1). Talia instituta in oriente eo utiliora et magis necessaria existimari possunt, quo graviora delicta saepius perpetrentur, et ad principum arbitrium causae litesque plerumque componantur. Rem militarem emendare aggressus est, non eo consilio, ut bella gereret, sed hostium impetui resisteret. Salomonis instar pacis amabat, et eodem nomine non indignus fuisset: felix ejus imperium in civium accrescenti numero conspicuum erat.

(1) Cf. Michaelis et cl. v. d. Palm ad 2 Chr. 19, 5.

Philistaei et Arabes tributum pendebant gravissimum (1). Externam denique imperii salutem foederibus et mercatura augere conatus est; notum est pactum cum Achabo, cum Joramo, cum Achazia, eo consilio initum, ut belli societatem et mercaturae commercium constituerent (2); quod utramque regiam familiam affinitate conjunxit (3).

Potentissimum igitur hoc tempore fuit Judae imperium, et potentius videbitur, si debilitatam regni Israelis conditionem cum hoc comparamus (4). Sub Athalia rerum facies prorsus est mutata, et demum post XVI annos Jojada, libertatis Judaeorum vindex, regnum restituit, nomine Joasi templum restauravit, temporum injuria labefactatum, et templi thesaurum amplificandi curam gessit, cultu publico cum omni magnificentia redintegrato.

Ussia vel Azaria regiam dignitatem adeptus, remp. sub Joaso et Amazia vehementer afflictam, restituit; ex legis praecepto agriculturam et rem pecuariam, Judaeis maxime salutarem, ad meliorem statum adduxit; rei militaris curae imprimis vacavit. Victoriis suis apud vicinos populos Judaeorum nomen nobile reddidit, imperii finibus ad Arabiam usque Felicem pro-

(1) Cf. cl. v. d. Palm ad 2 Chron. 17, 11.

(2) Cf. cl. v. d. Palm ad 1 Reg 22, 48-50. Muntinghe ll. pag. 67.

(3) Cf. Muntinghe ll. pag. 68. seq.

(4) Cf. Michaelis ad 2 Chr. 17, 1.

latis (1). Quod Davides tempore minus opportuno perficere conabatur, Ussia jam perfecit, populo suo militarem quandam speciem dedisse videtur (2). Urbibus muniendis imperium maximopere munivit.

Non minus floruerunt Judaei, sub ejus filio, Jothamo, quum regnum interna potentia et valore mirifica incrementa cepit. Hic templum ornavit (3), Hierosolyma munivit, et Ammonitas, qui antea regno Israelis subditi fuerant, Judaeis tributarios reddidit : quo turbulentiora tunc temporis apud Israelitas, eo magis pacifica omnia apud Judaeos erant.

Laeta igitur fuit Judaicae Reip. facies; gratulamur iis de talibus regibus, eosque felices praedicamus, eoque feliciores, quum regem post XVI annorum intervallum adepti sint, qui tyranni insipientiam sapientia, insaniam prudentia restituerit. Atque is fuit Hiskia; imperium a patre accepit Assyriis tributarium, omnibus opibus fere exhaustum, omnique necessitudinis vinculo carens : haeredium profecto non gratum, nec jucundum! Sed Hiskia vir audax, fortis, prudens, sagax, is fuit, qui civitatis aedificium ex tanta ruina restaurare posset; dignus erat, qui prae ceteris Davidis filius nominaretur, Syrorum sacra, omnemque externum cultum aboluit; templum cum omni ap-

(1) Cf. Michaelis ad 2 Chr. 26, 6-8.

(2) Cf. Michaelis Mosaisch. regt III, pag. 217 seqq. Cf. Grotius, Michaelis et cl. v. d. Palm ad 2 Chr. 26, 11-15.

(3) Cf. 2 Reg. 16, 35. 2 Chron. 27, 3-5.

paratu restituit, et festa majora magnifice celebravit. Quo melius legis notitiam inter populum propagaret, etiam Davidis, Salomonis aliorumque scripta populo commendavit (1); quin imo, ne horum quidem aliquod detrimentum gens pateretur, proverbiorum libellum quemdam, a Salomone Aramaea lingua conscriptum, vertit, et Proverbiorum volumini adjecit (2). Optimis his institutis adjunxit victoriam de populis finitimis reportatam, gentem ab Assyriorum jugo liberatam, urbem regiam munitam et ornatam, quibus omnibus tantam apud exteros famam adeptus est, ut rex Babyloniae legatos mitteret, ad foedus cum eo ineundum.

Videtis laudabilia regum Judaeorum facta, laudabilia eorum instituta; jam intelligitis, quo modo factum sit, ut regnum Judae diutius persisteret, quam regnum Israelis: apud illos antiqua religio, antiqua instituta, populi indoli accommodata valebant; novis iisque sapientibus additamentis aucta, confirmata erant; justitia et religio civitatis fundamentum, prudentes reges reip. salutis vindices. Ita Judaei fructus perceperunt laetissimos civitatis bene ordinatae, summaque usi sunt felicitate, quam Ulysses tam eleganter depingit, Penelopen alloquens (3):

ὥστε τευ ἢ βασιλῆος ἀμύμονος, ὅστε θεουδὴς
ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων
εὐδικίας ἀνέχῃσι· φέρῃσι δὲ γαῖα μέλαινα
πυροὺς, καὶ κριθάς, βρίθῃσι δὲ δένδρεα καρπῷ,
τίκτει δ' ἔμπεδα μῆλα, θάλασσα δὲ παρέχει ἰχθῦς
ἐξ εὐηγεσίης· ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτοῦ.

(1) Cf. Muntinghe ll. VII, pag. 105, Jahn ll. pag. 186 seqq.
(2) Cf. cl. v. d. Palm ad Proverb. 25, 1.
(3) Homeri Odyss. T. 109-113.

Eadem prosperitate deinceps fruebantur Judaei sub Josia, qui regnum suum rursus ab interitu amovit. Nam filius Hiskiae, Manasse, cultum Phoenicum cum omni splendore restituerat, et templum istis sacris contaminaverat (1). Arctior Judaeorum cum Babyloniis conjunctio eorum superstitionem etiam traduxisse videtur. Ab Assyriorum dominatione, cui regnum Judaicum iis temporibus rursus succubuerat, Josia populum liberavit, et, quo infirmius Assyriorum imperium factum erat, mortuo Asarhaddone, eo potentius jam evasit Judaeorum regnum, quod tunc quoque X tribuum ditionibus constabat, cujus incolis Josia eadem, quae inter Judaeos constituerat, instituta tradidit. Cum Babyloniis, paulatim magis magisque invalescentibus, amicitiam colebat; et mors Josiae immatura tantum effecit, ut salutaria ipsius instituta cum ipso quoque interirent; quo factum est, ut calamitatibus non amplius Judaei resistere potuerint, quae jam regno imminebant. Certamen Assyriorum et Aegyptiorum pertulerant, quamvis medii inter utramque gentem siti; cui contentioni succubuerat regnum Israelis : jam vero ex certamine Aegyptios inter et Babylonios integri exire non potuerunt. Utrarumque partium ludibrium facti, utriusque dominium perpessi sunt, jam Aegyptiis, jam Babyloniis faventes; regnum Judaicum tunc quoque civitatis integritatem amiserat, et incolae Judaei esse desierant : sacris vicinorum et remotiorum populorum receptis, alii Aegyptiis, alii Phoenicibus, alii Chaldaeis similiores red-

(1) Cf. 2 Reg 21, 3 seqq.; ubi notanda est loquendi formula צבא השמים *Exercitus coelorum* : cf. supra.

diti erant. Conspicias imperium Joachasi, Jojakimi, Jojachini, Zedekiae; inspicias istorum temporum annales, adeas Prophetarum hujus aetatis scripta, vel potius ad montem Sionem tendas, templum intres; ibi Baalis simulacrum, Beli Idolum, Aegyptiorum sacra una adspicias (1). Sacerdotum ordinem, Levitarum familiam, si ipse interroges, muneris ignaros animadvertes, officiique immemores, imo Idolorum ministros, aliorum Deorum sacra peragentes (2): quid plura? agnovimus imperium Judaeorum, exitio proximum, Babyloniorum imperio subactum et perpetuis bellis tandem deletum.

Quae cum ita sint, exemplis vidimus, legis et religionis Mosaicae neglectu periisse regnum Judae et Israelis; illud patriorum institutorum tenacissimum, plus quam saeculum postea adhuc perstitisse, hoc illorum abrogatione multo antea eversum, et, cum existeret, omnibus malis obnoxium fuisse, quod quo magis appareat, jam conspiciamus regiminis formam.

§ XVII.

Regimis forma apud Israelitas.

In disputatione de civili reip. conditione primum quidem ipsa civitatis instituta in censum veniunt, verum etiam regiminis forma, id est: regum, principum, aliorum potentia,

(1) Cf. inprimis Jahn. ll. III. pag. 147 seqq.
(2) Cf. cl. v. d. Palm ad Jer. 2, 8, 23 28 et Michaelis ad Jer. 7.

qui populo praesunt, eorumque institutorum vindices existimantur.

In omnibus civitatibus, sed orientalibus inprimis attendendum est ad viros principes, qui imperium teneant; Israelitae et Judaei ab hac parte inprimis considerari merentur; quare hunc locum destinavimus ad Reges, Seniores, Prophetas et Sacerdotes accuratius cognoscendos propter sacrorum cum civitate necessitudinem.

Reges Israelitarum, ut ex dictis sponte sequitur, potestatem habuerunt nullis finibus circumscriptam; fuerunt fortasse ad exemplum Jerobeami supremi sacrorum antistites, quamdiu vitulorum cultus principatum obtinuerit, quamvis ob monumentorum penuriam non constat. Justinus quidem haec affirmat (1): *hic*, inquit, *mos semper apud Judaeos fuit, ut eosdem reges et sacerdotes haberent;* verum quis in talibus Justinum aptum judicem existimet? cum ipsius populi annales non testentur et Josephus, qui multo ante vixit, ipse Judaeus, eos tantum fontes consuluisse videatur, qui hodie supersunt; paucis fortasse antiquioribus monumentis exceptis. Praeterea utrum hic Israelitas an Judaeos intellexerit Justinus, non apparet; sed liquet, eum locutum esse de principibus Assamonaeis (2). Accuratius dicere videmur, Israelitarum reges eosdem et summos exercitus praefectos fuisse, quod ex militari imperii forma conjiciendum est. Eos inprimis intelligimus,

(1) Lib. 36, cap. 2.
(2) Hic forte quodammodo valet observatio Montesquivii ll. pag. 252 seqq.

qui ab exercitu reges creati sunt; apud alios, Achabum verbi gratia, hominem non profecto bellicosum, maximam in civitate dignitatem habebat exercitus praefectus, qui idem primarius in civitate vir fuit. Abnerus autem sub Saule et Joabus sub Davide (1) jam exemplo docuerant, quam perniciosa reip. et ipsis regibus indefinita talis praefecti potestas fieri possit. Regia dignitas a populo quidem Jerobeamo oblata fuit, sed non ejus familiae in perpetuum concessa videtur: quam tamen, ut sibi vindicaret, ante obitum filium suum Nadabum imperii socium accepit; quem, Davidis exemplum secutus, a populo regem agnosci cupiebat, et tanquam legitimum, unicum, et verum regiae dignitatis haeredem considerari. Verum tunc Jerobeamus reliquas tribus tantopere a se jam abalienasse videtur, successoribus specie relicta principis, qui omnia ad arbitrium perfecerat, et tantum suam dignitatem tuendam curaverat (2), ut Issascharita quidam conjurationem iniret, cui conjurati non defuerunt ad consilium perficiendum. Fervidum Israelitarum ingenium, rerum novarum cupidissimum, talis hominis molimina libenter fovebat; eodemque animo iterum alium sectabatur, a quo majora insuper emolumenta se percepturos esse credebant; quare Israelitarum historia potius regum quam populi fatorum est enarratio (3).

(1) Cf. Hess ll. VIII, pag. 37 et cl. v. d. Palm ll. X, pag. 161, 171 seqq. 185 seq. XI, 192 seq. 213, 218, XII 57 seq.

(2) Cf. *M. le comte de Segur, Histoire universelle ancienne et moderne*, 1821, *tome* 3, *page* 304.

(3) Cf. cl. v. d. Palm XIII, pag. 11.

Vix mortuus erat Jerobeamus, cum Baeza, praefectus exercitus, imperium occuparet, et rex Israelitarum agnoscere, occisoque Nadabo, qui ipse suos non gubernare, vicinos tamen debellare volebat, tota regia stirps interiit. Videtis igitur, jam regni initio regiam dignitatem ab alio vi occupatam, cujus causa erat sola indefinitum jus successionis ab altera in alteram tribum translatum, quod deinceps saepius factum est.

Baeza regiam dignitatem adeptus, confestim regni sedem transtulit, et, ut perpetuo exspectare poterant, alia instituta, alias leges introduxisse et nova jam probatis adjecisse videtur (1). Nihil in oriente frequentius a remotissimis inde temporibus, quam ut jam haec jam illa familia ad regiam dignitatem admoveatur. Nunquam homines, novarum rerum cupidi, desiderantur, cujus exempla jam vidimus sub Davide; hac occasione regum consiliarios et ministros, quos vocant, et summos praefectos munere movent, et bonos saepius cum pravis permutant. Eadem interdum accidunt, si novus rex ex eadem familia ad imperium pervenit, ut Salomo et Rehabeamus; multo vero acrius, si nova familia imperium occupavit, quae omnia adhibet, ad se in dignitate tuendum. Omnes, qui resistant, interficiuntur; turbae oriuntur; discordiae excitantur; dissidia aluntur, et regnum in pejus ruit.

Quae cum ita sint, numerus tantum regum et tempus, per

(1) Cf. Erläuterung pag. 153 seqq.

quod imperii principes fuerunt, testarentur, per se minoribus rerum permutationibus Judaeos obnoxios fuisse quam Israelitas (1). Praeterea, si ad varias dynastias attendamus, eo majus discrimen animadvertemus; revera igitur dicunt, indefinitum jus successionis in civitate Israelis non tantum causam fuisse debilitati regni, verum etiam eam efficaciam habuisse, ut regnum Israelis ante Judaicum everteretur.

Regia dignitas non eum in modum quidem accrescere potuit, ut in meram tyrannidem abiret, vel despotismum, qualem apud Turcas et Persas jam animadvertimus. Ratio hujus rei facile explicari potest : impediebat hoc populi in tribus divisio, singularis cuique tribui adsignata ditio, finibus certis inclusa, et institutis a nullo rege permutandis consecrata; impediebant familiarum principes, qui eadem fere, qua Emiri apud Arabes, potestate antea fruentes, aliquam certe auctoritatem tunc retinuerunt; quam quidem reges imminuere, sed non penitus supprimere potuisse videntur. Castarum ratio apud Indos, Aegyptios, Persas, quamvis aliter constituta, et non terrae finibus, sed vitae ratione tantum distincta, quamdiu integra mansit, cohibuit, quominus regum imperium in absolutam tyrannidem abalienaretur: quanto magis apud Israelitas. Non quidem desiderantur illi, qui, principatum adepti, potestatem suam, quoad ejus fieri posset, explicare studuerint; tunc vero sortem experti sunt, omnibus tyrannis communem. Tribuum et familiarum principes tyrannidem aegre ferentes,

(1) Cf. Erläuterung pag. 158 — et 169 seqq.

istiusmodi vexationes perpeti noluerunt : faventibus nonnullis, conjuratio initur, tyrannus occiditur, et alius in ejus locum creatur; is, altero non melior, brevi e medio tollitur; regia dignitate perpetuo in aliam familiam traducta, aemulatio excitatur; discordiae oriuntur, quae in bella civilia erumpunt, quorum causa unice in non determinato successionis jure est quaerenda. Saepius quoque etiamsi jus illud penes unam tantum familiam sit, propter delicta et ingratum populi animum vel inveteratum in principes odium ista bella ne cohiberi quidem possunt. Nam apud Judaeos quid vidimus? non adeo bella civilia, sed quamvis ex domo Davidis sola reges perpetuo fuerint, nonnunquam eos conjuratione e medio sublatos a populo, qui regiae domus dignitatem oblitus, ad ipsa tantum regum facta attendit; hinc caedes Joasi, Amasiae, Amonis repetendae sunt. Eo facilius erat Israelitis, qui nulli dynastiae tantopere unquam adhaeserunt, regibus, qui violenter imperium occupaverant, et sceleribus se hoc indignos praestabant, munus adimere; quod, quum probe perspicerent, eorum, qui antecesserant, fatis edocti, aliud quid excogitaverunt, ad suam dignitatem servandam regno Israelis perniciosissimum : exercitum perpetuo alebant eo consilio, non ut regnum tuerentur, sed suum imperium; erat quidem aptus ad hoc perficiendum, ad illud ineptus : quo factum est, ut hostibus impares, toties victi sint. Ejusmodi exercitus (*stativi* qui dicitur) passim mentio fit; Zimri praefectus curruum bellicorum (1) Elam, filium Baesae, interficit, qui ipse

(1) Cf. 1 Reg. 16, 9. שר מחצית הרכב.

Thirsae remanens, belli curam demandaverat alteri praefecto Omrio (1) qui cum parte exercitus missus erat ad Gibbethonem, urbem Philistaeorum, obsidendam. Zimrii facinore audito, exercitus (2) Omrium regem creat. Hic, plane Romanorum more, sub Caesaribus usitato, quo tempore milites Praetoriani imperatores creabant, exercitus regem constituit; agnoscimus prorsus militarem regni Israelis formam, ubi imperium ad militum libidinem et arbitrium donatur, quod exspectandum erat ex hoc regum facto (3). Eadem observamus in historia Jehui, praefecti exercitus Jorami (4).

Prorsus alia ratio erat apud Judaeos; hi non exercitum alebant ad regum auctoritatem tuendam, sed ad hostium vim reprimendam. Si Asae, Josaphati, Amaziae, Ussiae, Jothamis instituta consideras, ea sententia confirmatur (5). Praeterea apud hos ex legis praecepto quisque civis ad arma gerenda idoneus, necessitate cogente, miles erat (6). Nonnulli quoque habuerunt cohortem praetoriam, verbi gratia Rehabeamus; sed inserviebat plurimum pompae et ostentationi (7). Athalia ipsa omnino indigebat, ut vitam sibi conservaret (8); ve-

(1) Cf. 1 Reg. 16, 17. שׂר צבא.

(2) Cf. 1 Reg. 16, 15 הקים, et 17 כל-ישראל; Cf. cl. v. d. Palm ad h. l.

(3) Alia hujus militaris imperii formae exempla si quaeruntur, inservire potest locus 1 Reg. 4, 13, ubi post regem primus in civitate vir vocatur *summus exercitus praefectus.*

(4) Cf. 2 Reg. 9, 5.

(5) Cf. 2 Chron. 26, 15 et Michaelis Mos. Regt. III, pag. 220 seqq.

(6) Cf. Michaelis ll. p. 222 — Muntinghe ll. VII Annot. 21, pag. 8 seq.

(7) 2 Chron. 13.

(8) 2 Chron. 23.

rum ratio, quare alii reges eam aluerint, non semper eadem fuit.

Jerobeami exemplum imitati complures Israelitarum reges praeterea alio etiam modo, ut regiam dignitatem in sua familia retinerent, studuerunt; filium regni socium assumserunt. Quod fecerunt Omri, qui IV annos ante obitum Achabum, Achabus, qui duos annos Achaziam, Joachas, qui duos annos Joasum, Joas, qui Jerobeamum XII ante mortem annos imperii administrationis participes reddiderunt (1). Non omnibus aeque felix fuit eventus: felicius saltem hic conatus cessit Josaphato, Joramo, Joaso, Ussiae, Jothamo, Achaso (2).

Quot reges apud Israelitas, tot fere dynastias videtis. Altera alterius instituta abrogabat, aliamque jurisprudentiam adhibebat, regni felicitati perniciosissimam. Joramus, quamvis quidem Achabi filius, ausus est simulacrum Baalis e templo tollere; et, nisi Isabel vixerat, cultum penitus fortasse abrogasset. Jehu, abolito Baalis cultu, sine dubio Phoenices a se abalienavit, permultis ipsorum sacerdotibus interfectis. Foedus cum Judaeis perfide violavit, rege Achazia interemto, fortasse quidem eo consilio, ut regnum Judaicum sibi vindicaret; nam apud Judaeos causae suae propugnatores certe invenerat; non saltem sine causa Joas et Amaziam posterum interfecti sunt (3) cujus caedis auctores fuisse homines, Israe-

(1) Cf. Bosveld *Tydmeter I deel*, pag. 57 seqq.
(2) Cf. Bosveld ll.
(3) Cf. 2 Reg. 11, 20. 2 Reg. 14, 19. 2 Chron. 25, 27.

litarum partibus addictos, non improbabile videtur. Alii denique foedera cum hostibus inierunt regno perniciosissima, Achabus verbi causa cum Benhadado (1); alii cum gravissimo reip. detrimento exteros in auxilium vocant (2).

Vidimus igitur reges Israelitarum non nisi dignitatis suae vindices fuisse, ad quam tuendam omnia excogitabant; adeoque eos magis sibi quam civibus prospexisse; quin imo eos omnia vilia existimasse quae facere sua et factionis interesse perspiciebant: populum tributarium reddere, et regnum hostibus prodere, si modo ipsum se tuituros esse pollicerentur, nihil pensi habebant. Talis fuit Menahemus, qui cum Assyriis ejusmodi foedus iniit, quo facto interitus reip. praeparata est. Populus, et quid mirum? aegre fert; exstat factio Assyriis inimica, altera hostibus favens; inter se contendunt; illa superior evadit, et tributo negato, deficiunt: haec inferior amicorum auxilium implorat, qui libenter rebelles comprimunt, et tandem devincunt.

Ecce delineatio Regum imperii apud Israelitas; est profecto tristissima, causam dedit regni exitio; eodem modo Judaeis, quum tandem reges habuerunt, qui eadem consilia sequebantur, eadem mala experti sunt, quae his quoque interitum paraverunt.

Verum in oriente reges saepius imperium tenent nomine potius, quam re ipsa: adest pleurumque regina, quae totum

(1) Cf. cl. v. d. Palm ad 1 Reg. 20, 33. Michaelis ad versum 35-43 et Mos. Regt. I. § 61, pag. 307 seq.
(2) Cf. cl. v. d. Palm. ad 2 Chron. 16, 9.

regnum administrat, regina mater, ut vocatur; quum rex eo stultitiae pervenerit, ut mulierum lubidinibus indulgens, ex gynaeceo jussa promulget. Quantopere ejusmodi imperium regnum debilitet; quam nefanda, crudelia, horrenda facinora tum perpetrentur, si regni administratio libidinosae mulieri, dilectae regis uxori, eunuchorum satellitio stipatae, demandata sit, facile intelligimus. Evolvas tantum Persarum annales; videbis Atossae, Darii uxoris, molimina; depictam reperies crudelitatem Amistridis, Xerxis conjugis, quae quemque summo horrore percellet, adjutae insuper a Megabyso in movendo tumultu. In bello intestino, Cyrum inter et Artaxerxem Mnemonem oborto, mater Parysatis, Cyro favebat. Quam gravis porro et nefaria erat aemulatio, qua uxor Artaxerxis, Cyro devicto, Parysatin prosequebatur! repletum fuit gynaeceum caedibus cruentis, theatrum crudelissimae saevitionis (1). Vix, inquit, Heerenius (2) regnum perdurare potest, quod foeminarum furore administratur; ubi mulieres in aula principatum tenent, praesertim si interna civilis conditio insuper jam labefactata sit, et fluctuet.

Istius modi reginae potestas, violentia, crudelitas, immanitas, apud Israelitas omnibus partibus adaequata conspicitur. In aula Achabi, prorsus ad orientalium normam instructa, regnabat Izabel, patrem habens, qui, vi et caede throno occupato, furore fanatico agitatus, filiam etiam adjuvit. Sacerdotum agmine instructa, Achabum incitabat; quod disertis verbis

(1) *Heeren Handbuch*, pag. 114, 117, 119, 122 et seqq. 4 Ausgabe.
(2) Cf. ll. pag. 123.

traditur (1). Crudeliter admodum consilium cepit, factionem, quae ipsius moliminibus vehementer obstabat, exstirpandi; jussa dedit, prophetas hujus factionis principes omnes interficiendi (2). Facinus in Nabotum perpetratum novimus. Eunuchorum servitio adjuta omnia commode perficere poterat; filios quibus exequendis Achaziam et Joramum aeque facile atque conjugem adhibebat. Tunc eo magis saeviit, quo latioribus finibus inclusa fuerat ejus auctoritas. Huic allusisse videtur. Regum auctor, cum indefinitam ejus potestatem verbo designat minus usitato (3). Videtis Hierarchiam, in gynaeceo regnantem, quae, si respublicas tali modo moderari cupit, quid cruentius, quid magis horrendum? Ipsa Izabelis filia cum lacte materna eandem nefariam et scelestam indolem acceperat, Athalia, quae Joramo nupta, eadem facinora in regnum Judaicum transtulit. Hic Maachae exemplum sibi propositum habebat (4) et praeterea a matre ejusque familia adjuvabatur. Joramus nomine, ipsa revera regnabat: hujus auctoritate factum est, ut omnes Josaphati filii interficerentur. Eodem consilio, quo Pygmalion Sichaeum interfecerat, eos e medio tollere cupiebat; divitiae alliciebant. Cultum Phoenicum insuper recepit; ita sperabat, fore, ut mortuo Joramo, rege Israelitarum, qui filium non reliquisse videtur, et Izabele, utrumque regnum, suo imperio subjiceretur, et

(1) Cf. 1 Reg. 21, 25.

(2) Cf. 1 Reg. 9, 7.

(3) Cf. 2 Reg. 10, 13, ubi occurrit vox הגבירה cf. Michaelis ad h. l. et Gesenius Wörterbuch in voce.

(4) Cf. Jahn. II. II. 1 pag. 161. Cl. v. d. Palm ad Reg. 14, 21 et 15, 13.

cum Phoenicibus conjungeretur. Quod cum praeter spem evenisset ob Jehui tumultum, consilium cepit totius familiae Davidis exstirpandae, quo liberius regnaret. Ipsa mater, ne liberis quidem suis pepercit; et omnes regis filios interfecisset, nisi Josebae, Jorami filiae, interventus Joasum, tenerum puerulum, dolo isti caedi subtraxisset. Per VI annos sola imperium tenuit; per quod tempus Judaei crudelissimae reginae arbitrio et tyrannidi traditi fuerunt; ipsa aulam suam militum praetorianorum satellitio custodiendam curat (1); Mattam, sacerdos Baalis, cum sacerdotum agmine imperii erat columen. Duravit miserrima ea tyrannis, donec libertatis vindex, Sacerdos summus, Jojada, ipsam reginam interfecisset, et Baalis cultum abrogavisset.

Miram profecto convenientiam offendimus his temporibus inter Israelitas, Judaeos et Phoenices. Hic enim post ingentem multorum regum caedem, caedibus cumulatam, Ithobalus ad imperium pervenerat. Sacerdotum auctoritate et violentia ista facinora mox renovabantur, et dynastia, quae injuria imperium adepta erat, injuria sola regnum retinere potuit (2).

Sed jam satis de sceleribus, quae ex auctoritate reginae, ex gynaeceo regnantis, oriuntur. Videmus Izabelis exemplo, quam perniciosum fuerit Israelitis, quantasque turbas apud Judaeos pepererit; sponte intelligitur, quam infirmum illud fuerit, quod perpetuo fere ita administrabatur.

(1) Cf. 2 Reg. 11, 5, 6. Jahn. II. pag. 174.
(2) Cf. Michaelis ad Chron. 21, 4.

Multis demonstrare, quae fuerit aliorum magistratuum auctoritas, non attinet; at vel sic tamen seniorum potestas consideratione indiget.

Seniorum conventum exstitisse, qui regiam dignitatem quodammodo circumscripserit, negari non potest; qui eo consilio saltem sapienter erat consitutus, ut, principes quippe tribus suae, commoda ejus apud regem curarent, eaque totius populi nomine penes hunc tuerentur. Semper apud Israelitas eorum auctoritas obtinuerat; atque, ut vidimus, ne legis quidem praecepto a regibus promulgato prorsus evanescere potuit. Commune fuisse videtur omnium gentium ejus temporis institutum; saltem, ejusmodi seniorum potestatem apud vicinos populos animadvertimus.

Jam antea, quum Hebraei a pristina simplicitate paulatim descivissent, et vicinorum commercio non tantum humaniores et ditiores facti, verum etiam mores magis corrupti fuissent; divitiae majorem etiam vim adeptae erant, quam aetatis ratio; et quamvis ditiores potius quam seniores nominari mererentur, tamen seniorum nomen usu tritum et pervulgatum mansit (1). Iste mos apud Judaeos hoc tempore in dies magis invaluit; verum apud Israelitas inprimis, quorum major morum corruptela id per se efficeret, necesse erat. Ita factum est, ut homines avari, et novarum rerum cupidi, magnam in rep. vim nacti sint; sed simul hac ratione eorum auctoritas cum dignitate decreverit.

(1) Cf. Hess ll. VIII, pag. 89 seq. Cl. v. d. Palm ll. XII, pag. 16 seq.

Jerobeamum antea regem constituerant seniores; ejus vero successores seniorum rationem in jure successionis nullam habuerunt. Videntur habitasse Samariae; nam alioqui non explicari potest, quomodo factum sit, ut Achabus tam cito eos convocare potuerit (1). Idem Rosenmüllerus suspicatur; *in monte*, inquit, *Samariae et aula erat*, *et*, *uti credibile est*, *summus tribuum senatus* (2). Ex historia Jehui praeterea comprobatur haec sententia, ex qua simul regis erga illud concilium reverentiam novimus. Fingit Jehu, se eorum dignitatis summam rationem habere : caedibus totius regiae familiae nondum contentus, eos jussit, septuaginta Achabi posteros, qui Samariae adhuc degebant, interficere; quo facto ostenderent, se ipsum, Israelitarum regem, agnovisse; sin negarent, armis ad officium suum ipsum se eos redacturum esse minitabatur; acerbe invitat eos ad aliquem ex ipsorum ordine regem creandum; annunciat identidem, se exercitum habere. Seniores obtemperant, minis deterriti, Samariae portas aperiunt, ejusque jussu capita interfectorum, canistris imposita, tradunt. Jehu ad urbis introitum in terram haec effundit; ipse rex scelere ante alios immanior, inter duos capitum acervos ingreditur, ut populum crudelitate pavorem injiceret. Tyrannus, rebus suis adhuc diffidens, novam cladem cogitat; et tunc non tantum eos, qui cum rege aliqua affinitate erant conjuncti, verum etiam omnes magnates, seniores, amicos, ministros, cunctos denique, qui unquam Achabi

(1) Cf. 1 Reg. 20, 7.
(2) Cf. ad Amos 6, 1 pag. 167.

partibus addicti fuerant, jugulat (1). Ea erat seniorum auctoritas. Praeterea hi in prophetarum scriptis perstringuntur tamquam homines perditi, delicati, ad horrenda quaeque perpetranda parati.

De sacerdotum auctoritate multa dici possent, nisi ex dictis jam pateret, qualis fuerit. Sacerdotum ordo ex instituto Jerobeami profecto non illustris fuit : donec vero vitulorum cultus principatum obtineret, jam major jam minor fuisse videtur; minor certe sub Omrii dynastia, major sub Jehui, ejusque posteris. Amaziam novimus, qui apud Jerobeamum II magna satis auctoritate fruebatur (2); tempore bellorum civilium omnem modum excessit.

Postquam Baalis cultus introductus erat, maxima fiebat Baalis sacerdotum potestas; quemadmodum apud Phoenices, ita etiam apud Israelitas regiae dignitatis fuit propugnaculum. Initio enim hos plerosque fuisse Phoenices, credibile videtur, qui Izabeli eo aptiores erant : Israelitae, qui vitulorum ministerio fungebantur, statim fortasse ad sacra Baalis non admissi sunt (3). Quam perniciosissimum fuerit morum integritati, quum ipsi Phoenices religionis specie jam in regno Israelitico sacrorum antistites essent, sponte intelligitur; quid majorem efficaciam habere potuerit, ad eam fatorum convenientiam inter utramque gentem efficiendam? Quod Sichaei vel Sicharbae exemplum, et Pygmalionis facinora testentur.

(1) Cf. cl. van d. Palm ad 2 Reg 10.
(2) Cf. Amos 7, 10 seqq.
(3) Est tamen haec sententia Muntinghii ll. VII, pag. 42.

Sacerdotum aemulatio tunc temporis in hac terra eos tumultus movit, et totam remp. ita perturbavit, ut seditio non ante sedari potuerit, quam magna populi pars fugam petivisset, qui, relicta patria, meliorem quaerere conabantur (1).

Obstabat nonnunquam regibus, tum sacerdotibus, Prophetarum auctoritas, ex iisque his inimicissimi viri Elia et Eliza (2). Vivebant quidem plerumque separati, ut Eliza in monte Carmele; a nonnullis habebantur viri sancti, observabant festa minora et religionis Mosaicae vindices erant acerrimi (3): reges saepius quidem reprehendunt, et perverse eos egisse coarguunt (4); ab aliis vero honorantur, ut ab Achabo aliquando, quamvis paululum temporis, et maxime a Joramo, Joaso (5); a plerisque cruente persequebantur, cujus specimina supra vidimus. Hac ratione perpetua erat aemulatio, et discordia, eos inter praesertim et sacerdotes. Utrique potentis factionis semper fuere principes: discrimen regno Israelis perniciosissimum, et permultorum malorum causa!

Absoluta igitur regum potentia, indefinito jure successionis, gynaecei machinationibus, seniorum exigua auctoritate, Sacerdotum et Prophetarum discordiis, etiam, quod ad regiminis formam attinet, regnum Israeliticum Judaico fuit infirmius, neque tam diu persistere potuit.

(1) Cf. *Heeren Ideen I th. 2 abth. pag.* 22.
(2) Cf. Muntinghe ll. VII, pag. 43, 78.
(3) Cf. 2 Reg. 4, 25; 8 et seqq.; cf. cl. v. d. Palm ad vers. 23.
(4) Cf. 1 Reg. 13 et 14; 16, 1–15; 20, 13; 35-43; 2 Reg. 1, 9 seqq.; 3, 13, 14.
(5) Cf. cl. v. d. Palm ad 1 Reg. 22, 6; 2 Reg. 4, 13. 2 Reg. 5, 21, 24 seqq.; 8, 1 seqq.; 13, 14 seqq.

§ XVIII.

Regiminis forma apud Judaeos.

Quo magis hoc discrimen appareat, ad Judaeorum regiminis formam accuratius attendamus. Civilis apud eos reip. conditio regiminis formam etiam firmiorem reddidit.

Potestas regum Judaeorum non erat absoluta, sed lege Mosaica, et privatis institutis arcte circumscripta (1). Haec instituta a populo Samuelis tempore erant comprobata, quae ut servarent, reges, antequam imperium obirent, coram populo jurejurando se obstringere debebant. Hoc fecere Saulus, Davides, Salomo, sine dubio Rehabeamus, et ex sequentibus de Joaso (2) Hiskia et Josia disertis verbis memoratur. Rex tantum in rebus civilibus, in sacris Pontifex maximus summus erat. Sacerdotum vel Levitarum casta, quae ante per totam Palaestinam fuerat dissipata, jam in urbibus Judaeorum solis habitabat, et tertiam fere totius populi partem complectebatur. Quam maximi fuerint momenti talia instituta, docuerat historia pristinorum temporum; Saulus, omnium civium Nobensium strage jam crudelissimum tyrannum egerat, suam tribum solam curaverat, et tributis impositis populum maximopere a se abalienaverat (3). Davidis et Salomonis potestas in dies quoque nimia

(1) Cf. Deuteron. 17, 14-20. Michaelis Mos. Regt. 1, §. 55-58.
(2) Cf. 2 Reg. 11, 12.
(3) Cf. 1 Sam. 22.

facta erat; quo accidit, ut plurima sub finem imperii ad arbitrium fecerint, eorumque imperium jussis, quae ex gynaeceo eduntur, simile tunc evaserit.

Salutare igitur in posterum erat, regiam dignitatem determinare, cujus limites vel plurimos transgressuros esse ipsi Judaei exspectare poterant.

Regii reditus apud Israelitas non certi fuisse videntur, quod ansam dedit, ut populus vexaretur, eique nimis gravia tributa imponerentur; quae, quantopere populum a rege alienare possint, bella imprimis civilia testentur. Si reditus excipias, quos reges Israelitarum ex ovium pastu acceperint, nulli memorantur (1). Apud Judaeos magis definiti esse videntur, quibus quidem, ut apud Israelitas, annumeranbatur praeda de hostibus reportata, et reditus ex praediis et agris, qui regi dono dati erant, vel, ut in regno decem tribuum, ex regis edicto, bonis publicatis, civitatis possessionibus adscripti fuerant. Apud illos praeterea his accedebant decimae agriculturae pecorumve proventuum, et fructus mercaturae (2). Fuerunt quidem haec instituta plerumque Davidis et Salomonis, verum Rehabeamus verbi causa, si ad munus Adorami attendamus, ea retinuisse optimi quique reges auctoritate sua confirmavisse videtur.

Regum porro permagni interest, fidos sapientesque in ci-

(1) Cf. cl. v. d. Palm ad Amos. 7, 1.
(2) Cf. Hess. ll. VIII, pag. 350 seq. Cl. v. d. Palm. ll. XII, pag. 18 seq. 135 seqq. Michaelis ll. I, § 59.

vitate administranda socios, vel, ut recentiores dicunt, ministros habere, quorum auxilio quisque rex indiget ad omnia rite perficienda, eoque magis in oriente, ubi saepius vel adulatione decipitur, vel fervidiori animi indole, vel gynaecei machinationibus res novas facilius moliuntur. Ipse Davides eorum perfidiam, astutiam et perversitatem expertus erat, multo vero magis fidem, sapientiam, solertiam. Omnes norunt, quantopere Husa ministeriis suis Davidi in seditione Absalomi profuerit : omnibus notus est Nathan, qui ipsi conjurationem detexit Adoniae, ejusque sociorum, Joabi et Abjatharis (1); omnes istorum machinationes suppressas animadvertimus; sed ministrorum quoque et consiliariorum collegium, optimis viris ornatum, non desiderabatur (2). Ejusmodi collegii sodales erant praefectus exercitus, qui rem militarem pace belloque curabat; illi porro qui regios reditus vel aerarium administrabant, qui tabulas genealogicas conscribebant, qui judiciis praeerant. Ejusmodi collegium Salomo habebat, postea Asa, Josaphatus, Ussia, Hiskia, Josia quod disertis verbis memoratur.

Jus successionis apud Judaeos in una tantum dynastia mansit, quod jam ante a Prophetis, quos maximi faciebant Judaei, Davidis tempore erat promissum (3). Jerobeamus talibus gloriari non poterat. Apud Judaeos vero maximopere valebat ejusmodi promissum, celebrabantur passim in cantibus solennibus et publice deinceps a Prophetis eleganti sermone

(1) Cf. Hess. ll. pag. 265 seq. cl. v. d. Palm ll. pag. 18 et 75.
(2) Cf. cl. v. d. Palm ll. pag. 17 seq.
(3) 1 Reg. 11, 37, 38.

et facunda eloquentia perpetuo in memoriam populi revocatum confirmabatur. Quo factum est, ut tantopere domui Davidicae adhaeserint Judaei, ut etiamsi alia factio aliam dynastiam in thronum evehere voluerit, partes, quae posteris Davidis favebant, semper superiores evaserint. Exempla si quaeras, conjurationes in Joasum, Amaziam et Amonem factas attendas. Nec mirum; plurimi reges felici imperio, optimisque institutis populi gratiam tantopere sibi conciliaverant, ut aliis dominis obtemperare nollent. Itaque non obnoxii fuerunt omnibus istis malis, quae ex pluribus dynastiis apud Israelitas orta sunt, quaeque regni interitum praepararunt.

Regia dignitas apud Judaeos haereditaria quidem erat, in domo Davidis, non vero primogenito adsignata. In oriente rex ipse successorem suum ex filiis plerumque creat, natum ex ea uxore, quam prae caeteris amore prosequitur. Idem fecit Davides Salomonem, Salomo Rehabeamum, Rehabeamus Abiam filium successorem constituens (1).

Populus vel seniores creatum regem publice agnoscere et in dignitate constituere solebant; sed nihilominus Adonia conjurationem fecerat, qua Salomonem e medio tolleret, sibique regnum vindicaret; quod ut perficeret, omnia artificiose struxerat. Ex ejus et Absalomis exemplo perspicitur, quam necessarium sit regi, si sibi filioque suo successori prospicere velit, cavere, ne nimia evadat aliorum filiorum potestas (2). So-

(1) Cf. *M. le Comte de Ségur*, ll. III, pag. 301.
(2) Cf. cl. v. d. Palm ll. pag. 33.

lertia igitur, qua pollebat, Davides beneficiis eos sibi conciliare studuit, et institutis suis cavere conatus est, ne fines transgrederentur. Pertinebant regis filii ad ordinem quendam principem singularem, ad quem non nisi regis cognatis aditus patebat (1). Socii fuisse videntur summi regis collegii (2), Davides iis concesserat agrorum quorumdam reditus, quibus vitae rationem, dignitati accommodatam, degere poterant (3). Successoribus suis praecepta tradiderat; patris exemplum secutus est Salomo, Rehabeamus (4), Josaphatus (5).

Mala quae oriuntur ex imperio, quod e gynaeceo jussa profert, Davides jam quodammodo expertus erat (6): satis magna certe fuit Bathsebae potestas (7): novae inde calamitates ortae sunt post mortem Salomonis. Quibus exemplis edocti reges sibi cavere potuerint, ne mulierum lubidinibus abrepti, mulieribus imperium concederent. Habebat quidem Rehabeamus gynaeceum (8): fruebatur apud eum Maacha summa auctoritate, quae in posterum mirifice accrevit: hanc vero et Athaliam, si excipias, alia hujusmodi exempla apud Judaeos desideras. Quominus gynaecei potentia tam gravis unquam fieri posset, impediebat nimis definita regum potestas, sed inprimis

(1) Cf. Hess ll. VII, pag. 353.
(2) Cf. cl. v. d. Palm ll. XI, pag. 70.
(3) Cf. Hess ll. pag. 517.
(4) Cf. cl. v. d. Palm ad 2 Chron. 11, 20-23.
(5) Cf. idem ad 2 Chron. 21, 3.
(6) Cf. idem ll. XI, pag. 229 seqq.
(7) Cf. idem ll. XII, pag. 61. Hess ll. VIII, pag. 224.
(8) Cf. 1 Chron. 11, 18-21.

Levitarum ordo, cujus in ipsa Athalia illustre specimen reperimus.

Reges Judaeorum, quemadmodum regiminis normam habebant legem Mosaicam et instituta majorum; ita antiquam etiam tribuum rationem servarunt (1). Apparet haec agendi ratio ex institutis omnium fere regum, eorum etiam, qui legis Mosaicae nullam fere rationem habebant : quibus factum est, ut ad interitum usque reip. Judaicae seniorum potestas integra et infracta mansisse videatur, et manere posset juxta regum potestatem, adeo definitam.

Regi vero et senioribus oppositi erant Levitae, cum propter multitudinem, tum propter auctoritatem apud populum; habitabant quidem urbes per universam regionem dissipatas, sed inprimis urbem regiam, et loca ei vicina. Erant regum quasi satellites, eosque revera throni fulcrum habere possumus : quibus auctoribus praesertim regia dignitas semper in familia Davidica permanserit (2).

Privas urbes habebant Levitae, suas etiam sacerdotes, in quibus tamen non soli, verum etiam alii habitasse videntur (3). Communi vinculo totus ordo inter se constrictus erat, necessitudini, qua Jesuitarum congregatio continetur, quodammodo simili : omnibus idem erat commodum, eadem

(1) Cf. Hess ll. VII, pag. 349. Jahn. ll. II. Erster Band. pag. 72 seqq. cl. v. d. Palm ll. XII, pag. 16 et 17.
(2) Cf. Erläuterung, pag. 162.
(3) Cf. Hess ll. VII, pag. 167 seqq.

omnibus officia. Davides probe perspiciens, suum esse eum ordinem curare, huic componendo imprimis operam dederat. Gens Aaronis ad sacerdotium tantum admittebatur; reliqui munera obtinebant minora, tam sacra quam civilia: illam Davides in XXIV classes diviserat eique caeterorum Levitarum praefecturam dederat (1). Novimus, eam tribum castam fuisse eruditorum, penes quos non tantum unice omnis eruditio erat, sed quorum doctores disciplinis operam dabant, earumque notitiam inter populum propagabant. Munera eorum sacra, aditus ad interiora templi conclavia, in quae nemini, ne regi quidem, intrare licebat, talem ordinem principem reddiderant inter Hebraeos, et perpetuo deinceps reddiderunt apud Judaeos (2). Pontificis maximi, qui toti ordini praeerat, auctoritas antea maximopere accreverat, et summus fuerat in civitate vir, iis temporibus, quibus tribus singulae magistratus suos habuerunt, nec unus omnibus praefuit (3). Post regiam introductam dignitatem permultum imminuta est. Reges enim eum rerum quidem sacrarum principem agnoverunt, non vero civilium, et sibi potestatem vindicarunt. Pontificis maximi constituendi, ejusque Vicarii creandi. Saulus, Abjathare ad Davidis partes prolapso, Zadocum constituisse videtur, Davides vero Abjatharem, cui Zadocum Vicarium adjecit. Salomo Pontificiam dignitatem rursus e familia Ithamaris ad Eleazaris traduxit, et Zadocum creavit, Abjathare dimisso (4). Davides

(1) Cf. cl. v. d. Palm ll. XII, pag. 20 seqq. Hess ll. VIII, pag. 122. seqq.
(2) Cf. Hess ll. VIII, pag. 311 seqq.
(3) Cf. Hess ll. VI, pag. 5 seqq.
(4) Cf. Hess ll. VII, pag. 348 seq. VIII, pag. 251 seqq. cl. v. d. Palm ll. pag. 17 seq.

praeterea ordine Levitarum ordinato, vel tacite declaraverat, regiam dignitatem hoc fuisse majorem. Quo factum est, ut Judaei commoda quidem, non vero detrimenta castae sacerdotalis, ut Aegyptii verbi causa, percepisse videantur.

Itaque optimi quique Judaeorum reges praecepta legis et sapientia Davidis et Salomonis instituta secuti, eum ordinem regiae quidem dignitatis vindicem, non inimicum, nec repugnatorem habuerunt. Non tantum eos adhibuerunt tanquam legis peritissimos ad lites componendas, et judicia moderanda, verum etiam socios receperunt summi collegii, ut Salomo Zadocum. Hac ratione reges ordinem illum magis sibi conciliare potuerunt. Quod ad judicia attinet, salutare profecto fuit institutum, eos judiciorum moderatores habere; in Oriente imprimis, ubi judicia saepius, melius instituta, desideras. Davides, qui judiciis reformandis minorem operam tribuerat, ea perficienda filio reliquit (1). Ipse judex fuisse videtur supremus, ut etiam Salomo regni initio (2). Poenam exsilii, apud alios populos Occidentales usitatam, ignorabant Orientales et Hebraei ante exsilium Babylonicum (3). Ita saepius principum virorum sors conficiebatur; calamitates igitur, quae ex hac poena oriebantur, Hebraeis non erant timendae. Alio modo gravia eorum virorum delicta erant punienda; morte plectebantur; exempla Joabi, Adoniae, aliorum hoc docent. Erant ea supplicia plane Orientalia, et graviora ea esse oportebat,

(1) Cf. Hess ll. VIII, pag. 5 et 223. Cl. v. d. Palm ll. pag. 19 seqq.
(2) Cf. 1 Reg. 3.
(3) Cf. Hess ll. VIII, pag. 247.

quo fervidius et ad res novas moliendas acrius fuerit Orientale Hebraeorum ingenium. Itaque Salomo, qui merito dixerat : « *efficit justicia, ut populus accrescat; injustitia, ut detrimenta capiat* » : probe intellexit, sine judiciis populum perire, judiciorum auxilio felicitatem augeri. Exemplo et praeceptis popularibus et successoribus simul eorum necessitatem et curam commendaverat, quibus obsecuti sunt Josaphatus, Ussia, Hiskia, et qui insuper judiciis moderandis operam dederunt, qui ordinem Levitarum, ex eoque sacerdotes imprimis ad ea adhibuerunt.

Quae cum ita sint, non mirum est, Ordinem Levitarum perpetuo non tantum magnam vim, sed etiam magnam apud Judaeos habuisse dignitatem. Achaziae aetate vel magni aestimabatur : Jojada, summus Sacerdos, sororem regis, filiam Jorami, in matrimonium acceperat (1); habitabat in templo, sive potius in aedibus templo oppositis (2); ejus auctoritate juxta Baalis cultum sub Athaliae tyrannide cultus Jehovae cum omni apparatu et splendore adhuc peragebatur, quin etiam festum Sabbati in ipsa aula observabatur (3). Illius cultus princeps fuit Matthan, hujus vindex Jojada, viri in rebus sacris sibi invicem oppositi, uterque magna auctoritate gaudens, alter in alterum infestissimo odio flagrans, ille reginae, hic Levitarum favore adjutus. Brevi in publicum bellum erumpit

(1) Cf. 2 Reg. 11, 2; Dahler in libro : de librorum Paralipomenon auctoritate atque fide historica, pag. 95.
(2) Cf. cl. v. d. Palm ad 2 Reg. 11, 3.
(3) Cf. 2 Reg. 11, 4 seqq.

gravis ista aemulatio; ab hac parte eo gravior, quoniam Matthan superior evaserat. Jojada conjurationis socios per totam terram adepto, omnes simul ubique praefecti signum canunt; Reginae milites, mercede corrupti, cum Levitarum agmine ad templum se conjungunt; oritur tumultus; regis filio confestim in populi conspectum delato, Athalia cum suis interficitur, et filius Davidis publice rex creatur (1). Rex, cum ad imperium obtinendum junior esset, Jojada rerum civilium moderator eligitur, et ad mortem usque, sub ipsius regis imperio, magnam in civitate potestatem retinuit (2). Zacharias, ejus filius, in Pontificatum successit; rex ipsi exacerbatus, rebus civilibus se immiscenti, lapidibus eum obrui jussit. Verum haud ita multo post, Levitarum indignationis periculum perpessus est, et ipse occiditur (3) : quo facto seniorum collegium Amaziam, ejus filium, imperio admovit, qui patris interfectores jugulavit. Ussia consilium habuisse videtur sacerdotalis dignitatis cum regia communicandae, quo arctioribus finibus illam circumscriberet; sed infelix ipsi erat eventus, ita ut nemo postea talia tentaverit. Jotham contra, Achas, alii, eum ordinem maxime reverebantur, quod de Achaso non exspectares (4). Acceperunt igitur reges Judaeorum a Levitarum casta, si amice tractarent, multa incrementa; si male, gravia damna.

Verum enim vero in medium fortasse quis prolaturus sit,

(1) Cf. 2 Reg. 11, et 2 Chron. 22.
(2) Cf. Muntinghe ll. VII, pag. 84 seqq.
(3) Cf. cl. v. d. Palm ad 2 Chron. 24, 25.
(4) Cf. cl. v. d. Palm ad 2 Reg. 16, 10, 11 et Jes. 8.

maximi momenti fuisse ejusmodi ordinem regno Judaico; sed, quoniam tertiam totius populi partem fere complectebatur, maxima detrimenta hinc redundasse rei militari; nam quis est, qui sacerdotes eosdem milites cogitet? Ab hac etiam parte ab Aegyptiis Levitae multum differebant; habebant Aegyptii et castam militarem et sacerdotalem; apud Judaeos ejusmodi discrimen non obtinebat. Ut ex Sauli historia apparet, Levitae militiae quoque operam dederunt (1); Davides fortasse institutis suis haec paulo immutavit; quanquam non constat; non saltem credibile videtur: sub Salomone saltem Benaja, filius Jojadae, principis familiae Aaronis, non tantum primarius suppliciorum, quibus summi in civitate viri afficiebantur, erat vindex, verum etiam militum praetorianorum praefectus, et quis dubitat, an deinceps ea instituta retenta sint? Arma enim, quae in templo servabantur, quibus aliis quam Levitis erant destinata? Sacer cantus in praeliis a quibus administrabatur, quam a Levitis? et si hoc solum munere in bello functi fuissent, utilissima profecto iis temporibus ministeria praestitissent, ut jam ante observavimus.

Levitarum castae accedebat Prophetarum ordo; quos jam ex praecedentibus novimus. Cum illis conjuncti, optime cohibere potuerunt, quominus regia dignitas absoluta fieret. Viri quippe plerumque eruditissimi, sagacissimi, egregii, a populo et regibus saepissime maximi aestimabantur. Nathan, vir praeclarus, Davidi in multis profuerat; ipse regis suasor templi

(1) Cf. cl. v. d. Palm ad 1 Chron. 12, 27, 28. Hess VII, 347 seqq.

aedificandi et adjutor, conjurationis suppressae auctor. Plerumque munere fungebantur Archivariorum, Historicorum, Scribarum, eorumque eximia adhuc monumenta supersunt (1). A regibus, nonnunquam aegre ferentibus, Prophetas rebus civilibus se immiscere, graviter interdum tractabantur (2); saepius quoque hos reprehensos vides. Neque adeo perversa plerorumque fuisse videtur jurisprudentia (3); prudenter Rehabeamus Semajae suasione a bello civili destitit, Amazia copias Israelitarum mercenarias dimisit, Hiskia Jesaiae consilia secutus est (4).

Omnia igitur inter se comparantes, Judaeorum regiminis formam bene ordinatam animadvertimus, quam in aliis orientalium civitatibus desideras. Itaque regnum Judaicum florebat, interno robore validum, quo Israeliticum indigebat. Sub finem reip. Judaicae, cum omnia apud eos permutarentur, etiam haec immutata sunt, et infracta; cum morum corruptela etiam principes reip. corrupti sunt (5).

(1) Cf. Hess ll. IX, pag. 62 seqq.
(2) Cf. 1 Reg. 15, 9-24. 2 Chron. 16, 7-13.
(3) Cf. 1 Reg. 15, 9 seqq. 2 Chron. 25, 7-9, 15, 16; 1 Reg. 22, 41-51, 2 Chron. 19, 2 seqq. 2 Chron. 20, 37.
(4) Cf. Jahn. ll. II, 1, pag. 179 et 188 seqq.
(5) Eleganter haec sub imagine pastorum proposuit Ezechiel cap. 34 et Jesaias cap. 56.

§ XIX.

Aemulatio utrique regno perniciosa fuit, sed regno Israelis eo perniciosior, quo infirmior interna reipublicæ conditio.

Disputatione de civili utriusque regni conditione, ad finem perducta, transimus ad ea consideranda, quae hinc necessario consecuta sunt : quae effecerunt, ut regnum Judae, iis commodis gaudens, tam diu persistere potuerit, regnum Israelis multo ante corruerit.

Ex regno scisso, ejusque ratione quisque exspectet, ut alterum alterum evertere conaretur, vel saltem alterius imperium sibi vindicaret. Aucta erat aemulatio institutis civilibus, quae regna magis a se abalienarunt, scissionem confirmarunt, et inimicitiam mirifice aluerunt. Bella, quae hinc necessario orta sunt, Israelitis graviora evaserunt, quam Judaeis.

Odium infestissimum, quod ex perniciosa tribuum principum aemulatione ortum est, brevi in bellum intestinum inter Israelitas et Judaeos erupturum esse videbatur. Rehabeamus, civitatis Israeliticae imbecillitatem probe perspiciens, et perturbatam rerum conditionem, confestim bellum parabat; quo reliquas tribus rursus sibi subigere vellet. Omnibus copiis congregatis, rebelles ad suum officium redigere cogitabat. Attamen partes erant inter Judaeos, qui rite bellum, quod utrique regno acerbissimum et crudelissimum fuisset, dissuadebant : quarum princeps Semaja tanta apud regem auctoritate vale-

bat, ut hanc expeditionem differet (1). Saltem eo rem perduxit, ut aemulatio in publicum bellum non erumperet. Impedire vero non potuit, quo minus saepius praelia minora committerentur; nam fines inter utrumque regnum plerumque non definiti, neque satis muniti erant; idque parvum bellum, ut ita dicamus, perpetuo fere continuatum est (2).

Jerobeamus, mortuo Rehabeamo, arbitrabatur, tempus adesse opportunum, quo Judaeos, bello Aegyptio vehementer afflictos, debellaret. Accedebat cogitatio, juvenem jam regno praeesse : sed juvenis fuit egregius, bellica virtute pollens. Jerobeamus, copiis collectis, fretus majori potestate, et militum majori numero et Abiae exercitus fortitudine praeclari, bellum spirabat. Nec insuper patriae amore et fanatico religionis furore agitati. Ac jam videtis gentes, fraterno vinculo olim conjunctas, ad se invicem perdendas paratas; bellum exspectatis cruentissimum, non nisi cum toto unius alteriusve exitio finiendum. Montes Ephraimitici sunt theatrum; in collem adscendit Abia; maximi animi princeps, hostilem exercitum alloquitur, et eloquentia sua omnium animos percellit, suos invicta virtute imbuit. Judaei insidiis petuntur; ubique ab hostibus inclusi, leonum instar pugnant, Israelitas propellunt, recedere cogunt, persequuntur, et maxima clade afficiunt, ut ad internecionem usque eos deletos fuisse crederes. Multa centena millia Israelitarum caeduntur; vitulorum cultus caput

(1) Cf. Erläuterung pag. 151 seqq.

(2) Cf. cl. v. d. Palm ll. XIII, pag. 45.

expugnatur, et magna principum tribuum, Ephraimitarum et Manassitarum, pars a Judaeis occupatur (1). Ecce eventus primi belli; videtis, quam infractum, quam debilitatum, quam afflictum sit regnum Israelis; atque hoc evenit utriusque regni initio: hoc proelium decernere debebat, utrum magis valeret, non tantum in praesentia, verum etiam in posterum. Judaei victoriae praemium reportarunt, quae non tantum ipsis Hebraeis, verum etiam exteris documentum erat majoris regni Judaici roboris, et internarum virium efficaciae.

Judaeorum victoria novum bellum paraverat. Baeza, vir, ut videtur, bellica prudentia pollens, tractus, subactos a Judaeis, rursus recuperavit, et urbem Ramam, duobus milliariis Hierosolymis distantem, in summum Judaeorum detrimentum cepit, eamque ingentibus munimentis instruxit (2): impedire enim cupiebat, quo minus cives iter Hierosolyma ad festa celebranda facerent. Asa, rex Judaeorum, increscentem aemuli potentiam metuebat, et ab altera parte Syrorum impetum, ut videtur, exspectabat. Syros igitur a consilio deterruit, eosque, ingenti pecuniae pondere corruptos, ad bellum contra Israelitas excitavit. Hi autem a septentrione invadentes, omnes ditiones, Libano adjacentes, occuparunt. Asa cum copiis impetum fecit a meridie, omnesque urbes rursus expugnavit, ad montem usque Samariae victorias proferens. Mirifice profecto hoc bello regnum Israelis afflictum est, et arctissimis

(1) Cf. 2 Chron. 13, Hess. ll. X, pag. 66 seqq. Cl. v. d. Palm ll. pag. 45 seqq.
(2) Cf. cl. v. d. Palm pag. XIII 53 seqq. Le comte de Segur, ll. III, pag. 307.

finibus inclusum, cum omnes fere terras hostes tenerent (1). Asa expugnatas terras diu retinuisse videtur, easque, quo melius sibi subactas retineret, Josaphatus praesidiis instruxit (2). Verum is, pacis amans, non bellis sed pacis artibus populum felicem reddere voluit; cum nova dynastia, quae jam regiam dignitatem inter Israelitas occupaverat, in gratiam rediit, quod unicum tempus fuisse videtur a bellis, inter utrumque regnum gestis, vacuum. Duravit ea societas per omne tempus, quo familia Omrii regnavit, post Josaphati mortem a filiis Joramo et Achazia renovata. Quae quam arcta fuerit, exinde colligi potest, quod Elia, ab Achabo profugus, se non tutum censuerit in ultima fere regni Judaici urbe (3). Utilis quidem utrique regno et laudabilis erat quoque societas, quatenus hostilitatem cohiberet, et ambas gentes amicitiae foedere connecteret. Verum, quoniam nimis alligatum est vinculum, minus fructifera fuit Judaeis. Hi enim fruebantur jam quidem mercaturae emolumentis, sed cum regno debilitato, omnibusque viribus paene destituto, sociati erant. Hostes Israelitarum nunc quoque hostes fiebant Judaeorum, et necessario bella gerenda erant cum iis populis, quibuscum bellandi causa Judaeis non fuit. Praeterea mutuo initis matrimoniis mores et sacra Phoenicum apud Judaeos translata fuisse vidimus. Indefinitum apud Israelitas jus successionis effecit, ut Judaeorum reges jurisprudentiam quoque immutaverint. Jehuus facinoribus non

(1) Cf. Hamelsveld II. IV, pag. 298 seq.
(2) Cf. 2 Chron. 17, 2.
(3) Cf. cl. v. d. Palm ad 1 Reg. 19, 3.

tantum Israelitas, verum etiam Judaeos a se abalienavit, eosque acerrimos hostes sibi reddidit; non certe callide; nam domus Davidis cum ea dynastia nunquam in gratiam rediisse videtur: vestigia contra supersunt gravissimae aemulationis. Non alio consilio Amazia bellum suscepit: suspicabatur, mortuo Joachaso, jam tempus aptum esse, ut inveterato odio indulgeret. Belli indicendi causae non deerant; acerba erat Amaziae compellatio, multo acerbior Joasi responsio. Ille superbus erat victoria, de Edomitis reportata, hic jactans, suisque viribus audacter fretus, bellum se dissuadere simulabat, aggredi tamen gestiebat. Judaei funduntur, Amazia capitur, Hierosolyma expugnantur; munimentis privantur, magnaque sacri thesauri pars rapitur. Amaziam regem tributarium constituunt; et obsides postulant, fidei conservandae praedes (1). Verum nihilominus brevi fidem solvit; Joaso mortuo, XV adhuc annos regnabat, et Ussia filius ejus, regnum Judaicum eo splendidius restituit.

Atque utinam hoc ultimum fuisset bellum, inter utrumque regnum gestum! Judaeis profuisset; Israelitas, bellis civilibus implicitos, non penitus confregisset. Sed ea est hominum indoles, ut plerumque proximis prosperitatem invideant. Pekah, etiamsi melius fecisset, si dilaceratum regnum confirmasset, Judaeos tamen aggredi malebat. Cum Syris foedere inito, arbitrabatur, se jam vim habere infractam et satis validam, qua invisum illud regnum everteret. Hoc ipsi erat proposi-

(1) Cf. cl. v. d. Palm ad 2 Reg. 14, 8-14. 2 Chron. 25, 13. Muntinghe ll. VII, pag. 92.

tum; nihil aliud moliebatur. Causam hujus belli ignoramus, sed causa non desiderabatur. Non tamen a verosimilitudine abhorret, Judaeos, durantibus bellis civilibus, hanc alteramve factionem juvasse, quin etiam suspicantur, Ussiam Assyrios contra Israelitas excitasse, qui sub Menahemo a Phulo petiti fuerant (1). Laetitia Israelitarum de foedere, cum Syris inito, maxima erat; jactantia et superbia omnium animos repleverant, et odium gravissimum expeditionis socios inflammaverat (2). Sociatorum regum consilium tulisse videtur, ut familia Davidis regia dignitate destituta, alium, Tabealum nomine, regem constituerent (3). Gravissimae tunc utrinque erant inimitiae: *clangite*, inquit Hoseas, *tuba Gibeae; clangite buccina Ramae, clamorem bellicum edite apud Beth-Aven, hostis urget, o Benjaminitae* (4).

Duae fuerunt expeditiones Israelitarum; altera Judaei fusi sunt, permultis captivis deductis; Hierosolyma autem capere non potuerunt, quae Achasus fortissime muniverat (5). Altera expeditione hic ad summas angustias redactus, Assyriorum auxilium imploravit, qui Israelitas, victoriis suis exhaustos, devicerunt (6).

(1) Cf. cl. v. d. Palm ad Hos. 5 in prooemio et ad vers. 13.
(2) Cf. idem et Rosenmüller ad Jes. 9, 8, 9.
(3) Cf. idem et Rosenmüller ad Jes. 7, 5, 6.
(4) Cf. cl. v. d. Palm ad Hos. 5, 8.
(5) Cf. 2 Chron. 28, 5, 9-15. 2 Reg. 16, 5. Jes. 7 et cl. v. d. Palm et Rosenmüller ad Hos. 6, 11.
(6) De hac expeditione Cf. Rosenmüller et Michaelis ad Jes. 7, ille inprimis ad Jes. 8, 6, pag. 319.

Bellis igitur et foederibus ineundis, alterum regnum alterum perdere conatum est : utrumque id sectari studuit, quod sibi emolumenti fore sperabat : quod alteri profuit, alteri nocuit; perpetuo discrimen erat, utrum principatum obtineret. Hac ratione Athenienses et Spartani majorem sibi invicem auctoritatem et prosperitatem invidentes, vires suas consumserunt ad se invicem debilitandos : tandem cum Persarum auxilium implorassent, eo gravior evasit aemulatio. Persae semper auxiliabantur partibus inferioribus, donec tandem Philippus, dolis suis et sagacitate Graeciam sub suam potestatem redigeret. Postea Romani non missam fecerunt occasionem, qua se Graecorum rebus immiscerent, jam Aetolis faventes, jam Achaeis : et finita est Graecorum postrema contentio, Corintho devastata; quo facto Graecia in Romanam provinciam redacta est. Recte Montesquivius causis, quibus effectum est, ut regnum Romanum in occidente a barbaris populis prius sit oppugnatum, annumeravit foedera, quae Romani in oriente cum iis inierant (1). Eodem modo, eadem aemulatione factum est, ut prius interierit regnum Israelis. Foedera ista inter Hebraeos non desiderabantur : novimus foedus Jerobeami cum Aegyptiis (2), quo incitatus Sisacus in regnum Judae impetum fecerit; notum est foedus, quod Baeza cum Syris iniisse videtur ad Judaeos subigendos, sed videmus quoque, quam magno sacri thesauri regiarumque divitiarum detrimento Asa hos contra Israelitas excitaverit;

(1) Ll. chap. 19, pag. 181.
(2) Cf. Jahn. ll. II. 1, pag. 167 seqq.

animadvertimus amicitiam Pekahum inter et Syros, ex qua foedus ortum est Judaeos inter et Assyrios, pactum Ussiae cum Phulo, Achasi cum Tiglath-Pilezare (1). Videbimus Israelitas, Syris devictis, confugium et auxilium quaesivisse apud Aegyptios, quos subigendos Assyrii inprimis sibi proposuerant. Cum iis Israelitae foedere jam conciliati etiam ejusdem sortis participes fieri debebant; quo factum est, ut prius quam Judaei devicti sint.

Haec fuere detrimenta ex mutua aemulatione orta, quae utrumque regnum debilitarunt, sed Israelitas exitio propiores admoverunt.

§ XX.

Bella civilia Israelitarum.

Etiamsi bella excipias, gesta inter utrumque regnum, Israelitis tamen pace frui per intestina arma non diu licuit, quae fuere, eruntque pluribus populis magis exitio, quam bella externa, quam fames, morbive, quaeque alia in Deum iras velut ultima publicorum malorum vertunt (2). Sunt haec verba Livii, et ad civilem Israelitarum conditionem prorsus accommodata.

In civitate, ubi inter reges, qui fere per III saecula regna-

(1) Cf. Jahn. ll. pag. 181. Cl. v. d. Palm ad 2 Reg. 16, 7. 2 Chron. 28, 19.
(2) Livius IV, cap. 9, §. 1.

verunt, non nisi unus fuit, qui nomen suum clarum et populum simul beatum reddiderit; in civitate, cujus imperium per hoc tempus plus quam VI vel VII dynastiae deinceps occupaverunt; in civitate, ubi inter res rarissimas censebatur, si una eademque familia ad quartam usque generationem regiam dignitatem retinuisset; in ea, inquam, civitate non mirandum est, cruentissima saepe bella intestina gesta fuisse; tempora, quibus nulli magistratus, nullus rex nec judex erat, tribus arma contra se invicem convertebant, et fames et morbi populum conterere, portenta, hominibus ejus aetatis horrenda, omnes percellere minitabantur (1): non aliter fieri posse videbatur, quam ut regnum motibus civilibus ortum, bellis intestinis periret.

Nadabus a patre Jerobeamo tantum vitia haereditaverat, et regnum injustitia, mollitie, discordia perturbatum; ipse suos non gubernare poterat, vicinos tamen debellare volebat. Non difficile fuit Baezae, exercitus favore fruenti, istum regulum imperio amovere. Hebraeis grata erat talis mutatio; qui non diu eidem adhaerere solebant. Militum ope per XXIV annos imperium tenebat: attamen exemplo probabat, se ipso, qui praecesserat, imperio non esse digniorem. Quo factum est, ut Ela, ejus filius, medias inter epulas intemperantiae et lasciviae deditus, ab equitum praefecto cum omni familia jugularetur. Zimri, qui istud facinus perpetraverat, post VII dierum imperium dignitate exutus est ab aemulo suo, Omrio,

(1) Cf. cl. v. d. Palm II. XIII, pag. 7 seqq.

quem exercitus regem creaverat. Interim crudelissime saevierat et furore agitatus, sanguinem sanguine miscens, ad summas angustias redactus est. Undique obsessus, Sardanapali instar, cum gynaeceo flammis interiit. Verum Omri, quamvis aemulum devicisset, tamen non solus regnabat; Tibni etiam imperium affectabat, et ab alia populi parte rex creatus erat. Hic, populi favore, ille exercitu valebat; utrarumque partium aemulatio brevi in bellum civile erupit, eo gravius, quo major utriusque erat potentia. Quo per IV annos continuato scelera, facinoraque horrenda impune perpetrabantur (1). Tandem praevaluit Omri, qui, solus imperium adeptus, omnibus quibuscunque nefandis se famosum reddidit. Proelia gessit, ingloria, leges tulit injustas, libidinibus obtemperavit dissolutis (2). Propter monumentorum penuriam eo gratius nobis est coaevi de his tumultibus testimonium: « Jam ibi nulla est quies; non secura nec tuta vivendi ratio, ubique per totam terram discordia; altera tribus alteram debellat; urbs urbem expugnat; omnia cujuscumque generis facinora committuntur (3). » Ac revera, si varios reges spectamus, ex variis tribubus oriundos, quid melius exspectare possumus; quisque suae tribui favet; alterius aemulationem excitat, alias exacerbat, quae, rursus dominii potitae, vicissim, ut officio suo fungantur, summo studio feruntur; ita mala aluntur, eo graviora, quo saepius nova tribus ad imperium perveniat.

(1) Cf. cl. v. d. Palm ad 1 Reg. 13, 22.
(2) Cf. *M. le comte de Segur, ll. pag.* 309.
(3) Sunt verba Odedi, quibus Asam alloquitur, 2 Chron 15, 5, 6.

Tristissima ejus rei documenta antecedentes reges dederant, sequentes dederunt. Achazia, filius Achabi, post mortem filium non reliquit, quod, ut videtur, rursus ansam dedit novis tumultibus, qui tunc demum finiti sunt, quum Joram omnium tribuum imperium accepisset (1). Et quid opus est, ut redeamus ad Izabelis cruenta scelera, quae, quamdiu regnaverit, non interrupta, populum tam vehementer afflixerunt. Adspiciamus tantum urbes devastatas, loca incolis privata, agros, qui, antea segete abundantes, et fructibus proventibusque laetis ornati, cujuscunque oculos demulcebant, in deserta commutatos; sunt haec omnia indicia calamitatum, quae vulgo tyrannidem comitantur, civitatisque, bellis civilibus perturbatae. Quid opus est, ut in memoriam revocemus scelera ista nefanda, et horrenda, quae omnium sceleratissimus Jehu perpetraverit; miremur potius ejus posteros tam diu imperium retinuisse. Felix autem Jerobeami imperium ipsum calamitates praeparaverat, quae post mortem ejus sine intermissione remp. dilacerarunt (2). Luxuria mores effeminaverat, scelesta quaeque consilia aluerat, et facinora, discordiae foverat; quae quo magis ad aptiorem maturitatem perductae fuerint, eo vehementius erumpunt. Notae sunt discordiae Athenis ex pauperum oppressione ortae; nota dissidia apud Romanos, Plebejos inter et Patricios excitata, quae civitatem miserrime afflixerunt. Eodem modo Israelitae eos, qui debitum persolvere non poterant, in servitutem redigere solebant; jam autem inferioris conditionis

(1) Cf. cl. v. d. Palm ad 2 Reg. 1, 17. 2 Reg. 3, 1, coll. cum 2 Reg. 8, 16.
(2) Cf. Michaelis ad Amos. 6, 6.

homines oppressi jacebant, et ditiorum arbitrio crudelissime vexati, ad omnia tentanda parati : duce tantum egebant, qui iis praeesset, cujus auspicio omnia perturbarent, et nefariorum agmen nefariis augerent. Quemadmodum Philopoemen ultimus Graecorum dictus est, ita merito Jerobeamus II Israelitarum regum ultimus dicatur : qui eum secuti sunt, tyrannorum nomine digniores fuisse, aequalis eorum, Hoseas, optimus judex, innuit (1).

Primum bellum civile, quo hoc tempore regnum graviter percussum est, non brevius duravit, quam XII annos, quibus alios XII alii annumerandos putant (2). Per hoc tempus resp. gubernatore destituta, turbarum civilium aestu agitata, miserum in modum fluctuabat. Vix enim mortuus erat Jerobeamus, cum cuncta in deterius ruere coeperunt : turbis, factionibus, quibuscunque belli intestini motibus, omnia plena fuerunt; dum caedes promiscuae, dum parricidia, dum quaeque scelestissima facinora viam ad regnum obtinendum muniebant.

Atque haec tempora si accuratius cognoscere velis, Prophetarum vaticinia evolvas : videbis omnia confirmata : videbis aliis locis alios imperium occupasse; magistratus, munere motos (3), animadvertes maximam sacerdotum auctoritatem; adspicies eorum agmina, quae in viis oberrant, et crudelissima quaeque committunt, sacerdotes imperium affectantes eo-

(1) Cf. Hos. 1, 4.
(2) Cf. cl. v. d. Palm ad 2 Reg. 15, 1, 8.
(3) Cl. cl. Rosenmüller ad Hos. 7, 7.

que turpiter abutentes : aetatem reperies, istis tantum temporibus propriam, si nulla legum, nulla magistratuum est vis, si ipsi sacrorum antistites imperium occuparunt (1), quibus acclamares illud Virgilii : (VII. v. 443 seq.)

Cura tibi Divûm effigies, et templa tueri.
Bella viri, pacemque gerant, queis bella gerenda.

Ad reges si attendamus, interdiu eos creatos, noctu conjuratione interemtos vidimus (2), quorum nomina ne mentione quidem digna judicarunt. Qui vero post graves illas et perniciosas civium inter se digladiantium contentiones, regnum tandem occuparunt, bini fuerunt reges, Zacharia et Sallum, quorum imperium, quamvis paucorum admodum mensium, scriptores omittendum esse non censuerunt. Paulo quidem diutius rerum potitus est Sallumi successor, Menahemus, sed ita tamen, ut dignitatem, male partam, cui suis viribus tuendae nunc impar erat, magno pecuniae pondere ab Assyriorum rege redimere, eique obnoxius fieri, necesse habuerit. Successit ei filius Pekahjah, post biennium a Pekaho, Remaljae filio, trucidatus (3). Ratio, qua hic ad imperium pervenerit, inprimis videtur fuisse sanguinolenta : Gileaditae, quorum is forte popularis fuerit, ei auxilium praestabant (4). Hi, rapinis caedibusque famosi, his quoque temporibus non

(1) Cf. cl. v. d. Palm et Rosenmüller ad Hos. 4, 2-4, 7; 6, 9.
(2) Cf. Michaelis in praefatione ad Hoseam pag. 6, editionis Belgicae.
(3) Cf. cl. Rosenmüllerus in praefat. ad Hoseam, pag. 28 et 29.
(4) Cf. cl. v. d. Palm ad 2 Reg. 15, 25. Michaelis praef. in Hoseam pag. 10 seqq.

defuerunt quibuscunque horrendis vicissim perpetrandis. Quod exinde colligas, quod Hoseas, ad Samariae scelera indicanda, eorum regionem Geleaditicam comparaverit cum urbe, a nefariis hominibus habitata, in qua ne pedes proferre possumus, quin sanguini insistamus, ita ut procedentes cruore spargamur, et sanguinis rivis impediamur (1).

Ne Menahemi quidem regnum turbis vacuum fuisse videtur. Ipse, qui Thirsae a quibusdam rex erat creatus, dum Sallumus adhuc Samariae regnabat (2), etiam per illud tempus nonnunquam imperio exutus fuit (3) et sine dubio plerorumque animos a se abalienavit, tributo magnatibus imposito, quo Assyrios corrumperet (4). Cui autem mirum videtur, populum aegre obedivisse tyranno, qui, quoniam urbs Thapsacus ipsi portas non aperuerat, tantopere infensus fuit, ut urbem non tantum merito puniverit, sed post expugnationem omnes cives etiam interfecerit, dum ne mulieribus quidem et infantibus parceret, et insuper tot facinora commiserit, graviora, quam ut rursus in memoriam revocemus (5)?

Foedere cum Assyriis inito, acerrimos sibi inimicos paraverat; qui, ne diutius inferiores essent, alios exteros in auxilium vocarunt. Pristinae cum Aegyptiis necessitudinis memo-

(1) Cf. cl. Rosenmüller ad Hos. 6, 8.
(2) Cf. cl. v. d. Palm ad 2 Reg. 15, 16.
(3) Cf. idem ad Hos. 7, 3.
(4) Cf. Michaelis ad 2 Reg. 15, 23 et in praefat. ad Hoseam, pag. 8 seqq.
(5) Cf. 2 Reg. 15, 16.

res, ad hos se converterunt, jam ipsos civilibus bellis ad alios juvandos infirmiores : tamen socios furore abrepti Israelitae servatores laudant. Ad orientalium morem eleganter Hoseas duas has factiones perstrinxit, et amentiam indicavit (1). Ac revera Pekahi aetate etiam Assyriorum violentiam perpessi sunt; quo regnante contigit fatalis illa Tiglath-Pilezaris expeditio, qua regnum Israelis nobilissimam partem, regiones trans-Jordanenses et superiorem Canaanem amisit, cujus incolae in exilium missi sunt (2).

Imperium Israelis arctissimis finibus inclusum, successori reliquisset Pekahus, si successorem habuisset. Reges, vino et intemperantiae dediti, securi vivebant in gynaeceo, postquam imperium sibi vindicaverant, et mercenariorum, satellitum, et eunuchorum turba stipati, nihil timere videbantur (3). Huic lasciviae obtemperans, Pekahus communem quoque tyrannorum sortem expertus est : quo interemto, factionum contentio in summum furorem demum abiit. Sequitur enim novem vel decem annorum interregnum, tempus, bellis civilibus et horrenda anarchia insignitum. Eo processit mutua tribuum exacerbatio, ut bellum gestum fuisse videatur inter tribus, quae huc usque et ejusdem originis et eorundem commodorum vinculo arctissime erant conjunctae : bellum erumpit inter tribus potentissimas, Ephraimitas et Manassitas (4). Eo dementiae proces-

(1) Cf. cl. v. d. Palm ad Hos. 7, 4.
(2) Cf. 2 Reg. 15, 29. Jahn. II. pag. 181, Mich. praefatio in Hos. pag. 13, seq.
(3) Cf. cl. v. d. Palm ad Hos. 7, 5.
(4) Cf. Jes. 9 et cl. v. d. Palm et Mich. ad vers. 20; cl. Rosenmüller ad vers. 17-19; cf. quoque supra § 5.

serunt istae factiones, ut ne civitatis religionis quidem ullam rationem habuerint; ut sacros vitulos ad ipsos hostes detulerint (1), quo acrius eorum auxilium implorarent. Advolarunt quoque Assyrii, et Hoseam, qui interim a partibus, Aegyptiorum nomen profitentibus, rex constitutus esse videtur, in dignitate quidem tueri volebant, si ipsis tantum se obedire et gravissimum tributum perpetuo solvere polliceretur. Pollicitus est Hoseas; sed regnum, jam omni religionis vinculo, omnique civitatis norma destitutum, nullo modo sustinere potuit (3). Partes, quae ipsum regem creaverant, eum cogunt cum Aegyptiis foedus renovare. Quod quum fecisset, haud ita multo post Salmanassar Samariam obsidione clausit, et post tres annos expugnat (4). Pertinacissima et gravissima fuit obsidio, omnibusque malis obnoxia, quibus nulla unquam urbs adhuc vexata fuerat. Pestis gravissima non minima fuit omnium earum calamitatum, cujus vastationes Prophetae vividis coloribus horrendum in modum depingunt (5). Populus ad summam desperationem adductus, omnia tentare et gravissima quaeque pericula subire non abnuit; omnia pro salute vilia habuit; et malis edoctus nihil inexpertum reliquit.

Atque si ad totam hanc periodum attendamus, cuncta tristissimam faciem prae se ferunt. Omnium furorem et pavorem ipsum coelum et terra conjunctis viribus excitare videbantur.

(1) Cf. Mich. praef. in Hos. pag. 6 et ad Hos. 10, 5.
(2) Cf. Franckii chronologia, praefixa scholiis cl. Rosenmülleri ad Jesaiam, pag. 29.
(3) Cf. Mich. ad 2 Reg. 17, 4, 5 et in praefatione ad Hos. pag. 15 seqq.
(4) Cf. cl. v. d. Palm et Rosenmüllerus ad Amos 6, 8-11.

Festum publicum, ubi, qualecunque tandem fuerit, laetitiam et gaudium adesse putares, confestim perturbatur portento, tunc inprimis horrendo. Sol statim plus quam dimidius obscurabatur, ita, ut medio die conspicerentur stellae (1). Singularis hæc res necessario omnium animos percellere, summoque pavore percutere debebat; omnes talia calamitates annunciare tristissimas arbitrabantur (2). Accedebat terrae motus, neque pestis desiderabatur, quae, brevi vehementer grassata, cum fame gravissima conjuncta, populi reliquias conterere minitabatur (3).

Quibus igitur mirum evenit, talia ostenta, ejusmodi mala, tot calamitates, populum ad summam desperationem perduxisse? Non aderat inter Israelitas Pericles, qui sagacitate sua talis portenti metum sociis suis adimere et hoc ipso facto eorum fortitudinem excitare posset. Desiderabantur viri, qui prudentia sua pestis devastationes cohibere, desiderabatur Josephus, qui solertia sua famem condendis horreis temperare sciebat: omnia (si quidem sapientes adhuc viri fuerint, qui de populo bene mereri vellent) bellis intestinis, discordiis, tumultibus eversa fuisse videbant. Inspicias oracula Jesaiae, Hoseae, Amosi, Michae, et quotquot de his retulerint: temporum istorum calamitates vividis quidem sed atris coloribus depictas cernes, et huic tabulae effatum Tibulli inscribes:

(1) Cf. Mich. in praef. ad Hos. pag. 8 seq.
(2) Cf. cl. v. d. Palm ad Amos. 8, 9.
(3) Cf. Mich. ad Amos. 8, 11-14; cl. Rosenmüller ad vers. 9, 11-14.

Nunc et amara dies, et noctis amarior umbra :
Omnia jam tristi tempora felle madent (Eleg. II, 4, 11.).

§ XXI.

Incrementa, quae regnum Judae percepit ex bellis istis civilibus.

Haec tristis erat imago, quam regnum Israëlis referebat; species profecto imperii, quod ipsum sibi interitum paraverit, et omnibus civitatibus exitum parasset. Merito igitur quaerunt, utrum meliora fuerint civitatis Judaicae fata : ex ipsa reip. conditione hoc suspicareris, et historiae testimonio idem confirmatur. Praeterea novimus, regnum Judae ex hac tumultuante et fluctuante reip. Israeliticae conditione incrementa accepisse non exigua.

Post mortem Jerobeami cum omnia apud Israelitas seditione permixta essent, Asa Judaeis imperavit, cujus justitia regnum pacis artibus florebat. Civium industriam aluit; mollitiei restitit et civitatem omnibus quibuscunque optimis institutis ad summum prosperitatis fastigium adduxit. Josaphatus, filius, tali patre dignus, populi felicitatem perfecit, et mercaturae commodis insuper mirifice auxit.

Rerum, ad vitam necessariarum, penuria, et fame satis gravi, Israelitae sub Achabo per tres, sub Joramo per septem annos magnopere premebantur, et civium numerus vehementer imminutus erat (1). Bella civilia agriculturae neglectus causae

(1) Cf. 2 Reg. 8, 1 seqq.

sine dubio primariae fuerant. Nonnulli, ut has calamitates effugerent, alio se convertebant : in terras vicinas exibant, ex quibus alii revertebantur; alii ibi remanebant (1). Apud Judaeos florentissima civitatis facies quemque alliciebat; ipsa terrarum Judaeorum vicinitas plurimis, qui tutam, quietam et securam vitam degere mallent, ut huc se conferrent, suadebat. His omnibus regnum Judae aptum erat refugium : qua ratione incolarum numerus mirifice accrevit.

Post mortem Jerobeami II Judaei salutari fruebantur Ussiae et dein Jothami imperio : tunc temporis Prophetae inprimis inter Israelitas cives excitabant suos, ut Hierosolyma adirent, quo, patrum religionis participes, bona etiam et felicitatem perciperent, quibus Judaei utebantur (2).

Regnum Israelis quum everteretur, Judaeis praeerat optimus rex Hiskias. Egregius eorum temporum vates, Jesaias, ejus imperium summis laudibus celebravit, ordinatam civitatis conditionem depinxit, et populi felicitatem admodum facunde delineavit. Habebat rerum civilium moderatores alacres, quales Cicero reip. firmamenta nominavit (3). Viri recensentur, sago togaque praestantissimi, heroes, judices, consiliarii, seniores, et quos amplius in civitate, bene ordinata, exspectes (4). Instituta ejus notiora sunt, quam ut haec in memoriam revocemus.

(1) Cf. 2 Reg. 8, 2.
(2) Cf. cl. v. d. Palm ad Amos. 9, 11, 12.
(3) Epist. ad Diversos I Ep. 8.
(4) Cf. Jes. 3, 2-4; et Jes. 26.

Hiskias, quo plures hujus felicitatis participes redderet, relictos Israelitas etiam cura prosequebatur, quorum principes et peritiores tantum in exsilium ab Assyriis abducti erant. Non enim verosimilitudini obstat, reges Judaeorum Israelitarum ditionibus dein imperasse, saltem maximam apud relictos auctoritatem habuisse, quod de Josia eo magis affirmari potest, quo infirmius iis temporibus fuerit Assyriorum imperium.

Sic populum placida in pace regebat Hiskias, atque ita regnum Judae diutius propter easdem causas perduravit, ob quas Israelis prius interiit, ipsam nempe rerum civilium conditionem, ipsorum regum instituta, et beneficia vel detrimenta, quae hinc necessario redundabant. Quam sententiam si uberius ex ipsa Judaeorum historia explicatam velis, eos eodem modo, quo Israelitas, interiisse videbis. Eandem apud illos efficaciam habuerunt deinceps miserandae istae factiones : peregrina religio introducta, quae semper populum in partes dividere et invicem a se abalienare solet (1), Judaeos quoque, ut vidimus, vehementer afflixit : partium studio Joas et Amazia a conjuratis interemti sunt; aliorum populorum auxilium imploratum partium studium incitaverat, et jam Achasi aetate gravis evasit harum aemulatio. Alii enim Syris, alii Assyriis nomen se dedisse prae se ferebant; ipse rex Jesaiae, illis addicto, ut suspicabatur, diffidebat (2). Post initum cum Assyriis foedus, et eversum Syrorum et Israelitarum regnum, Aegyptii Syrorum locum apud Judaeos occuparunt. Assyriorum partes feli-

(1) Cf. *Heeren Handbuch* II. pag. 147.
(2) Cf. cl. v. d. Palm et Rosenmüllerus ad Jes. 8, 12.

cibus Salmanassaris, et Sargonis expeditionibus superiores factae erant. Metu adactus, Hiskias, Aegyptiorum partes secutus est. Psammetichus tandem acerrimus videbatur libertatis vindex; sed videbatur; etiamsi ejus potentia in dies invalesceret, et Assyriorum auctoritati resisteret. Vehementissime igitur ejusmodi foedera a Prophetis perstringuntur ab Jesaia (1) et Jeremia inprimis: quare *hic* inquit: *O incolae Hierosolymorum! viam ingressi estis Aegypti, ut undas Sichoris biberetis? quare ad Assyrios vos convertistis, ut flumina Euphratis gustaretis* (2)?

Qualis fuerit exitus contentionis factionum, quarum altera Chaldaeis favebat, altera Aegyptiis, Hierosolymorum ruinae testentur, et terra per LXX annos incolis fere privata.

Quae cum ita sint, Judaeos tam diu felicitate fruitos fuisse, animadvertimus, quam vetera reip. instituta retenta sunt;

Deterior donec paulatim ac decolor aetas
Et belli rabies, et amor successit habendi.

(Virg. Aen. VIII, vers. 326.)

(1) Cf. 2 Reg. 18, 7, cum Jes. 31, et v. d. Palm in argumento capitis; cl. Rosenmüllerus ad Jes. 31, 3.

(2) Cf. cl. v. d. Palm ad Jer. 2, 18; Mich. ad h. l. in observ. phil. in Jeremiam, a Schleusnero edit. pag. 12.

CAPUT TERTIUM.

MORUM IN UTROQUE REGNO CONDITIO.

§ XXII.

Morum vis maxima in civilem reipublicae conditionem.

« QUANDOQUIDEM res gestae, ex quibus historia constat, maximam partem ab hominum consiliis sunt profectae, atque proficisci solent, cumque propterea in animorum recessibus rerum causae, quas quaerimus, lateant, cuique apertum esse debet, ad causarum patefactionem plurimum valere, ut eorum *indolem moresque* pernoscamus, quorum in rebus sive gerendis sive moderandis praecipuae fuerint partes maximaque auctoritas. Cum igitur eorum universa consideranda vita est, cum inter se contendendae variae vitae partes, ut in similibus dissimilibusque rebus quid spectaverint, quid fugerint, quid egerint accurate intelligatur. Hac enim una ratione colligitur ea, de qua loquimur, morum conditio, quam cum assecuti fuerimus, tum plurimum profecerimus in causarum investigatione. » Sunt verba Borgeri (1), quibus hic utimur, cujus ratiociniis unicuique persuasum sit, morum investigationem

(1) Disput. de hist. pragm. pag. 37.

quam maximi esse momenti. Ejus rei specimina nonnulla jam vidimus in praecedenti nostra disputatione : Hebraeos novimus plane ad orientalium mores fuisse accommodatos, ad luxuriam et mollitiem propensos : animadvertimus jam sub Davidis et Salomonis imperio paulatim auctam fuisse eam propensionem. Gynaeceum satis splendidum habebat Davides; magnificam curruum, equorum, cursorum, satellitum pompam sustinebat Absalomus et Adonia; quae docent, luxuriam his temporibus in urbe regia jam magnam fuisse (1). Eximie his studiis favebat Salomo, et, mercatura instituta latissima, morum corruptelam vehementer fovit (2). Tunc plurimi Israelitae, mercaturae emolumentis allecti, huic operam navabant: alii in exteras terras abibant, quo magis eam constituerent, et alias gentes matrimoniis, foederibus, societatibus ineundis sibi magis conciliarent; alii in Palaestina remanentes, ipsam terram inexhaustum fontem perpetuo habebant, qui ipsis omnis generis merces praebebat (3). Ipsa Palaestina omnibus opportunitatibus gaudebat, quibus Hebraei utentes, per orbem, tum cognitum, merces quocunque deferre potuerunt : mari Mediterraneo ab hac, mari Rubro ab illa parte accolentes. Maximas divitias jam Davidis, sed multo plures Salomonis aetate comparaverant (4). Atque ita exstitit arctius cum vicinis gentibus commercium, latiorque cum aliis populus mercatura. Quo

(1) Cf. cl. v. d. Palm ll. XII, pag. 73.
(2) Cf. Prov. VII et Hess ll. VIII, pag. 404 seq.
(3) Cf. Schlötzer Versuch pag. 274 seq. citatus apud Hess. ll. VIII, pag. 115 seq.
(4) Cf. Hess. ll. VIII, pag. 164.

melius autem et accuratius de Hebraeorum moribus judicare possimus, paucis illustretur, cum Israelitarum, tum Judaeorum post regnum scissum mercaturae conditio.

§ XXIII.

Mercaturae in utroque regno conditio.

Nullum tempus Hebraeis magis fuit opportunum ad mercaturam faciendam, nisi quod post Salomonem secutum est, quoniam cum vicinis tunc temporis eo magis se conciliaverant. Foedere Jerobeamum inter et Aegyptios nihil aptius fuit ad mercaturae societatem cum Aegyptiis constituendam; nihil commercium inter eas gentes facilius reddidit, nisi eadem sacra resumta. Verum quis non suspicetur, magnam illud jacturam fecisse bellis civilibus, quibus cives adeo a se invicem abalienati sunt: quo factum est, ut de hoc foedere dici possit, eventum spem fefellisse. Alia profecto erat Israelitarum cum Phoenicibus arctior societas, omnium forte societatum, quae unquam constitutae sunt, arctissima; aucta quippe utriusque terrae vicinitate, sacrorumque communione, eaque tandem exstitit conjunctio, ut duas gentes tanquam unam considerares. Quod confirmatur historiae utriusque gentis hoc tempore convenientia, accurata, quam Phoenices de fatis regni Israelis habebant, notitia, et quae plura sunt hujusmodi. Eadem animadvertimus apud Judaeos, iis inprimis temporibus, quum reges Judaeorum cum Achabo et posteris amicitiam coluerunt. Perduravit

etiam eorum cum Phoenicibus mercatura deinceps, quamvis non his vinculis utraque gens fuerit conjuncta. Alliciebat Phoenices Judaeorum cum Edomitis frequentius commercium, alliciebat portuum maris Rubri, Ezion-Geberis et Elathi possessio, alliciebat via munita Hierosolymis in has urbes tendens, urbs Petra in Arabia occupata, aliae denique opportunitates, quibus fruebantur Judaei, quae commercium eos inter et Phoenices perpetuo augere et sustinere debebant. Ea aliquando fuit Judaeorum cum Phoenicibus et Israelitis conjunctio, ut expeditionibus Josaphati etiam interfuisse videantur.

Catervarum iter Salomonis aetate per terram Cananaeam tetendisse, conjicitur ex *mercatorum peregrinantium* mentione (1). Ac revera novimus, iter, quod Babylone in Aegyptum ducebat Israelitarum ditiones transiisse. Jam aetate Josephi memoratur hujusmodi caterva (2), quae viam suam, ut orientalium historia docet, non facile mutare solet. Trajiciebant flumen Euphratis juxta Thapsacum, urbem regni Israelis. Hinc per planities trans-Jordanenses pergentes, Jordane juxta Scythopolin trajecto, per planitiem Jizreelis iter continuabant Dothanem (3) et Samariam transeuntes, mercibus permutatis, per terras Judaeorum Aegyptum petebant. Ex Aegypto oras maritimas tenentes in Phoeniciam proficiscebantur, atque ita et

(1) Cf. cl. v. d. Palm ll. XII, pag. 137 seqq.

(2) Cf. Gen. 37.

(3) De situ Dothanis cf. Hamelsveld ll. III, 114 seqq.

Judaei et Israelitae harum catervarum commercio commode uti potuerunt.

Sine dubio catervis quoque interfuerunt Judaei et Israelitae, lucri faciendi spe invitati. Ita explicari potest, quomodo factum sit, ut tam accuratam de aliis gentibus notitiam comparare potuerint. Evolvas Ezechielis vaticinia, prorsus depictum invenies Tyri forum. Hic animadvertes merces, ex terrae finibus allatas, populosque memoratos reperies, quos antea Hebraei ignorabant. Tam accurate omnia exponuntur, ut non aliter fieri possit, quin ipsi Judaei et Israelitae has expeditiones una cum iis fecerint, rerumque novitate allecti, cuncta penitus cognoscere studuerint. Denique si ipsa hujus mercaturae documenta cernere velis, adspicias palatium Achabi, eburno ornatum, opulenterque exstructum (1). Hebraeorum supellex, ornamenta, omnia testantur. Ipsorum denique prophetarum effata confirmant, quum saepius quamvis oblique, nimium mercaturae studium ejusque detrimenta perstringunt (2). Inter alia celebratissimus praecipue locus est Jesaiae, ubi populos describit, ad urbem Judaeorum regiam adscendentes. Camelorum, inquit, series coeli conspectum tegit; dromadas ex Midiane, ex Hepha advolant, ex Schebae regionibus omnes accelerant, aurum et thus portantes; ad vos, Hierosolyma, omnes Kedarorum oves congregantur; arietibus Nabathensium uti soletis, eosque ad aram adducitis. Quinam sunt illi, qui

(1) Cf. cl. v. d. Palm ad 1 Reg. XXII, 39.
(2) Cf. cl. Rosenmüllerus ad Amos VI, 2. Hoseas II, 5 et 8, XII, 8 et 9 alibi.

procul adveniunt? Sunt nubibus similes, et columbarum instar, quae ad nidos suos festinant; sunt, qui ex terris remotissimis exspectantur: ne Tharsidis quidem naves desiderantur, quae e longinquo advenientes, commercii societatem inire, quae argentum aurumve deducentes, religionem vestram amplecti cupiunt (1).

Ex dictis igitur pro nostro argumento satis appareat, mercaturae studium his temporibus immense accrevisse. Tam ampla fuit Hierosolymorum mercatura, ut Tyrus, suis commerciis adeo nobilitata, huic urbi invideret (2).

Eam vim habuit hoc mercaturae studium, ut Hebraei in dies humaniores, et artium literarumque peritiores redderentur, cujus rei luculenta specimina aetas Salomonis jam praebuerat. Quod vero plerumque obtinet, majore cum humanitate etiam mores permutari, populum integritatem amittere, divitias luxuriae et mollitiei locum dare, id apud Hebraeos etiam confirmatur. Quod jam disputandum restat.

§ XXIV.

Morum conditio apud Israelitas.

Civitas prospera cives prosperos reddit; verum simulatque opulentia in moribus, non in divitiis conspicitur, quae

(1) Cf. cl. v. d. Palm ad Jesaiae LX, 6-9.
(2) Cf. Ezechiel XXVI, 2. XXVII, 17. Cl. Pareau antiq. Hebr. p. 418.

modum excedit, prosperitas in luxuriam abit, in aedificiis omnibusque rebus conspicuam. Qui antea divitiis erant corrupti, postea paupertate perduntur et, bonis amissis, difficile est boni civis officio fungi. Desiderium ad quaeque nefaria perpetranda incitat, et, ut Sallustius, *merito*, inquit, *dicatur genitos esse, qui nec ipsi habere possent res familiares nec alios pati.* His verbis Montesquivius morum corruptelam apud Romanos definivit (1). Et haec ad nostrum argumentum prorsus sunt accommodata : Israelitarum mores his verbis definitos vides, qui eodem modo corrupti sunt.

Ignorantia et cupiditas sunt duae causae quae morum corruptelam mirifice aluerunt : merito Volneyus his causis regnorum interitum attribuit (2); quas novimus eamdem apud Israelitas efficaciam habuisse. Ignorantia falsam sibi fingit felicitatis imaginem, sensibus suis animique incitamentis accommodatam : ad hanc omnia sibi informat, sive bonum sit, sive malum. Cupiditas eum incitat ad ea acquirenda, quae homini grata sunt, et jam utraque facultas conjuncta tantum se ipsum spectat. Hinc sponte omnia mala oriuntur, discordiae, bella civilia, morum corruptela, civitatis denique interitus. Cujus rei documenta apud Assyrios, Babylonios, Graecos, Romanos et recentiores populos occurrunt. Neque apud Israelitas haec desiderantur, sed plane confirmata, omnibus numeris repleta fuerunt. Apud Israelitas, nondum

(1) Ll. pag. 86. chap. X.

(2) Cf. *Volney, les Ruines ou Méditations sur les révolutions des grands empires, chap. VIII.*

literas edoctos et disciplinis confirmatos, ista ignorantia vigebat : hi destituti lege Mosaica omnique legis norma, jam ad vitulorum, jam ad Baalis cultum se convertebant, nescii, quibus nomen suum darent. Arctiore cum Phoenicibus conjunctione, mercaturae emolumentis divitiisque allecti se ipsos ditare, suaeque tantum felicitati prospicere studebant. Inscii eorum mores resumebant et inviti corruptelae labe contaminabantur. Sacra perpetuo istud imitandi studium alebant, haec indies magis magisque valebant, salutaribus praeceptis abrogatis, quae sapiens Hebraeorum legislator ad hoc malum cohibendum promulgaverat. Antea in deserto ostenderant Hebraei, quam facilis fuerit sacrorum morumque resumtio (1). Cultus Phoenicum inprimis indulgebat hominum lubidinibus, quae apud orientales, qui vehementioribus affectibus ducuntur, eo graviores evadunt (2). Religionis causa Veneri se consecrantes, sub hac specie omnia horrenda perpetrant (3). Jam rex seniores et magnates, hi denique populum vicissim perdebant. Nemine resistente, vir insons coram omni populo lapidibus obruitur : pecunia enim et judices, et populus venales erant (4).

Aetate Jerobeami II iisque praesertim temporibus turbulentis, quae eum secuta sunt, mores penitus corrupti et deperditi fuerunt. Res ipsa docet et Prophetarum scripta satis

(1) Cf. cl. v. d. Palm ad Num. XXV, 2.
(2) His alludit Hoseas IV, ℣ 12 seqq.
(3) Cf. cl. Rosenmüllerus et cl. v. d. Palm ad Hoseam IV, 14.
(4) Cf. 1 Reg. XXI, 11.

luculenter hoc declarant. Tunc temporis cum magnates, tum populus turpissimae superstitioni publice litabant. Vitulorum cultum, quo Aegyptios, Baalis sacra, quibus Phoenices aemulabantur, non ita pridem consectati fuisse videntur (1). Proceres injustitia, expilationibus, innocentum caedibus in ceteros cives saeviebant; ne ipsi quidem judices, quibus jus exercendum commendatum fuerat, ab istis criminibus immunes erant (2). Sacerdotes, auspiciis illius Jerobeami, cujus nunquam nisi cum summa vituperatione mentio injicitur, constituti, ab ejusque successoribus servati, patriae religionis, virtutisque causam quum tueri, populum veram ejus rationem quum docere deberent, non modo neglexerunt, quod sui esset muneris, verum etiam contraria fecerunt, opibus potentiaque elati, luxuria et lascivia diffluentes (3). Privati denique homines, neglectis sanctissimis quibusvis officiis, quae tam Deo quam sibi invicem cives in civitate debent, in hoc praecipue studium incumbebant, ut, quibus possent artibus, et dolis opes corraderent, in aliorumque detrimentum ditescerent, atque solius voluptatis amore ducti, securae quieti, luxuriae, abundantiae, intemperantiae dediti, se vitiorum illecebris et cupiditatum lenociniis traderent ac pietatis doctores deriderent (4).

(1) Cf. Hos. IV, 4, 5. V, 5, 21 seqq.

(2) Cf. Hos. IV, 1, 2, II, 6-8 et cl. v. d. Palm et Rosen. ad h. l. Micha I, 8, Amos V, 10-11.

(3) Cf. Hos. IV, 6 et 8. VIII, 13.

(4) Cf. Hos. IV, 2, 11, 13 et 14. XII, 8, 9. Sunt verba plerumque Rosenm. quibus hic usi sumus, in praefatione ad Hoseam pag. 30 seqq. Conferri denique meretur Hoseas II, 11 seqq. III, 10. V, 10 seqq. Amos. VI, 1-7. Cf. cl. v. d. Palm et Rosenm. ad h. l. Iidem quoque ad VIII, 4, 5, 6.

Avari et locupletes vehementissime quoque perstringuntur, propter vanitatem, ingentem luxuriam, aedium superbiam, conviviorum apparatum, luxum in domestica supellectile conspicuum (1). Ac porro quid magis confirmat summam morum corruptionem, quam, si tyrannis eo processerit dementiae, ut posterioribus reip. Israelis temporibus ipsius criminis reprehensio crimen censeatur (2).

Merito igitur dicere possumus, morum corruptionem alteram causam fuisse regni Israelis interitus : quod eo luculentius appareat, quum ad Judaeos nos converterimus, quorum, donec mores nondum hac ratione fuerant corrupti, civitas perstitit; quum vero ista labe contaminaretur, eodem modo periit.

§ XXV.

Morum conditio apud Judaeos.

« Imperium facile iis artibus retinetur, quibus initio partum est. Verum ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate libido atque superbia invasere : fortuna simul cum moribus immutatur (3). » Celebre hoc Sallustii effatum commode huic paragrapho inscribitur; quod regni Judaici historia optime probat.

(1) Cf. Hos. III, 15. IV, 1, 2. VI, 4 seq. vid. cl. v. d. Palm ad Amos III, 10-12, 15. Idemque et cl. Rosenm. et Michaelis ad IV, 1. Rosenm. ad III, 9-12, 15.

(2) Cf. cl. v. d. Palm ad Hos. IV, 4.

(3) Sunt verba Sallust. de Bell. Cat. II.

Judaei, ut vidimus § 23, similiter atque Israelitae mercaturae operam navarunt. Ita opes et divitias compararunt, quae necessario aliquam in mores vim exercere debebant, et revera exercuerunt.

Accedebat morum integritatis jactura, quam Judaei una cum Israelitis sub felici Salomonis imperio passi fuerant : et haec macula, temporis intervallo inveterata, non tam facile deleri potuit. Una tantum legis Mosaicae conservatio, patriaeque religionis studium cohibere, quominus latius evaderet ea pestis et efficere poterat, ut positis finibus includeretur. Hanc institutis praeterea optimorum regum constitutam et confirmatam vidimus. Vim igitur, quae Lycurgi legislatio apud Spartanos habuerit ad morum integritatem conservandam, eandem habuit lex Mosaica apud Judaeos. Nihil ad hanc sententiam probandam magis valuit, quam animadvertisse cum legis neglectu non tantum fractum fuisse vinculum societatis, verum etiam mores penitus commutatos, corruptos et perditos. Sub prospero Ussiae et Jothamis imperio apud Judaeos divitiae tantopere in inferiorum etiam detrimentum auctae fuerant, ut magnates pauperes brevi opprimere coepissent (1): tunc temporis quoque ansam dederunt caedibus cruentis (2); tunc luxuria dominium occupaverat, ditiores domos domibus conjunxerant, fundos fundis continuaverant et eo usque processerant, ut nullo loco relicto, hi soli in media terra habitare videren-

(1) Cl. cl. v. d. Palm ad Jesaiam I, 15 et 17.

(2) Cf. Rosenm. ad Jesaiam I, 20 seqq.

tur (1). Mercatura divitias, divitiae mollitiem paraverant (2). Equorum alendorum studium Aegyptiorum superstitionem ex Aegypto traduxerat (3); convivia luxuria et intemperantia insignita erant (4). Maxima et profusa erat Jojachimi luxuria (5). Reges populo signum praeferebant, cives aurum, argentum, gemmas, omnia quaeque pretiosa sibi comparare studebant (6).

Verum et haec luxuria, ista morum corruptio vires regni Judaici vehementer debilitavit, et ansam dedit ut, Israelitarum vestigia prementes, interitum suum praepararent, et, quamvis serius, aliquando tamen hostium praeda fierent : quibus nondum pares succubuerunt et sera experientia edocti, melius sibi faciendum esse intellexerint. Verum eadem omnium gentium est sors, eamdem fortunam experti sunt Babylonii, qui tot hujus rei specimina jam viderant. Persae sunt secuti, alii imitati et hac ratione tot regna toties eversa.

Haec de moribus dicta sufficiant. Vidimus in hac priore disputationis parte Judaeos et quod ad ipsam eorum terram attinet, et mutuam partium cohaerentiam, dein propter firmiorem civilem conditionem, postremo ob minorem morum

(1) Cf. Jesaias II, 8.
(2) Cf. cl. Rosenm. ad Jesaiam II, 6, 7, 16. Cl. v. d. Palm ad Micham V, 9.
(3) Cf. cl. v. d. Palm et Rosenm. ad Jesaiam III, 16, 18-24.
(4) Cf. cl. Rosenm. ad Jesaiam V, 11, 12, 22.
(5) Cf. Jerem. XXII, 13 seq.
(6) Cf. Jerem. Thren. IV, 1, 5 seqq.

corruptelam Israelitis superiores fuisse, iisque superiores mansisse, quamdiu haec apud eos observarentur.

Atque ita ad finem perduximus priorem disputationis partem, qua causae in promtu sint prioris Israelis regni interitus, ratione habita internae utriusque regni conditionis. Ad alteram jam transeamus, qua locus sit externae utriusque regni conditionis paulo accuratius considerandae, ratione habita vicinorum populorum eorumque, quae paulatim exorta sunt, regnorum.

PARS POSTERIOR.

EXTERNA UTRIUSQUE REGNI CONDITIO EX UTRIUSQUE CUM RELIQUIS POPULIS NECESSITUDINE EXPLICATA.

§ XXVI.

Praeparatio.

Ad causas eversae cujusdam civitatis rite intelligendas, non tantum attendendum est ad internam rerum conditionem, verum etiam ad vicinos populos, eosque inprimis, quibuscum huic aliqua necessitudo intercessit. Magnam saepius habuit vim hujusmodi civitatum nexus; magna Persarum, Macedonum, Romanorum fuit in Graecorum civitates efficacia, magna Barbarorum in utrumque regnum Romanum, cum orientis, tum occidentis. Et quis dubitat, an in res Israelitarum etiam et Judaeorum magnam vicini populi, maximamque dein Assyrii et Babylonii auctoritatem habuerint.

Nonnulla passim jam animadvertimus, sed obiter tantum attigimus. Ea enim internarum et externarum causarum est conjunctio, ut saepius ad se invicem accedant; sed non tanta, ut commode conjunctim explicari posse videantur. Hunc igitur locum destinavimus ad has uberius investigandas. Ex praece-

dente disputatione vidimus internam rerum conditionem permultum quidem valuisse ad regnum conservandum : verum, optima licet et firmissima fuerit, non semper prorsus apta est ad omnia cohibenda, quae ex temporum ratione necessario consequebantur. Spectamus imprimis novorum regnorum ortum, Assyriorum et Babyloniorum incrementa. Is fuit earum gentium impetus, ut his resistere non potuerint Hebraei : id fuit gentium illarum agmen et exercitus, ut fluminis instar omnia inundare minitaretur.

Ne vero inepta et jejuna eorum repetitione, quae jam ante diximus, Thersitem agere videamur, brevissimam viam ingrediamur. Singulas gentes perlustremus, earumque rationem, studia, et quae plura ad mutuam earum cum Hebraeis necessitudinem pertinent passim animadvertamus.

Odium vicinorum in Hebraeos infestissimum, bella, quae alii soli, alii, qui minorem illis potentiam habebant, cum aliis conjuncti gesserunt, foedera et societates, quas invicem in Hebraeorum detrimentum inierunt, et quae sunt hujus generis alia, in hac disputatione ubique recurrent, atque specimina exhibebunt alienati eorum erga Hebraeos animi : quibus factum est, ut utrumque regnum maxime interdum debilitatum sit, sed ita ut civitas Israelitarum minus interno valore gaudens, eorum machinationibus impar fuerit, et majus inde detrimentum perceperit : Judaeorum contra internis viribus firmior cum vicinorum, tum remotiorum etiam populorum impetum vel gravissimum facilius cohibere, iisque for-

titer resistere et victoriis suis regni potentiam corroborare et explicare potuerit.

In hac populorum pertractatione primum attendamus ad eos, quibuscum regno Israelis necessitudo intercesserit, passim brevitatis causa Judaeorum mentione facta : denique ad eos nos convertamus, qui Judae regnum praecipue spectant.

§ XXVII.

Animadversiones nonnullae, quae vicinorum populorum efficaciam in Hebraeorum civitates explicant.

Priusquam vero ad hanc disputationem transeamus, vicinorum populorum efficaciam in Hebraeorum civitates paucis illustremus et opportunitates nonnullas explicemus, quibus usi sunt, quo facilius consilia perficerent. Rei militaris tunc temporis apud Hebraeos conditio primum locum obtineat.

Quam rudes antea fuerint Hebraei artis militaris, docent tempora, quibus Judices nonnumquam principatum obtinuerunt. Finitimi, in iisque inprimis Philistaei, tunc huic multam operam navabant et prae aliis arte valebant armorum artificiose construendorum. Saulus demum rem militarem emendare aggressus est, quam perfecit Davides et ornavit Solomo (1). He-

(1) Cf. Hess ll. VII, pag. 47 seqq. 63 seq.

braeorum sub Saulo regiminis forma fere militaris dici potest. Ex tabula, quae eorum virtutes exhibet, qui ex variis tribubus ad Davidem se contulerant, conjicere possumus, quantopere de re militari meritus fuerit (1). Davides ulterius processit et ordinem heroum instituisse videtur, cujus socii, qui certo numero constabant, eo privilegio usi sunt, ut bello et pace regem comitarentur. In tres classes divisi fuerunt, quarum priores tres, tertia triginta socios complectebatur. Locus, si quis mortuus esset, ab alio, eo honore digno, occupabatur; egregium profecto institutum ad militum virtutes digne remunerandas et optimum incitamentum, quo omnes ad quaeque audacia et fortia incitarentur (2)! Utrum post mortem Davidis Salomo hoc institutum sua auctoritate confirmaverit, dubitationi obnoxium est; atque talia cum ejus pacifica regni administratione minus convenisse conjiceres : attamen non constat (3). Davides quoque perspexerat opus esse adjumento, quo seditiones in urbe regia cohiberentur, et, si posset, arcerentur. Hoc consilio orientalium more in aula sua habebat cohortem praetoriam (4). Praecepta legis Mosaicae de re militari pro hujus temporis ratione paululum quoque immutavit vel potius amplificavit. Exercitum alebat ducentorum octoginta octo millium militum, quibus praeerat Joabus, qui maxima apud regem fruebatur auctoritate (5). Salomo equi-

(1) 1 Chron. XII, 23-37.
(2) Cf. cl. v. d. Palm ll. XII, pag. 6, 7. Hess. ll. VII, 843 seqq.
(3) Cf. cl. v. d. Palm ll. p. 9.
(4) Cf. cl. v. d. Palm ll. pag. 10.
(5) Cf. cl. v. d. Palm ll. XI. pag. 229 seqq. XII, pag. 11 seq.

tatum introduxit, quo adhuc Hebraei caruerant, et duodecim millia equitum exercitui addidit (1). Verum hoc institutum magis fortasse luxum quam rem militarem spectasse videtur.

Saulus et Davides prudenter haec peregerunt et posteris suis exemplum praebuerunt. Rem militarem bene et rite ordinare tunc temporis eo majoris erat momenti, quoniam plerumque ex uno proelio, bene, an infeliciter acto, totius regni sors pendebat, non tantum in praesentia, verum etiam in posterum (2): quod multa bella, his temporibus gesta, probarunt. Utrum igitur post regnum scissum reges Israelitarum his patrum vestigiis institerint et perpetuo aluerint exercitum, est difficillima quaestio et propter monumentorum penuriam non prorsus confici potest. Videmus quidem bellum parvum, ut jam dicere solemus, cum vicinis nunquam fere finitum fuisse (3); adeoque suspicareris, talem exercitum eos habuisse: sed ut jam vidimus, id constat reges tantum ad se suamque dignitatem tuendam cohortem instituisse, si exercitus nomine digna sit. Eventus certe docuit eam non parem fuisse vicinis subactis tenendis, eorumque invasionibus cohibendis. Apud Judaeos novimus instituta salutaria Asae, Josaphati, Amaziae, Uzziae, Jothami, quae ad rem militarem pertinent; ex quibus manifeste apparet Judaeos copias tunc habuisse, quae unice armis operam dabant et maxima cum laude bellum

(1) Hess ll. VIII, pag. 269.

(2) Cf. Goguet, *l'origine des lois* II, 297. III, 144.

(3) Cf. cl. v. d. Palm ad II Reg. 5, 2.

gerebant. Tempora, quibus desiderabantur, malis, quae hinc consecuta sunt, insignita, earum utilitatem optime comprobarunt.

Urbium munitarum defectum civitati perniciosissimum esse quisque perspicit, qui cum Gogueto eas considerat tanquam urbis regiae propugnacula (1). Hebraeis de earum utilitate persuasum fuit, saltem eodem vocabulo notiones *urbem aedificare*, *urbemque munire*, indicare solebant (2). Iis tamen temporibus non multos progressus fecerant populi in arte bellandi et Hebraei demum post Saulum et Davidem (3). Erant urbes munitae simul horrea frumenti, hordei omniumque terrae proventuum, eoque nomine saepissime designantur (4). Utebantur militibus ad urbes muniendas (5). Prudenter igitur Jerobeamus urbem, Penuel, trans Jordanem, aliasque in cis-Jordanensibus ditionibus, urbes munivit et bellico apparatu instruxit (6). Jerobeamum secuti sunt Baeza, Joas, alii. Ramoth, urbs in terra Gileaditica sita, omnium optimum erat propugnaculum contra Syrorum impetus. Attamen eam jam Israelitae, jam Syri tenebant. Nam uterque populus maximum urbis momentum probe perspexit, ita ut belli causa inter-

(1) Muntinghe ll. VII, 135, annot. 269.
(2) Utebantur vocabulo בנה cf. Michaelis Mosaisch. regt. I, § 23, pag. 80.
(3) Cf. Muntinghe ll. VII, 311 seqq. Hess ll. VIII, 70.
(4) Cf. cl. v. d. Palm ad II Chron. 16, 4.
(5) Cf. cl. idem ad I Reg. XV, 22.
(6) Josephus Antiq. Jud. VIII, 8 § 4, idem indicare videtur verbis κατεσκεύασε δὲ καὶ ἐν Φανουὴλ πόλει λεγομένῃ.

dum exstiterit (1). Ceterum ex saepius iterato vicinorum impetu videmus reges Israelitarum urbibus muniendis minorem operam dedisse : nimium iis faciendum erat ad concordiam in regno suo retinendam et restituendam, quam ut aliarum rerum curae ita vacare potuerint.

Rehabeamus imperium suum post Aegyptiorum discessum permultis munimentis circumdedit, et rite observandum est eum consilium habuisse regni adversus circumjacentes populos tuendi, non contra Israelitas, quos minus timuisse videtur (2). Idem fecerunt optimi quique Judaeorum reges, omnium vero maximam operam bellandi arti dedit Uzzia. Nobilitatum ejus imperium novorum instrumentorum inventione, bellique apparatus perfectione (3). Hiskia aquaeductum aedificavit, quem alii Salomoni attribuunt, eoque Hierosolyma mirifice ornavit et vehementer munivit (4). Fieri aliter non potuit, quin Judaei, quorum civitas pace plurimum vigebat et sapientissimis regum institutis florebat, artibus et disciplinis majorem operam tribuerent, et militandi artem paulatim edocti ejusque in dies peritiores facti pacem adhiberent ad regnum iis artibus confirmandum et magis constituendum.

Ne vero quis miretur post auditam hanc de belli arte reique militaris conditione disputationem exteros et vicinos in-

(1) Cf. Michaelis ll. § 25, pag. 90 seq.
(2) Cf. II Chron. 11, 5, 12.
(3) Grotius ad II Chron. 26, 14, 15. Rosenm. ad Jesaiam XIV, 28.
(4) Cf. Michaelis et cl. v. Palm ad II Reg. XX, 20. Jesus Sirach XLVIII, 17. Drusius ad h. l. ℣ 22 et Grotius in Bibliis criticis, ad ℣ 19.

primis tantopere valuisse ad Israelitas praecipue et Judaeos vicissim bello debilitandos et denique ad internecionem usque devincendos! Hebraeorum enim indoles, si rem probe perspicimus, universe fuit ignava. Rebus secundis utentes, superbi, erant ceterosque populos odio prosequebantur: amor in patriam non nisi inanis erat superbia et aliorum gentium contemtus. Quis est, qui ea apud Israelitas, qui facto ostenderunt se nullam potius habuisse patriam, quam saltem non magnopere amabant, obtinuisse abnuat; praesertim si Prophetarum scripta evolvat, qui semper haec vitia perstringunt. Ne Judaei quidem, postquam morum integritas apud eos penitus extincta fuerat, hac labe immunes manserunt. In rebus vero adversis Hebraei aliorum dominio facile se subjiciebant et quasi fato cognito servorum instar, jugum sustinere maluerunt, quam ingenuorum officio fungi (1). Ejus rei specimina jam dederant in terrae expugnatione, iisque temporibus quae ad Saulum usque secuta sunt. Ita dein factum est ut apud Israelitas tyranni toties imperium occupaverint, ut denique rebus desperatis, hostibus se tradiderint. Omnium instar sufficiat columna, vel monumentum a Sesostride in Judaeorum dedecus exstructum, quod ipse Herodotus, Nehemiae aetate in Palaestina adhuc reperit (2); quam rem Judaeus ipse, Flavius Josephus, testimonio suo confirmavit (3).

Relictorum in terra Cananaeorum vim magnam fuisse sponte

(1) Cf. Hamelsveld ll. III, pag. 282 seq.
(2) Cf. Herod. II, 102.
(3) Antiq. Jud. VIII, 8, 10, § 3.

apparet : Hebraei iis quidem, hi non Hebraeis se accommodaverant : moribus receptis, Hebraei Cananaeis simillimi facti erant, hi morum suorum tenacissimi fuisse videntur (1). Alii eorum ab Hebraeis jus civitatis acceperant, ut Gibeonitae (2) et Kenitae (3); alii, quos subigere metuebant, prorsus liberi, sui juris erant, suis legibus utebantur, urbes suas incolebant, a regibus suis regebantur. Quanti detrimenti sit populo liberas aliarum gentium civitates media in terra habere, disputatione non indiget. Docet Hebraeorum historia, quid talium machinationes efficere potuerint. Hinc tam facile fuit vicinis Israelitas toties subigere, faciebant illae civitates cum hostibus Hebraeorum, ab iisque rursus praesidia accipiebant. Ita factum est, ut urbs Jebusitarum ad Davidis usque tempora tam pertinaciter Hebraeorum molimina irriserit (4); ut Gazeritae, Salomonis aetate, demum devicti sint. Attamen, hisce urbibus subjectis permagnum supererat Cananaeorum agmen. Notum est, quid Salomo fecerit (5), qui eos templo extruendo adhibuit. Verum nihilominus in terra superstites erant. Intelligit autem quisque, quid quingenta millia (6) hominum facere possint temporibus turbulentis, tumultuosis; quidnam auxilium illi iis praebere potuerint, quibuscum et origine et religione tam arcte erant conjuncti. Nec certe defuerunt. His saltem ratiociniis per-

(1) Nobile est Rechabitarum exemplum Jerem. XXXV.
(2) Hess ll. V, p. 134 seq.
(3) Cf. II Reg. 10 et Jerem. XXXV.
(4) Cf. II Sam. 5, cl. v. d. Palm ll. XI, 11.
(5) Cf. Hess ll. VIII, 114 seq.
(6) Cf. Jahn ll. Erster, Theil Erster Band pag. 146.

ductus, Jehuus Kenitarum principem in suas partes trahere conabatur (1). Alii eum secuti ipsum sine dubio imitati sunt. Hac ratione factionum studia alebantur et ipsi vicini populi in terra, iis inimica, praesidia habebant validissima.

Denique quod plerumque obtinet in quaque civitate, partium studio dilacerata, exsules apud alios populos patrocinium et refugium quaerere, Hebraeis etiam perniciosissimum fuit. Davides, si voluisset, Philistaeos adversus Saulum facile incitare potuisset (2), Israelitae et Judaei deinceps Aegyptios, Assyrios et Babylonios contra populares suos revera excitarunt (3).

Haec universa observasse jam sufficiat : ex quibus appareat quomodo fieri potuerit, ut vicinorum et remotiorum populorum vis et efficacia tanta in Hebraeos fuerit.

§ XXVIII.

Moabitae.

Ac jam primum videamus de populis vicinis, qui utrique regno tributarii fuerunt : de Moabitis et Ammonitis, qui ad Israelis ; de Edomitis et Philistaeis, qui ad Judae regnum pertinent. Denique de Phoenicibus, Syris, Arabibus, Aegyptiis, Assyriis et Babyloniis : ac jam primum transeamus ad Moabitas.

(1) Cf. II Reg. X.
(2) Cf. cl. v. d. Palm II. XI pag. 152.
(3) Cf. Hoseas VII, 8 seqq. XII, 2 alibi.

Moabitae et Ammonitae, communi stirpe oriundi, in Veteri Testamento nonnumquam nomine *filiorum Lothi* nuncupantur. Primum habitabant ab oriente Maris Mortui et Jordanis, inter rivulos Zered et Jabbok. Magna ejus terrae pars iis ademta est, praevalente Amoraeorum potentia, qui his terris et in Ammonitide consederunt. Hos tractus cum Moabitidis, tum Ammonitidis occuparunt Israelitae, qui ceteroquin eos in quieta, quam tenebant, regionis possessione reliquerunt. Tunc temporis ab Israelitis separabantur rivulo Arnone, Rubenitarum termino.

Terra Moabitarum, quamvis non adeo ampla, attamen fertilissima fuit : fame inter Hebraeos grassante tutum iis erat refugium (1). Nobilis ibi crescebat vitis (2), multis, iisque optimis abundabat pascuis, et vita pastoralis apud eos frequens erat et honorifica. Rex ipse amplissimum pecudum commercium cum aliis facere solebat (3). Neque improbabile videtur amplissimas orientem versus planities eos tenuisse et cum gregibus peragrasse.

Hebraeis exacerbati propter terram, quam antiquitus habitaverant, occupatam, nihil inexpertum reliquerunt, ad hanc recuperandam. Accessit odium, quum se ab Hebraeis magnopere contemtos vidissent. Semper avide arripuerunt occasionem qua eos opprimere iisque resistere potuerint (4). Quod quo melius

(1) Cf. Ruth. I, 1.
(2) Cf. Jesaias XVI, 8-10 Jer. XLVIII, 32, 33.
(3) Cf. II Reg. III, 4.
(4) Cf. Michaelis ll. § 24, pag. 84 seq.

ipsis cederet, cum finitimis, Ammonitis et Amalekitis, se conjunxerunt. Notum est bellum, quod moliti sunt sub rege Eglone (1). Gravis sane et molesta oppressio! Nota expeditio Sauli qua eos cohibuit (2). Celebre factum Davidis, quum eos devicit, devictosque sibi subegit (3). Ab eo inde tempore Moabitis Hebraeorum fuit provincia, quae tamen suos reges habebat, qui illorum nomine regnum administrarent. Grave tributum iis impositum erat (4). Post imperii divisionem Israelitis subjecta mansit, ab eoque inde tempore deficiendi occasionem non missam fecerunt. Mortuo Achabo, quo regnante Israelitarum regnum Syrorum bellis maxime exhaustum fuerat, jugum excusserunt. Maxima tum profecto fuit Moabitarum potentia, urbes habebant munitissimas et mercatura florentes (5): sociorum auxiliis maxime insuper et mirifice eorum vires auctae fuerant. Joramus igitur non tantum omnes Israelitas congregavit, verum etiam Josaphatum cum copiis et tributariis gentibus in auxilium vocavit (6). Fortasse quidem Moabitae cum tribubus trans-Jordanensibus unam rem fecerant, quare Joramus eos ibi adoriri voluit, ubi nihil, saltem minus ab illis sibi metuendum erat (7). Propter aquae inopiam exercitus certo periisset, nisi aquarum a montibus Seiriticis col-

(1) Cf. Judic. III, 11-30.
(2) Cf. I Sam. XIV, 47.
(3) Cf. II Sam. VIII, 2.
(4) Cf. II Reg. III, 5.
(5) Cf. cl. v. d. Palm ad II Reg. 3, 19.
(6) Cf. II Reg. III, 6, 7.
(7) Cf. cl. v. d. Palm ad II Reg. 3, 8.

luvione ab interitu servatus fuisset. Recreati hostium regionem invadunt, ibique omnia vastantes crudelissime saeviunt. Omnibus urbibus captis et fere deletis, rex Moabitarum, urbe munitissima inclusus et ad extremas angustias redactus, cum nonnullis ex urbe erumpit; in Edomitas, omnibus forte infirmiores, irruit et inter captivos regis filium etiam abducit, quem, horribile dictu! in muro coram oppugnatoribus vivum immolat. Edomitae hoc facto irati, aliique cum iis conjuncti, inter quos forte dissensio orta erat, re infecta discedunt, quo facto, Moabitae ab lethali interitu et molestissima hostis vi liberantur (1).

Vehementissimum Moabitas inter et Israelitas odium, quod ex hac historia luculenter apparet, ne minimum quidem imminuitur; sed contra implacabile et inexpiabile, tamquam in flammam erumpit, et Israelitis et Judaeis perniciosissimum evadit : hi enim in isto bello non minores partes egerant. In Judaeos Moabitae impetum facere parant, sed quoniam ipsi imbecilliores nec tantae expeditioni suscipiendae pares sunt, secum alios populos conjungunt. Excitant Ammonitas, perpetuo fidos eorum socios : ex Edomitis non nullos, Judaeorum imperium aegre ferentes, vel Maonitas (2), turbam immensam ! A finibus Edomitarum Judaeam ingredi cupientibus Josaphatus, copiis collectis, resistere conatur : loci opportunitas, permultae in vicinitate Maris Mortui speluncae, noctis tenebrae, omnia Judaeis prospera; sed parva manus propter subitum

(1) Cf. Michaelis ad II Reg. 3 et Amos. II, 1-3. Rosenmüll. ad h. l.
(2) Cf. cl. v. d. Palm ad II Chron. 20, 1.

et inexspectatum impetum. Insidiae igitur struuntur (1). Exercitus non prodit; sed in valle vel spelunca vel antro reconditus latet : Levitae contra cum tubis et musicis instrumentis in primo agmine collocantur, laetum hymnum alta voce edunt et, quod ipse rex efficere studuerat, accidit : hostes decepti, falluntur, putantes victoriam jam esse reportatam : suspicantur Edomitas ad Judaeos defecisse : in eos, quibus primum occurrant, irruunt; et tanta oritur trepidatio, tantus tumultus, tanta conturbatio, ut socios hostes, hostes amicos putent : arma in se convertunt et ipsi magnam sibi cladem parant. Judaeis facilis victoria : superstites trucidant, mortuos spoliant et magnam per tres dies rapinam faciunt et castra praedantur (2). Potuere tum dicere Judaei de Ammonitis, Moabitis et Idumaeis quod de Bructeris, Chamavis et Angrivariis dixit Tacitus (3) : « nunc Chamavos et Angrivarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis, vicinarum consensu nationum, seu superbiae odio, seu praedae dulcedine, seu favore quodam erga nos Deorum. Nam ne spectaculo quidem proelii invidere. Sed quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt. Maneat quaeso, duretque gentibus si non amor nostri, at certe odium sui, quando urgentibus imperii fatis nihil jam praestare fortuna majus potest, quam hostium discordiam. »

Neque exstinctum est hac clade, ut quisque perspicit, odium illud Moabitarum. Post Jorami expeditionem Israelitis non

(1) Cf. cl. v. d. Palm ad II Chron. 20, 20-22

(2) Cf. II Chron. 20 et Joseph. Ant. Jud. IX, 1.

(3) Cf. Tacit. de mor. Germ. cap. 33. Sunt verba Grotii ad II Chron. 20, 33.

amplius subjecti fuisse videntur, sed ab eo inde tempore liberi suique juris fuisse. Nunquam disertis verbis ne oblique quidem dicitur vel Joasus vel Jerobeamus II eos rursus subjecisse: animo contra inimico semper ducti sub Joachaso et Joaso (1) incursionibus terram Israelitarum infestarunt. A prioribus cladibus refecti, paulatim magis magisque invaluere. Huic eorum increscenti potentiae nihil magis profuit quam perturbata regni Israelitici conditio. Expugnatos ab Assyriis tractus trans-Jordanenses, a Tiglath-Pilezare Pecacho, Israelitarum regi, ereptos (2), mox occupant, quo facto pristinam terram suam tandem recuperarunt. Assyrii id non prohibuisse videntur: Moabitae saltem hanc sibi vindicant, et decrescente in posterum Assyriae regno, omnes, quas antea trans Jordanem ad Euphratem usque Israelitae possederant ditiones cum Ammonitis tenent, quibuscum foedere erant conjuncti. Itaque Judaeis, imperio internis tumultibus labefactato et externis bellis exhausto, propter vicinitatem hostes erant, minime contemnendi. Secunda a Nebucadnezare adversus Hierosolyma expeditione suscepta, se cum hoc, Syris Ammonitisque conjungunt; et operam suam navant huic urbi occupandae. Postea tamen accrescentem in iis terris Chaldaeorum auctoritatem aegre ferentes et, ne res eorum quid detrimenti caperet, timentes, cum Judaeis missa omni aemulatione, aliisque vicinis populis, regnante Zedekia, Hierosolyma legatos mittunt, qui de foedere, contra Chaldaeos ineundo,

(1) Cf. II Reg. 13, 20.
(2) Cf. ibid. 15, 16.

deliberarent (1). Quinto post Hierosolyma capta anno Moabitae cum Ammonitis a Chaldaeis devicti sunt (2).

§ XXIX.

Ammonitae.

Ammonitarum a Moabitarum fatis non magnopere diversa sunt : eundem gentis patrem habentes, inter se diu conjuncti, eadem loca habitarunt (3). Numero accrescentes, a fratribus sejuncti in septentrionem tetenderunt. Zamzummitas, Rephaitarum tribum, sedibus expellentes, eorum ditiones occuparunt. Moabitide a meridie, Jordane ab occidente, flumine Jabboko a septentrione, ab oriente desertis Arabicis conterminati fuerunt. Amoraei, tranjecto Jordane, magnam cum Moabitarum, tum Ammonitarum terrae partem occuparunt (4) : quam dein inter tribus Rubenitarum et Gaditarum Israelitae post terrae expugnationem diviserunt. Ammonitae in posterum saepius quoque bella gesserunt eo consilio, ut antiquas ditiones recuperarent (5). Sed infelix interdum iis erat eventus : maximam certe ab Is-

(1) Cf. Interpretes ll. ad Jerem. 25 et 26.

(2) Cf. Joseph. Antiq. Jud. X, 9 § 7. Plura de Moabitis, de florentissimis eorum urbibus et quae sunt plura, fusius explicat Rosenm. in schol. ad Jesaiam 15 et 16.

(3) Cf. Gen. XIX, 38.

(4) Cf. Num. XXI.

(5) Cf. Jud. XI.

raelitis et tribubus inprimis trans-Jordanensibus cladem acceperunt, quibus tunc Jephtha praeerat.

De Ammonitarum in Hebraeos odio eadem, quae de Moabitarum, observanda sunt. Hi non nisi cum aliis conjuncti, illi soli interdum Israelitis resistere ausi sunt: ex quibus illorum vires et potentiam Moabitarum majores fuisse intelligitur.

Mutata inter Hebraeos regiminis forma, quod non sine tumultu factum fuisse videtur, hanc occasionem avide arripuerunt, qua antiquam terram recuperarent. Nanas, Ammonitarum rex, urbem, omnium in ditione trans-Jordanensi munitissimam, Jabem, obsidione clausit: qua capta, reliquam regionem Gileaditicam, ceterosque tractus se facile occupare posse censebat. Urbem expugnasset, nisi, factis induciis, Israelitae cunctando rem suam restituissent. Nanas iis pollicitus erat, se civibus parciturum esse, dextero tantum oculo omnibus ademto. Septem morantur dies; eoque intervallo Saulus, copiis collectis, in eos irruit, eorumque exercitum penitus delevit (1). Quo facto, hic in solenni universi populi concione publice rex creatur. Quo magis regnum fundaret, Ammonitas, qui cum Edomitis et Moabitis contra ipsum se conjunxerant, denuo fundit (2). Sub Davide primum cum Hebraeis foedere conciliati fuerunt; quod, ut sponte intelligitur, politicis inprimis rationibus pactum fuit. Sub Hanano, qui Nahaso patri successit, vehementissimum bellum erumpit. Hananus legatos, a Davide,

(1) Cf. Michaelis ad 1 Sam. 11.
(2) Cf. 1 Sam. 14, 47.

ut illi gratularentur, missos, non amice excipit; sed contra summa afficit contumelia. Hebraeorum rex, his auditis, vehementer infensus, Joabum cum exercitu mittit, ut de Ammonitis vindictam sumerent. Hi interea auxilium impetrant a Syriis Sobaeis, mille talentorum pondere promisso. Sibi quoque conciliant reges Maachitarum et Tobitarum : atque ita maximum exercitum colligunt. Nihilominus auxiliares sociosque Joabus devincit : Ammonitae in metropolim refugiunt. Neque ab iis recedit Joabus, priusquam sequenti anno urbem post longam et gravem obsidionem oppugnaverat (1). Ammonitae deinceps Hebraeis subjecti fuerunt; eorumque terra, in provinciae formam redacta a suis regibus Israelitarum nomine administrata est. Alter Nahasi filius, Zobi, in Hananis locum restituebatur. Hic dein Davidem, Absalomis causa, fugientem amice excipiebat. Ejusque filiam forte vel sororem Salomo in matrimonium duxit, Naamam, Rehabeami matrem.

Post regnum scissum Israelitis primum subjecti fuerunt : dein Judaeis. Uzziae tributum pendebant et a Jothamo bello aggrediebantur (2). Haud ita multo post defecerunt, et, veluti Moabitae, etiam a prioribus cladibus refecti, everso regno Israelis et debilitato Judaeorum, accreverunt. Cum Israelitis iis temporibus, quum regnum intestinis discordiis dilaceraretur, bella gesserunt gravia, vel potius irruptionibus et vexationibus eos infestarunt. Odium vehementissimum in facinoribus, quae

(1) Cf. 2 Sam. 10, 7-14. II Sam. 11. Joseph. Ant. Jud. VII, 6. § 1-3.
(2) Cf. 2 Chron. 26, 8 et 2 Chron. 27, 5.

tunc perpetrarunt, manifesto conspicitur (1). Plurima de infestissimo eorum in Hebraeos universos odio Prophetae tradunt. Itaque cum Ammonitae tum Moabitae, aliae etiam vicinae gentes jure dici possunt utriusque regni debilitati et labefacti auctoress. Cum Moabitis et Chaldaeis in Jojakimum se conjunxerunt: ejusdem, atque Moabitae, foederis, in Chaldaeos initi, participes fuerunt: qua re cum illis ab his subjecti sunt (2).

Terram incolebant Ammonitae fertilissimam, frumento, aliisque proventibus abundantem (3). Ceteroquin de Moabitis et Ammonitis eadem valet observatio, regnum satis splendidum et magnificum fuisse, eosque non tam barbaros et incultos fuisse, quam alii vulgo censent. De Ammonitis hoc inprimis affirmari potest. Regni caput urbs erat, vulgato nomine Rabba nuncupata, quo epitheto orientales, Syri inprimis, regnorum capita plerumque denominare solebant, ea inprimis, quae reliquas magnificentia et splendore superabant (4). A Graecis vocabatur Ραββατάμμανα, postea Φιλαδέλφια; ab Arabibus Amman vel Ammon. Sita erat ad flumen Zerkam, a quo in duas partes dividebatur: superior dicebatur altera, altera regia, vel et ab aquarum colluvione nomen habebat. Stephanus hanc fuisse refert tertiam Syriae urbem, eamque nobilem. Rudera, quae adhuc conspiciuntur, sunt amplissima et veteris splendoris vestigia (5).

(1) Cf. cl. Rosenmüll. ad Amos I, 13.
(2) Cf. Joseph. Ant. Jud. X, 9.
(3) Cf. 2 Chron. 27, 5 et cl. Rosenm. ad Ezech. 27, 17.
(4) Cf. Michaelis Spicil. Geogr. Hebr. Ext. II, 6 seqq. et cl. Rosenm. ad Amos VI, 2.
(5) Cf. Michaelis ad 2 Sam. 10, 8, 12, 26 et 27. Cl. Rosenm. ad Amos I, 14. Joseph. ll. VII, 6.

Regum luxuriam novimus ex corona aurea, gemmis ornata, ingentis ponderis, qua Davides inter praedam potitus est (1). Rex cum Ammonitarum tum Moabitarum, ut plerumque obtinuit in iis regionibus, non absolutam, sed populi vel principum auctoritate circumscriptam, potestatem habuit (2).

Antea incultiores, aliorum populorum commercio paulatim ad eum cultum eamque humanitatem pervenerunt. Religionem et sacra cum Moabitis communia habebant, neque admodum diversa a vicinis. Haec communis religio arctiorem cum iisdem populis societatem reddidit. Sub Joachaso Judaei cum his magis conjuncti fuisse videntur, inter Deos peregrinos etiam Moabitarum, Ammonitarumque idola recipientes (3).

Ac denique ex omnibus, quae de iis narrantur, apparet, quod jam verbo monuimus, infestus Hebraeos inter et Ammonitas Moabitasque animus. Hinc tanta crudelitas utrimque conspicua, hinc tantae vexationes, tantaque bella; atque illud odium utrique summas peperit calamitates. Maximi profecto momenti fuisset Israelitis eas gentes sibi tributarias habere: sed non diu, ut vidimus, habuerunt.

Atque haec erat regionum, Israelis regno subjectarum con-

(1) Cf. Michaelis ad 2 Sam. 12, 30.

(2) Cf. Amos I, 15. II, 3. Exod. XV, 15.

(3) Cf. De Molocho, *Algemeene Historie* a Westerbanio Belgice versa ex Anglico sermone II, 35 seqq. qui omnium fere sententias collegit.

ditio. Videamus utrum Judaei ex talibus populis majora emolumenta perceperint.

§ XXX.

Edomitae.

Edomitae ab Esavo oriundi, qui et Edom vocatur, nomen acceperunt : vocantur quoque Idumaei et incolae montium Seiritidis. Huc Esavus e terra Canaane se receperat : tunc ab Horitis habitata erat. Describuntur Horitae tamquam feroces, bellicosi et speluncarum antrorumque incolae, Trogloditae. Cum isto populo ineundis conjugiis Esavus ejusque posteri se conjunxerunt; verum numero invalentes, antiquos incolas finibus detrudere conabantur (1). Plurimi tamen videntur esse relicti et montes petivisse, in quibus vitae agendi rationem commodius sequi poterant (2). Ita quidem in unam cum Edomitis gentem coaluere, ad eosque referebantur; attamen in montibus consedentes, ab aliis cultioribus terrae incolis separati mansere, et postea Judaeis omnium maxime erant molesti. Hi forte quidem intelliguntur quum de incolis montium Seichicorum sermo est, v. c. opportunitate belli Josaphati : eosque interdum, quum reliqui Edomitae non

(1) Cf. Deut. II, 12 et 22.

(2) Cf. cl. v. d. Palm ad Gen. XXXVI, 20.

omnes bello se immiscerent, invasionibus Judaeam vexavisse, credibile est.

Maximam septentrionalis Arabiae partem tenebant Edomitae (1), terram non ubique aeque fertilem, sed plurimos habebat tractus, soli fertilitate nobiles : celebrantur agri, vineae, alia (2). Vinum laudatur fuisse egregium, Palaestinae non inferius (3). Neque pascuis egebant ad pecus pascendum (4). Ceteroquin ipsa regio montium jugo a natura munita erat contra Nomadum irruptiones. Propter regionis situm mercatura jam antiquitus fuerant intenti : in libro Jobi jam mentio fit catervarum Themani, navium, commercii cum Arabia felici, auri, gemmarum, quin etiam astronomiae peritia laudatur (5) Phoenices, quamdiu in eorum vicinitate habitavere, aemuli quidem fuerunt; sed postquam discesserant, Edomitae soli maris principatum retinuerunt, mercatura cum Sabaeis inprimis frequentata est. Deinceps Phoenicum in eos invidia apparet, qui perpetuo aemulos suos superare conabantur. (6).

Populus, mercaturae operam navans, idem quoque fit ingeniosus, excultus, humanus : tales etiam agnovimus Idumaeos. Jam antiquitus ingenio acuto, solertia, prudentia cum rei

(1) Cf. cl. Rosenm. ad Gen. XXXVI, 8.
(2) Cf. Num. XX, 7.
(3) Cf. Jer. XLIX, 9. Obadja 5 et cl. v. d. Palm ad Jes. LXIII, 1. *Algem. Hist.* II, pag. 77.
(4) Cf. Jerem. XLIX, 20.
(5) Cf. Job IX, 9 et XXXVIII.
(6) Cf. *Heeren Ideen I, 2 Abth. pag.* 64.

civilis, tum militaris erant nobiles : celebratur apud Prophetas Themanensium sapientia (1) : et si hic locus esset latius exponendi, quantopere literarum artiumque studio excelluerint Edomitae, laudari possent tamquam omnium fere orientalium tunc temporis sagacissimi (2). Animadverti quoque meretur populi ingenium et solertia in antiquissima regiminis forma. In complures tribus distinguebatur Edomitarum gens : cuique tribui praeerat Phylarchus vel dux : omnes tribus arcte inter se erant conjunctae; conjunctis imperabat rex. Regia dignitas non erat haereditaria; sed rex in communi, ut videtur, populi concione creabatur. Phylarchi, ut saepius fit, aemulatione ducebantur, quo factum est ut plerumque peregrinus ad regiam dignitatem obtinendam pervenerit : quod tamen nemini metum injicere poterat : Phylarchorum enim auctoritate regis dignitas circumscripta fuit. Ne miremur exteros reges fuisse creatos : attendamus ad populi conditionem. Cum aliis commercium habentes, exteros in terram suam alliciebant, allectos amice excipiebant, jure civitatis donabant : et sic facilis ad ea munera est transitus. Quae si teneamus, antiquissimi cum Syris ex urbe Reth-Rechob, et cum Euphratis accolis, certe quoque cum Babyloniis, commercii vestigia deprehendimus (3).

Mercaturam facientibus commercii vitia et commoda sunt communia : abundantia luxum, luxus fastum, alia ejusmodi vitia parit, atque iste partus inter Edomitas prolem edidit

(1) Cf. Rosenm. ad Obadj. 8. *Algem. Hist. II*, 83.
(2) Cf. *Herder geest der Hebr. Poesie*, *pag.* 186.
(3) Cf. inprimis cl. Rosenm. ad Gen. XXXVI.

haud exiguam. Vanitatem, insolentiam, superbiam acerrime perstrinxit Obadja (1). Plurimi, in locis excelsis et montibus secure sedentes, alios populos despiciunt et contemnunt. Sed omnium eorum vehementissimum fuit in Hebraeos odium, quod tamquam haereditarium perpetuo propagatum est et revera accrevit eundo: vividis hoc depinxerunt coloribus Prophetae (2) idque passim conspicuum, quacunque parte populi historiam inspiciamus.

Israelitis, amice rogantibus, ut per regionem transirent, non tantum pertinaciter interdixerunt, sed et parum aberat, quin eos armata manu aggressi essent (3). Saulus grave cum iis bellum gessit (4), sed multo gravius insuper, multoque vehementius Davides. Cum aliis populis, ut antea, conjuncti, Hebraeos devincere conati fuerant, sed Davides, triumphis splendidissimis jam nobilis, maxima eos clade affecit, in cujus victoriae memoriam monumentum condidit. Joabum, nondum contentus, cum exercitu in Idumaeam misit. Vidit hic regionem non oppugnari posse, nisi summo periculo, ac tandem post gravissimum decem annorum bellum Edomitas oppressit et praesidia in urbibus collocavit. Quibus peractis, Joabus, facta crudelissima incolarum strage, rediit (5). Talia facinora odium

(1) Cf. cl. Rosenm. ad ℣ 2 et 3.
(2) Cf. cl. idem ad Amos I, 11.
(3) Cf. Num. XX, 18-21.
(4) Cf. 1 Sam. XIV, 47.
(5) 1 Reg. 11, 23, 24. 1 Chron. 18. Joseph. Ant. Jud. VII, 5. § 4. *Alg. Hist.* l. l. 91 seqq.

in Hebraeos maxime auxerunt: solus Hadadus, princeps regiae stirpis, adhuc puer, cum paucis in Aegyptum aufugit. Ibi, adultus, cum Taphine, regis Aegypti sorore, matrimonium iniit, et a rege agro, unde viveret, donatus est. Mortuo Davide et Joabo, veniam rogavit in patriam redeundi. Quam cum frustra ad defectionem sollicitasset, cum Resone se conjunxit, eique in novo Syriae regno condendo opem praebuit (1). Idumaeos eo perducere non potuerat, quoniam ut Josephus (l. l.): Κατείχετο γὰρ, inquit, φρουραῖς πολλαῖς, καὶ οὐκ ἦν ἐλεύθερος δι' αὐτὰς οὐδ' ἐπ' ἀδείας ὁ νεωτερισμός. Hac ratione Hebraeis subjecti manserunt: nam post mortem Salomonis ad regnum Judae pertinebant, ejusque diu fidi socii fuerunt.

Postquam Idumaea in provinciam redacta fuerat, suos ipsi reges Edomitae retinuerunt, qui Judaeorum nomine regnabant. Erat tunc temporis regia dignitas, ut videtur, haereditaria (2). Rex cum exercitu Judaeis, bello exorto, auxilium praebere debebat, quod plus semel factum esse constat. Judaeorum imperio obediverunt ad Josaphati mortem. Ejus aetate non universus, ut supra vidimus, populus belli cum Moabitis et Ammonitis particeps fuisse videtur; sed montium tantum incolae cum aliis conjuncti, qui Judaeorum imperium aegre ferebant. Non improbabile videtur his temporibus inter Edomitas duas inprimis factiones fuisse, quarum altera Judaeis, altera priori regiminis formae favebat. Illa hucusque superior, jam gravi Judaeorum imperio inferior evasit, et alterius causae plerum-

(1) Cf. 1 Reg. XI et Joseph. ll. § 6.
(2) Cf. 1 Reg. XXII, 48. 2 Reg. III, 9.

que deinceps nomen dedit. Idumaei igitur tale imperium jam dudum aegre ferentes et amplius jugum ferre recusantes sub Joramo, quo regnante Judaeorum res in pejus ruebant, defecerunt. Grave ab utraque parte odium, gravius eo bellum: noctis opportunitate usi, Judaei ex insidiis, quas hostes ipsis struxerant, se expediunt, magnamque inter Edomitas stragem edunt. Nec tamen eos ad officium redegit Joramus. « Ab hoc inde tempore (sunt verba regum auctoris) defecerunt ab Judaeis ad hunc usque diem. » Quibus verbis certe indicatur, illos numquam sub horum imperium rediisse.

Liberi suique juris facti regem crearunt, Judaeorum praefectum munere moverunt et Bosram, urbem a Prophetis nobilitatam, regni caput constituerunt (1). Tunc inimici in Judaeos animi specimina manifesta ediderunt: bella et inimicitiae inter utramque gentem deinceps saepius traduntur. Judaei per longum tempus aliis negotiis impliciti fuerunt, ita ut de Edomitis subigendis cogitare non possent. Post sexaginta annorum fere intervallum, quo novam civitatem conditam fundatamque restituerant, Amazia splendidam de iis victoriam reportat, multa millia fundit, totidem captivos abducit, quo facto urbem munitissimam Sebam, quae et Petra vocatur, expugnat (2). Sita erat non procul a portu nobilissimo Elath in via quam tenebant catervae. Hac urbe occupata, securam et firmam in his regionibus stationem acceperunt Judaei. Ejusdem utilitatis erat Spartanis Deceliae expugnatio, durante bello Peloponnesiaco,

(1) Cf. cl. Rosenm. ad Jes. XXXIV, 6. Jes. LXIII, 1. Amos I, 12. Michaelis ad Jes. XLIX, ✝ 13.

(2) Cf. 2 Reg. 14, 7. Cl. v. d. Palm et Michael. ad 2 Chron. XXV, 11, 12.

quae urbs erat Atticae munitissima. Eodem modo profuit Judaeis Petra, quae, ipsa natura munita, montibus imposita, asperis praeruptisque rupibus circumdata, hostium impetum quamvis vehementem perferre potuit.

Judaei in praesentia arma latius propagare non ausi fuisse, videntur, Edomitarum impetum metuentes. Aliquot demum annis posta Uzzia vicinam urbem Elath expugnavit, quam ad Achasi usque aetatem Judaei tenuerunt (1). Tunc Edomitae, debilis imperii conditionis probe conscii, in Judaeam impetu facto, multos interficiebant, permultos captivos abducebant. Horrenda facinora perpetrasse et crudelissime in Judaeos saeviisse videntur. Huc forte respexit Joelus, *qui, Edom,* inquit, *in desertum convertetur, propter innocuum sanguinem, quem in Judaeorum terra perfuderunt.* Neque his contenti, Edomitae, quo magis Judaeorum potentiam frangerent, foedus inierunt cum Pecacho Israelitarum et Resino Syrorum rege, qui, ut Judaeam debellarent, societatem invicem pepigerant. Nam talis erat horum populorum in Judaeos invidia, ut, abjurata perpetua, quae singulis intercedebat, aemulatione, eo se perduci passi sint. Resin igitur nullo modo Judaeis magis nocere et Edomitis melius auxiliari se posse putavit, quam, si portum nobilissimum Elath caperet, Judaeosque, qui ibi habitarent, finibus expelleret (3) : quo facto hic perpetuo Idumaeorum fuit.

(1) Cf. cl. v. d. Palm et Mich. ad 2 Reg. 16, 1 et 2 Chron. 28, 17.
(2) Cf. Joel 4, 19, nisi forte ad posteriora tempora locus sit referendus. Cf. cl. Rosenm. ad hunc locum, idemque ad Obadjam, ✝ 10.
(3) Cf. cl. v. d. Palm et Michaelis ad 2 Reg. 16, 6.

Nulla de iis per centum annos deinceps mentio fit; eo tempore mercaturae forte operam navarunt adeo ut civitas, bellis, ut videtur, non implicita, mirifice floreret et insignem celebritatem nancisceretur, cujus vestigia in Judaeorum scriptis occurrunt (1), ita ut hostes, qui antea Idumaeam stantem florentemque viderant, ruderibus conspectis, attoniti et obstupefacti consisterent (2).

Increscenti Chaldaeorum potentiae resistere conantes, inter populos etiam recensentur, qui Hierosolyma profecti fuerant ad foedus contra illos ineundum (3). Nihilominus socii fuerunt Chaldaeorum, quum Hierosolyma obsessa expugnarunt. Tunc imprimis vetus, quam perpetuo animo repositam fovebant, ira excitata et incredibili modo infestissime exercitata est. Longum esset omnia, ab iis tunc perpetrata, facinora et quotquot infensi animi furor effecerit, tradere; sunt omnia inveteratae simultatis indicia. Imperium atque ardens vindictae studium his indicatur verbis : *evertite, funditus eam evertite, ne lapis lapidi injunctus relinquatur* (4). Gaudium de urbis expugnatione poetae Hebraeorum compararunt cum hilari et laeto convivio, quod in ipso monte Sione celebrabant (5). Sed quid plura! Observasse sufficiat, ipsos Edomitas paulo post a Chaldaeis subjectos fuisse, quod, quomodo factum sit, eleganter depinxit Obadja.

(1) Cf. de urbibus hujusce regionis Hamelsveld II. V, 411 seqq.
(2) Cf. cl. Rosenm. ad Obadj. 5.
(3) Cf. Jerem. 25, 21 et 27, 3.
(4) Cf. Psalm. 137, 7.
(5) Cf. Obadj. 16.

§ XXXI.

Philistaei.

In terra Canaane Philistaei non aborigines, sed advenae fuerunt. Notat hoc ipsum eorum nomen (1), et historia confirmat. Ante eos aliquis Nomadum populus, Avvim vocantur, illos tractus tenebat; sed, quo tempore pulsus sit, ignoramus. Οἱ ό eos plerumque vocant ἀλλοφύλους, seu alienigenas. De antiqua Philistaeorum patria multum disputatum est; videntur ex Aegypto fuisse oriundi: primaria fortasse eorum patria collocanda est in Aegypto inferiori. Ea vero regio, paludibus repleta, quae coelum humidum reddebant, et hominum sanitati et integritati noxium, ad habitandum non satis idonea fuit. Nondum enim homines ita exculti erant, ut naturae sterilitatem labore studioque evincere possent. Superior Aegyptus incolis jamdiu frequentata fuerat, quae ab iis nomen acceperat Phaturis (2). Alii igitur Philistaeorum fortasse recesserunt Palaestinam versus et sedes fixerunt eam inter et Aegyptum. Hic Abrahamus urbem Philistaeorum reperiebat, Gerarem, cui praeerat Abimelechus. Pro hujus temporis ratione urbs satis culta et ad civitatis formam jam erat redacta. Posterioribus temporibus adhuc pertinebat ad Philistaeorum ditiones (3).

(1) Cf. cl. Rosenm. ad Gen. X, 14.

(2) Cf. Rosenm. l. supra l.

(3) Cf. Hamelsveld ll. V, 425 seqq.

Philitaeorum alii profecti sunt in insulam, Caphthor dictam, postea Cyprum : quae enim Aegypto et Palaestinae tam vicina fuit, illique objecta, ut mirum videri non possit primos eam sibi Aegyptios vindicasse. Cypro aut parum delectati, multis quippe sylvis horrenda, aut quoniam insula incolis non sufficiebat, in Palaestinae oras colonias deduxerunt (1). Hic Avvitarum sedes occuparunt, quorum nonnulli ad Arabes se conferebant. Philistaeis accolentes, dein partim cum iis congruebant, partim iis annumerabantur (2).

Philistaea vel Palaestina (nam hoc erat regionis nomen) oblonga quidem fuit, sed parva admodum; verum populo, qui eam incolebat, et rebus gestis, proeliisque commissis, Graecis et Romanis ita nobilitata, ut haec nomen toti Canaani dederit.

Philistaei circa tempora, quibus Israelitae ex Aegypto sunt profecti, terram expugnasse videntur : viribus non satis valentes, Philistaeos in ipsorum ditionibus reliquerunt, maximo suo detrimento. Populum enim peregrinum, suis moribus, legibus, regibus utentem, in media terra retinere, ut jam obiter animadvertimus, cuique genti periculosissimum est : quid vero a populo, ea praeterea aemulatione incitato, tamque vehementi odio flagrante, nisi exstirpatus sit, exspectari possit, Philistaei docuerunt. Medii inter Israelitas habitantes, montium jugo tan-

(1) Cf. Michael. specil. I, pag. 278 seqq. et cl. Rosenm. ll.
(2) Cf. Josua 13, 3.

tum separati, tantas molestias, tot bella, totque mala et saepius tam vehementia Hebraeis struxerunt, ut non tantum eos debilitaverint, sed plus semel exitio propiores admoverint. Tales erant vires hujus gentis, post splendidissimas Hebraeorum de ipsa victorias, iterum perpetuo convaluerint. Sine dubio hic oritur quaestio : siquidem tantam gloriam adepti sint, et tantopere totiesque Hebraeis praevaluerint, undenam tanta potentia, tot copiae, tot opes, auxilia? Maximi profecto momenti est earum causarum indagatio. Nota enim sunt bella, quae Judicum tempore, quae Sauli aetate, et Davide regnante gesserint : ac licet graves interdum clades acceperint et a Davide subjecti sint, potentes tamen rursus evaserunt post regni Salomonis divisionem : non vero ita valuerunt, ut antea; Judaeis subditi manserunt, qui iis multo erant potentiores.

Rehabeamus, quo melius hos sibi subditos teneret, urbem, unam omnium nobilissimam, Gath, munivit et Judaeorum praesidiis instruxit (1). Diu hanc retinuerunt Judaei, donec tandem Syri, Philistaeos juvantes, eam expugnarunt. Auxilium fortasse praebuerunt Cuschaeis : qua re exacerbatus, Asa urbem Gerarem captam devastavit et de urbis ejusque vicinitatis incolis vindictam sumsit (2). Tributum adhuc pependerunt Josaphato : sub Joramo Judaeam populationibus infestarunt. Uzzia non melius se facere posse arbitrabatur, quam si urbes munimentis privaret (3) : quo facto eos compressit. Verum sub

(1) Cf. 2 Chron. 11, 5.
(2) Cf. idem 14, 13-14.
(3) Cf. idem 25, 6-7.

Achaso iterum plurima Judaeis mala intulerunt et magnam Meridionalis Judaeae partem occuparunt. Gravem ab Hiskia cladem acceperunt, qui totam eorum regionem pervagatus esse narratur. Tandem acerrimo in Judaeos odio incitati, cum Chaldaeis ad eos opprimendos se conjunxerunt (1). Videtis igitur Philistaeorum potentiam. Maximae saepius res non magnis opibus gestae sunt, consilio et summa virium contentioni omnia cedunt : exempla praebent illustria Phoenices, praebent nostri majores. Cum aliis foedera, amicitiam coluerunt, mercaturae artibus operam navarunt et ita tam nobiles facti sunt. Eadem de Philistaeis affirmanda restant.

Ipsi, origine Aegyptii, cum iis certissime diu conciliati manserunt. Nusquam fere initio mentio fit inimicitiarum, quae inter utrumque populum obortae sunt. Vicinitas fortasse vinculum arctius contraxit. Sine dubio hujus necessitudinis majora bona Philistaei accepissent, nisi Aegyptiorum res crebris commutationibus toties permutatae fuissent. Hae affinitatem alienarunt et vinculum disruperunt. Verum sane non disruptum est cum altera patria, ex qua huc pervenerant, cum Cypro. Hic enim plurimi eorum populares relicti esse videntur, et interiora insulae loca occupantes, se propagarunt et extenderunt. Phoenices brevi oras radentes, insulam urbibus frequentarunt : id vero societatem non dissolvit. Nam in Palaestina altera Philistaeorum pars iis finitima erat, eodemque studio intenta; quare eadem moliri, amicitiamque colere, utriusque populi praecipue intererat.

(1) Cf. cl. Rosenm. ad Ezech. 25, 15.

Iter catervarum, quae ex Arabia veniebant, Petra in unum alterumve Philistaeorum portum tendebat. Hinc magnos fructus percipiebant Philistaei, magnos quoque Phoenices. Talem mercaturae opportunitatem has gentes conjunxisse, dicere vix opus est : Philistaei, audito Chaldaeorum impetu, Phoenicibus auxilia mittebant (1). Erant enim bellica virtute his praestantiores, armis curribusque nobilissimi. Mercaturam insuper ipsi faciebant: accolentes mari Mediterraneo, Phoenicibus commercii societatem iniisse videntur. Portus habebant egregios, Gazam, Askelonem, alios (2). Maximopere dolendum est, nihil fere de ea mercatura innotuisse: res gestae horum famam maximam partem forte Phoenicum obscuraverunt.

Altera, quae his populis intercedebat, necessitudo fuit communis utriusque gentis religio, quae effecit, ut in unum eundemque populum fere coaluisse videantur. Celebratur oraculum nobilissimum in urbe Ekronitarum, Dei cujusdam, qui vocatur Baal-Zebub vel potius Baal. *Zebub* non est fortasse, nisi additamentum, non ipsi soli, sed omnibus diis proprium: credebant enim, Deos muscas, bestiolas illis tractibus hominibus molestissimas, a sacris et e templis arcere. Eodem modo Graeci Deos vocabant *μυιάγρους*, *μυιώδεις* et *ἀπομυίους* (3). Omisso igitur additamento, *Baal*, quem si apud populum, mercaturam facientem eumque orientalem invenimus, quis alius est,

(1) Cf. Jerem. 47, 7.
(2) Cf. Ezech. 25, 16.
(3) Cf. Bochartus Hieroz. P. II, 4, 9. Mich. ad II Reg. 1, 3. Gesenius Wörterbuch in voce גבוב.

quam Hercules, summus Tyriorum Deus? Nobilissimum fuit hoc oraculum, quod apparet ex splendida legatione, ab Achazia huc missa.

Alterum insuper Philistaei habebant numen, quod vocatur Dagon, Deam, quae forma et cultu manifesto speciem prae se fert Dercetae. Ridiculis Judaeorum commentis missis eam agnoscimus Phoenicum Astarten (1): et — ecce! principes Phoenicum Dii principes iidem apud Philistaeos! Parvum tantum discrimen animadvertimus: nec mirum, omnis populus indolem suam in Diis quoque colendis reservare solet. Vinculum igitur, quod primum homines, dein civitates sibi conciliavit et inter se conjunxit, eas gentes etiam arcte constrictos tenebat, vinculum religionis (2).

Vestigia praeterea supersunt foederis Philistaeos inter et Edomitas maximo illorum commodo. Ex eo explicatur, quomodo fieri potuerit, ut Edomitae aliquando, postquam a Judaeis defecerant, his pares esse potuerint. Sub Joramo ab una parte Philistaei, ab altera Edomitae Judaeam invaserunt (3). Etiam conjuncti, sub Achaso impetu facto (4), graviter Judaeos afflixe-

(1) Cf. Bochartus ll. I, 1, 6. Seldenus de Diis Syris II, 3.

(2) Huic foederi Philistaeos inter et Phoenices allusit quoque Jesus Sirach 46, 18: καὶ, inquit, ἐξέτριψεν scil. ὁ κύριος ἡγουμένους Τυρίων καὶ πάντας ἄρχοντας Φυλιστιείμ. *Nimirum*, inquit Grotius ad h. l., *quia Tyrii foederati Philistinis.* Praeterea hanc societatem revera exstitisse affirmari posse videtur ex Zachar. 9, 5. Cf. cl. Rosenm. ad h. l. Huc quoque respexit Joseph. Ant. Jud. VII, 4. § 1.

(3) Cf. II Reg. 8, 20 seqq.

(4) Cf. II Chron. 8, 17-18.

runt. Qua opportunitate captivos infestissimis ipsorum hostibus, Idumaeis, tradiderunt (1): quidni aliis potius, nisi statuamus, illos populos societate vinctos fuisse, cui ineundae et confirmandae idem odium gravissimum et utriusque regionis vicinitas et idem mercaturae studium idoneam occasionem praebuerant?

Neque improbile est, ab Edomitis conditam fuisse Azotum vel Aschdod, mari adsitam. Duplex memoratur urbs ejusdem nominis, mediterranea et maritima. Illa urbs erat munitissima, quam Sargon et dein Psammetichus post viginti novem annorum obsidionem occupavit (2). His obsidionibus urbs antiqua fere diruta fuit, nec in posterum ad pristinum splendorem rediit. Verum tamen ab hoc inde tempore et Apostolorum adhuc aetate ejusdem nominis urbis mentio fit (3). Haec videtur fuisse Azotus vel altera urbs, quae alterius eversione valde aucta et amplificata est. Cujus originem Stephanus his verbis indicat: *ταύτην ἔκτισεν εἷς τῶν ἐπανελθόντων ἀπ'* Ἐρύθρας *θαλάσσης Φυγάδων καὶ ἀπὸ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ* Ἄζας, *ὃ ἐςι χίμαιραν, ἣν* Ἄζωτον *μετέΦρασαν* (4). Quinam fuere *ἐπανελθόντες ἀπ'* Ἐρυθρᾶς *θαλάσσης Φυγάδες*? Fuerunt fortasse Edomitae profugi, qui alterum oppidum, in Aschdodi vicinitate conditum, eodem nomine nuncuparunt. Neque hunc solum portum, sed et Gazam, urbem nimirum mariti-

(1) Cf. cl. Rosenm. ad Amos I, 6.
(2) Cf. Jesaias XX; eadem urbs memoratur Jos. XI, 22, XIII, 3, XV, 46. I Sam. 6 17.
(3) Cf. Actor. VIII, 39-40.
(4) Cf. Stephanus de urbb. in voce *Ἄζωτος* citatus a Relando in Palaestina II, 607.

28*

mam, postea condiderunt (1), Majumam dictam; cujus rei expugnatio terrae Edomaeorum a Davide fortasse ansam dedit. Hac enim opportunitate ob Judaeorum vexationes plurimi, patria relicta, ad Philistaeos se contulisse videntur. Philistaeis sine dubio maximum incrementum! Novimus enim Edomitas artium studio, doctrina et humanitate aliis tunc temporis praestantiores. Orae maris mediterranei eos alliciebant; ibi mercaturae studio indulgere, ibi simul inter populum humaniorem versari licebat. Quidquid sit, occasionem sine dubio dedit vinculi inter utrumque populum constringendi.

Videntur quoque Philistaei, Judaeis quippe tributarii, cum Israelitis aliquando societate juncti fuisse, iis praesertim temporibus, quum hi cum Phoenicibus arcte conciliati fuerunt. Religio saltem eas gentes tunc invicem inter se conjunxit. Cum Aegyptiis dein foedus invicem inierunt Phoenices, Israelitae et Philistaei sub adventum Assyriorum. Quos adeo aggressi sunt Phul, Tiglat-Pilezar, postea Salmanassar : Judaeos contra, qui hujus foederis non participes fuerunt, intactos reliquerunt. Praeterea nusquam bellorum vel inimicitiarum mentio fit Isrealitas inter et Philistaeos (2), nisi sub finem regni Israelis. Qua de causa certo conjici nequit. Philistaeis fortasse ingrata fuit

(6) Traditionem antiquam, quae ad haec tempora fortasse referenda est, reservavit Stephanus (ll.) in voce Γάζα. Ἐκλήθη, inquit, καὶ Ἄζα, καὶ μέχρι νῦν Σύροι Ἄζαν αὐτὴν καλοῦσιν ἀπὸ Ἄζονος..... Ἐκλήθη δὲ καὶ Ἰώνη ἐκ τῆς Ἰοῦς, ἐκλήθη δὲ καὶ Μινῶα. Num fortasse Herodotus haec quoque spectavit I, 1?

(2) De obsidione urbis Gibbethonitarum, quam Philistaei occupaverant (I Reg. XV, 27, XVI, 15) cf. Hess ll. IX, 84.

utriusque regni Judae et Israelis societas, quae diu obtinuerit. Quidquid sit, tunc excitatum est vetus in Israelitas universos odium: et ut rite observat cl. Rosenmüllerus δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται (1). Id saltem Jesaias memorat (IX. 11), eorum impetum gravissimum fuisse, eosque tunc mali inferendi occasionem avide arripuisse.

Minime omittenda est altera causa, qua Philistaeorum terra non tantum magna incrementa acceperit, verum etiam latioribus commerciis floruerit. Aliis enim locis, ut novimus, ex Casluchaeis (2), aliis ex insula Capthore vel Cypro (3) orti fuisse traduntur: aliis rursus Cretenses nominantur (4). Casluchaei ex Aegypto profecti, finitimam terram, postea Cyrenaicam dictam, Aegyptoque vicinam, frequentasse videntur: huic regioni opposita erat Creta. In hanc insulam, alios Aegyptios secuti, qui jam antea in Cyprum trajecerant, descenderunt, nomen Cretensium adepti. Cum his optime conferri potest Homerus, qui tradidit, Cretam a diversis populis fuisse habitatam, qui diversa lingua loquebantur (5). Hinc in Cyprum transiisse videntur, indeque in oras Palaestinae maritimas trajecisse. Hic australem orae tractum occupabant, et postea cum Philistaeis, qui non multo ante ex Cypro fortasse huc pervenerant, quoniam et hi origine erant Aegyptii, facile se conjungebant. Attamen

(1) Cf. cl. Rosenm. ad Jes. IX, 11.
(2) Cf. Gen. X, 14.
(3) Cf. Deut. II, 23. Jerem. XLVII, 4. Amos IX, 17.
(4) Cf. Ezech. XXV, 16. Zephanja XI, 5 coll. 1 Sam. XXX, 14.
(5) Odyss. T. vs. 172 sqq.

a reliquis plerumque separati, et Crethaeorum vel Cretensium nomine a reliquis Philistaeis, qui magis versus septentrionem habitabant destincti fuisse videntur (1). Ac revera Cretenses plurimas colonias deduxisse feruntur, quarum vestigia in vetustissimis traditionibus supersunt (2).

Postremo loco alia memoranda est causa, quae si probata sit, optime intelligemus, quo modo fieri potuerit, ut Philistaei tantam potentiam habuerint. Spectamus quaestionem de fugitivis Cananaeis, ex Palaestina post Hebraeorum invasionem quocumque profectis. Notum est, eorum colonias in terras remotissimas abiisse. Cum iis Philistaei fortasse commercium habuerunt, et perpetuo ab iis ea auxilia nacti fuisse videntur. Minime enim priores Canaanis incolae initio omnem spem terrae recuperandae abjecisse, verosimile est. Philistaei enim brevi urbes ab Israelitis occupatas, Gazam, Askelonem, alias, rursus expugnarunt (3). Dein omnibus viribus collectis, innumeris interdum copiis Israelitas aggressi sunt. Quinam isti, nisi colonias intelligamus, in Palaestinam reduces, quae pristinas ditiones suas recuperare conabantur (4)?

Verumenimvero observandum est, tale quid postea non amplius obtinuisse. Eodem modo, quo de Graecorum, etiam de

(1) Cf. cl. Rosenm. ad Ezeh. XXV, 16.

(2) Cf. Thucyd. I, 4. Stephanus ll. in voce Γάζα: ἐκλήθη, inquit, δὲ καὶ Μινῶα, ὅτι Μινὼς σὺν τοῖς ἀδελφοῖς, Αἰάκῳ καὶ Ῥαδαμάνθει ἰὼν, ἐξ αὐτοῦ ταύτην ἐκάλεσε. Ἔνθεν καὶ τὸ τοῦ Κρηταίου Διὸς παρ' αὐτοῖς εἶναι, ὃν καθ' ἡμᾶς ἐκάλουν Μάρναν, ἑρμηνευόμενον Κρηταγενῆ. Cf. Vitringa comment. in Jes. cap. XIV, 28.

(3) Cf. Judic. I, 18. coll. I Sam. VI, 17.

(4) Exempli loco inserviat omnis instar I Sam. XIII, 5.

Phoenicum vel Cananaeorum coloniis judicandum est. Non semper eadem mansit necessitudo colonias inter et originem: lapsu temporis ipsae coloniae, potentiores factae, imperio capitis subtraxisse videntur, saltem illud minus curasse. Terrae expugnandae et recuperandae cupido, vel furor potius, victoriis Davidis et postea splendenti Salomonis imperio vehementer certe suppressa et exstincta est. Jam videbant, se illud non amplius facere posse: atque haec ipsa Philistaeorum historia confirmat. Post Davidem et Salomonem nunquam tam potentes evaserunt, quod Judaeis inprimis profuit, qui eos eo facilius sub sua potestate retinuerunt.

Judaeis, ut jam monuimus, maximi erat momenti Philistaeorum terram sibi subactam habere: quod eo luculentius appareat, si ad ipsam terram populique indolem attendamus.

Laetus est profecto ejus regionis conspectus: non tantum ubique solum excultum, verum etiam, quocumque nos convertamus, urbes amadvertimus, oppida, vicos, villas (1). Omnia populi prosperitatem, fortunam, felicitatem prae se ferunt: omnibus supereminent urbes primariae, Ekron, Aschdod, Gath, Askelon, Gaza; magnificis templis, aedibus, aedificiis, palatiis ornatae. Minora oppida majorum prosperitate florent, et maxima perpetuo accipiunt incrementa. Terra, summa cura exculta, plurimis iisque optimis proventibus abundat. Nobiles sunt, quae in Askelonis vicinitate crescunt, cypressi: laudatur Aschdodi frumentum: celebrantur praestantissimae

(1) Cf. Rosenmüll. ad Mich. I, 10, 11 et 14.

uvae, cepae, alia (1). Tantopere inter eos praevalebat agriculturae studium, ut vita pastoralis in contemtum abiisse videatur; quam rem edoctus, Zephanja iis minatur terram eorum factum iri caularum mansionem oviumque conseptum (2).

Atque in ea terra reperimus populum, quod prorsus est singulare, qui mercaturam cum militari prudentia mirifice conjunxit. Conspicuum est hoc in quaque regionis metropoli : primariae urbes terra sunt munitissima; ex iisque Gaza viginti novem annorum obsidionem sustinere potuit (3); altera Gath, totius regionis propugnaculum, digna erat, quae Metheg-Amma, id est *frenum cubitus* vel *ulnae* vocaretur (4). Omnes illae urbes in ora maritima portum habebant : nota est Jabne, portus Ekronis, nota Asotus, portus Aschdodi, nota utraque Majuma, portus Askelonis et Gazae (5). Quod sive sit explicandum ex diversa populi indole, quum alii aliunde oriundi essent, sive alio modo; id constat artibus, disciplinis, mercatura floruisse gentem Philistaeorum.

Regiminis forma, ut videtur, fuit Aristocratica. Principes primariae cujusque urbis principes quoque erant in republica viri : quinque numero, quisque nonnumquam regis titulo ornatur : singuli a singulis liberi, foedere tamen conjuncti (6).

(1) Cf. *Algem. Hist.* II, 162 et 163.
(2) Cf. Zephanja II, vs. 6 et 7.
(3) Cf. Herod. II, 157.
(4) Cf. cl. Rosenmüller ad Amos VI, 2.
(5) Cf. de his urbibus Relandus ll. in voce.
(6) Cf. 1 Sam. XXIX.

Bellum si pararent, quisque cum copiis adventabat, iisque praeerat. Res majoris momenti si componenda esset, conveniebant (1). Religio omnes inter se conjungebat : omnes principes, plurimique regionis incolae undique ad festum celebrandum et sacra facienda confluebant (2). Retinuerat hic etiam casta sacerdotalis suam in rebus sacris dijudicandis auctoritatem (3); nullam vero in civilibus, quam optimates et principes sibi reservaverunt.

A Davide subjecti suos reges vel principes retinuerunt (4), ad aetatem usque Jorami. Tum enim ab Judaeis defecerunt: quo facto, ut ex Prophetarum scriptis apparet, vetus regiminis forma rursus invaluit. Jam haec, jam illa urbs majore fruebatur auctoritate (5) : idem vero omnibus erat odium in Judaeos acerrimum, vehementissimum, infestissimum, cujus in historia plurima vestigia animadvertimus (6).

§ XXXII.

Phoenices.

Si qua regio in Palaestinae vicinitate digna sit, quae locum obtineat in hac nostra disputatione, est profecto Phoe-

(1) Cf. 1 Sam. V, 8 et 11.
(2) Cf. Jud. XVI, 26 sqq.
(3) Cf. 1 Sam. VI, 2.
(4) Cf. 1 Reg. II, 39.
(5) Cf. cl. Rosenm. ad Amos I, 6. Zeph. II, 4.
(6) Cf. cl. Rosenm. ad Jes. XIV, 30.

nicia. Est angustus et oblongus terrae tractus, determinatus flumine Eleuthero a septentrione, utroque Libani montium jugo ab oriente, mari mediterraneo ab occidente, regno Israelis a Meridie (1). Frequens incolarum numerus augebatur ingenti advenarum numero, qui regionis opportunitate alliciebantur. Itaque complures exstiterunt urbes, pagi, vici; quo factum est, ut Phoenicia unam tamquam urbem exhiberet, mercaturae studio, divitiarum cumulo, libertatis amore nobilem. Repentino adspectu aliquis omnium industriam agnoscit, omnium alacritatem, intentum omnium animum,

Miratur portas, strepitumque et strata viarum (2).

Inprimis celebrantur Aradus, Antaradus (3), Tripolis, Biblus; sed omnium maxime Sidon et Tyrus: minores Sareptha, Botrys, Orthosia, aliae (4). Quae omnes, ut postea Graeciae civitates, erant sui juris: potentiores tamen in inferiores imperium sibi vindicaverant. Itaque Aradus imperabat Antarado e regione sitae, aliisque circumjacentibus vicis; Sidon Sarepthae ejusque vicinitati (5), aliae aliis.

Regiminis formam nec regnum nec remp. dixeris. Quaeque civitas regem habebat, ejusque imperium erat haereditarium.

(1) Cf. Jahn ll. *Erster Theil, Erster Band*, pag. 61 sqq. Bellermann, *Handbuch der Biblischen Literatur* l. c. II. *Theil*, p. 426 sqq.

(2) Virg. Aen. I, ✝ 426.

(3) Cf. Hamelsveld ll. III, p. 36 sqq.

(4) Heeren Ideen I, 2 Abth. p. 7 sqq. Bellermann ll. p. 431 sqq.

(5) 1 Reg. XVII, 9.

Saepius tamen, orto tumultu, ex altera in alteram familiam transiit (1). Memorantur reges Sidonis, Aradi, Bibli, Tyri. Regum auctoritas ne nimis aliquando cresceret, cautum erat, institutis aliis magistratibus, qui dignitate sua eorum licentiam comprimerent: nam Phoenicum ingenium solebat tyrannidem effugere, libertate frui (2).

Omnes civitates inter se conjungebat societas, in quam etiam receptae erant plures coloniae, Carthago, Gades, aliae. Socii conveniebant, fortasse quidem quotannis, Tripolin, quae urbs a Sidoniis, Tyriis et Aradis condita hoc nomen acceperat (3). Eam ob causam hanc urbem elegisse videntur, ut reliquarum aemulationem evitarent. Huc igitur se conferebant, ut omnes de communi omnium salute deliberarent. Optimum institutum ad omnes communi vinculo arctius connectendos!

Altera necessitudo, quae omnibus intercedebat, fuit religio. Summus omnium Deus erat Hercules, cujus templum, idque magnificentissimum, Tyri conditum erat; quod omnes Phoenices eorumque coloni maximo honore perpetuo prosequebantur.

Societatis princeps primum erat Sidon, deinceps Tyrus. Tyrus principatum obtinuit ad expugnationem usque Nebucadnezaris. Neque tantum in Phoenicia Tyrii dominabantur,

(1) Cf. Joseph. contra Apion. I, 18.
(2) Cf. Heeren ll. p. 19 sqq.
(3) Cf. Didorus Sic. XVI, 41, ed. Wessel. II, p. 113.

verum etiam Cyprii, quam sibi subjecerant (1). Cum accrescente Tyriorum potentia in dies increvit quoque eorum in ipsas Phoeniciae civitates auctoritas, quae in despotismum interdum abiit. Verum Phoenices, libertatis amantes et tyrannidem aegre ferentes, simulatque occasio iis aderat, Tyriorum jugum excutere tentarunt. Nam, ut novimus ex Menandri testimonio (2), Elulaeus, Tyri rex, in Cyprios, qui ab ejus imperio defecerant, expeditionem susceperat, ut hos ad officium redigeret. Quibus cum intentus esset, vel paulo post Salmanassar, expugnata Israelitarum terra, in Phoeniciam tendit. Sidon, Arce et complures aliae Phoeniciae urbes, Tyriorum dominationis pertaesae, Assyriis se subjicere, quam popularium tyrannidi dedere maluerunt. Quin eo processit earum in Tyrios odium, ut vel victoribus classem praeberent sexaginta navium, octingentis remigibus instructam, quo Tyrum expugnarent. Tyrii pertinaciter se subjicere abnuentes, duodecim navibus Assyriis obviam fiunt, victoriam reportant et multos captivos abducunt. Quo facto Salmanassar, postquam frustra per quinque annos Tyrum obsederat, recedit. Haec ex Menandro. Quantopere deinceps increverit Tyriorum dominatio, ex his sponte intelligitur. Sit modo hoc specimen aemulationis, quae inter Phoenices intercessit, quaeque iis etiam interitum peperit.

Tempore regni scissi Tyrus una omnium nobilissima jam fuit. Sub Hiramo, Abibali filio, architecturae amantissimo,

(1) Cf. Ezech. XXVII, 8 et 11.
(2) Cf. Joseph. Ant. Jud. IX, 14.

mirifice amplificata et palatiis aliisque aedificiis magnifice ornata est. Condidit enim hic templum Astartae, et laudatum celebratumque templum Herculis (1). Ab eo inde tempore Tyri auctoritas inprimis accrevit. Nam, quod verosimile est, Phoenices quotannis Tyrum se receperunt ad decimas Deo ferendas, et solennia sacra peragenda. Congregati festa celebrant, gaudium omnium animos exhilarat et universum populum conjungit. Quemadmodum Servius Tullius commune, quod Romae exstruxerat, templum a Romanis Latinisque coli voluit, ideoque Romam omnium caput esse tacite confessus est: ita quoque Hiram eodem modo Tyri splendorem et magnificentiam auxit, et, ut in posterum auctoritate prae omnibus valeret, prospexit.

Huic successit filius ipsius Balnazarus, eique Abdastartus, qui, orto tumultu interfectus est a filiis nutricis suae, qui in eum conjurationem fecerant. Post Delaeastartum, eorum natu maximum, regnavit ejus filius Astartus, cujus frater Aserymus a fratre Phelete occidebatur. Neque hic diu imperium tenuit. Octavo imperii mense, sacerdotum ordine, ut videtur, a se abalienato, ab Ithobalo, Astartes sacerdote, interficitur, qui per triginta duos annos Tyriis imperabat. Ex nimia castae sacerdotalis potentia jam ab hoc inde tempore plurimi tumultus, multaque bella civilia orta sunt, quae, ut vidimus, in Israelitas et Judaeos maximam vim habuerunt.

(1) Cf. Jahn ll. II, 1. p. 150 sq.

Ithobalus vel Eth-Baal simul rex erat Sidonis. Condidit urbem Botryn in Phoenicia, et Auzam in Libya. Eo regnante pluviarum erat defectus per duos fere annos, ut notavit Menander, mirifice Hebraeorum relationibus consentiens (1).

Post hunc secuti sunt Badezorus et Matgenus. Narratur hic Tyro decessisse, filio Pygmalione et filia Elissa, formae insignis virgine heredibus institutis. Populus soli Pygmalioni admodum puero regnum tradidit; Elissa quoque Acerbae (vocant etiam Sicharbum vel Sichaeum) avunculo suo, sacerdoti Herculis, qui honos secundus a rege erat, nubit. Pygmalion, inhians divitiis, homo crudelis, quo aurum et thesauros Sichaei sibi vindicaret, avunculum suum, eundemque generum, sine ullo pietatis respectu, occidit. Elissa, quae et Dido vocatur, diu fratrem propter scelus aversata, tandem dissimulato odio, fugam tacito molitur, quibusdam principibus in societatem adsumtis, quibus par odium in regem esse, eandemque fugiendi cupiditatem arbitrabatur. Elissa in Africam delata, Carthaginem condidit, vel potius conditam amplificavit et ornavit (2).

Atque haec omnia acciderunt, imperantibus regibus, ex sacerdotum casta oriundis: quanti tumultus, quantaeque discordiae! Ab eo inde tempore usque ad eversionem regni Israelitici nihil cognitum est; spatium centum quinquaginta circiter annorum.

(1) Cf. Joseph. Ant. Jud. VIII, 13. § 2.

(2) Sunt plerumque verba Justini XVIII, 4. cf. quoque Vell. Pat. I, 6. ed. Ruhnk. II. pag. 561 sq.

Incidit Pygmalionis imperium circa tempora Joahasi, regis Israelis et Joasi Judaei (1). Mortuo Pygmalione, res Tyriorum integra stetisse videtur ad Elulaei usque aetatem. Eth-Baale II regnante, Tyrus a Babyloniis per tredecim annos obsessa capitur et deletur. Post eum regnavit filius Baal, fortasse Satrapa Babyloniorum; quo defuncto imperium penes Suffetes fuit, novaeque Tyriorum civitati liberior forma imperii contigit.

Quae cum ita sint, non mirum sit, Israelitas, cum hoc populo conjunctos, eodem modo bellisque civilibus et discordiis dilaceratos et perculsos fuisse. Phoenices, qui Assyriorum imperii immunes manserant, Babyloniorum vel Chaldaeorum armis non resistere potuisse, sed cum omnibus Asiae populis eorum imperio subjectos fuisse novimus. Fuerunt etiam inter eos, qui cum Judaeis se conjunxerint, ad crescentem Chaldaeorum potentiam reprimendam. Sidoniorum rex inter eos quoque recensetur, qui Hierosolyma convenerant ad foedus ineundum, quo facto ipsi sui interitus auctores fuerunt.

Jam paucis videamus de eorum coloniis et mercaturae tunc temporis conditione, ut probe intelligamus Israelitarum cum iis necessitudinem ejusque rationem penitus perspiciamus. Quod quum fecerimus, optime exinde colligere poterimus, quantos fructus cum Israelitis, tum Judaeis hinc redundare possint. Ac primum quidem de coloniis.

Prima et praecipua causa, quare conditae sint, fuit studium

(1) Cf. Jahn ll. p. 159 coll. cum 167.

mercaturae quoquoversus propagandae et amplificandae. Phoenices in his condendis non id egerunt, ut imperium extenderent, sed mercaturam coloniarum stationumque munitarum ope adjuvarent. Altera causa fuit nimia incolarum abundantia, quae saepius tumultu excitando periculosa fit communi civitatis saluti. *Postea*, inquit Sallustius (1), *Phoenices, alii multitudinis domi minuendae gratia, pars imperii cupidine, sollicitata plebe et aliis novarum rerum avidis, Hipponem, Hadrumetum Leptin, aliasque urbes in ora maritima condidere*. Recensetur igitur duplex coloniarum mittendarum causa: alios multitudinis minuendae gratia, jussu vel consentiente magistratu, alios imperii cupidine, invito magistratu, colonias condidisse ferunt: Curtius (2) alteram causam posuit in crebris terrae motibus, quibus regionis cultores defatigati, nova domicilia quaerere cogebantur. Huc pertinet fortasse Plinii de Sidonis bitumine narratio (3): atque ita forte complures Phoeniciae vicinae insulae exstiterunt. Antiquissimae profecto Phoenicum fuere coloniae. Phoenices primum habitantes ad mare rubrum in vicinitate sinus Persici, jam mercatura et navigatione inclarescere coeperunt. Hinc fortasse derivanda est Plinii narratio de rege quodam Erythra, qui inventis navigiis in mari Rubro ad insulas navigasse fertur (4). Postquam in Palaestinam transgressi erant, Jacobi aetate, Sidon navigatione et mercatura jam nobilitata fuit (5).

(1) De bello Jugurthino XIX.
(2) IV, 4. § 20.
(3) Histor. Nat. XXXV, 16 init.
(4) Cf. Hist. Nat. VII, 56.
(5) Cf. Gen. XLIX, 13.

Ab hoc inde tempore ad expugnationem usque Palaestinae, mercaturae perpetuo operam navabant, sed, ut videtur, terra plerumque commercia faciebant, inprimis cum Babyloniis, quorum in libris veteris Testamenti passim vestigia occurrunt. Israelitarum in Palaestinam invasio maritimam eorum mercaturam quam maxime amplificavit. Plurimae Cananaeorum tribus, Israelitarum impetui impares, e terra recesserunt, aliamque in oris maris Mediterranei patriam quaesiverunt, et ad columnas Herculis usque se extenderunt. Cujus facti illustre testimonium est inscriptio, ibi inventa, quae Phoenicum lingua conscripta, erat ejusmodi : *Nos sumus fugientes a facie Josuae, praedonis, filii Nuni* (1). Inter plures, quae tunc ex terra Canaane profectae sunt, colonias Cadmus quoque recensendus est, qui in Boeotiam se contulit, Phoenicum artibus in iisque scribendi facultate translatis. Incolae, quod non mirum est, eum *Cadmum* vocarunt, nomen, quod *orientalem* denotat. Neque a fugitivis Cananaeis diversum existimamus populum Pisidiae et Cariae montes incolentem, de quo Josephus mentionem fecit (2). Iis temporibus occupasse videntur permultas archipelagi insulas et oras Ponti Euxini, unde postea a Graecis repulsi, alias in mari Mediterraneo sedes quaesiverunt. Cyprus sine dubio primum coloniis frequentata est. Hic Citium reperimus, Paphon, aliasque urbes, communi Veneris cultu nobilitatas, quae eadem erat atque Phoenicum Astarte

(1) Cf. Procop. de bello Vandalico II, Cf. Bochartus Phaleg et Canaan p. 166 et 416, ed. 4.

(2) Joseph. contra Ap. *γλῶσσαν*, inquit, *μὲν Φοινίσσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες*. Cf. Heeren II. p. 44.

(1). Hinc in Cretam progressi, deinceps Thasum, Rhodumque adoriebantur, quarum metalla eos alliciebant. In Italia quidem non adeo inclaruisse videntur : nam Etrusci et postea Carthaginienses haec loca inprimis petebant. Sed in Sicilia plures condiderunt urbes, quarum in plerisque cultus Astartis seu Veneris Erycinae tantopere florebat, ut de iis amplius dubitare non attineat (2). Neque his recentiores censendae sunt coloniae in occidentali Hispaniae ora, cujus proventus jam ab Homero celebrati sunt (3). Phoenices haec loca communi Tharsichsch nomine nuncupasse videntur. Nobiles in eo tractu fuerunt urbes Tartessus, omnium antiquissima, Gades (4), Carteja, Malaca seu Hispalis, aliae. Phoenices ducentas in his oris colonias recensebant; narrabant quoque de trecentis coloniis, quas in oris Africae condiderant. Plures quidem nobiles, Utica, Hippo, Adrumetum, Leptis major minorque et dein Carthago memorantur : nec tamen tot reperiuntur, quas ne Hanno quidem expeditionis occasione invenit. Plurimae forte molestis Nomadum irruptionibus infestatae et vastatae sunt.

Nec prorsus abjicienda est nonnullorum sententia, Phoenices quoque occupasse insulam Maderam extra columnas Herculis. Id saltem constat eos navigasse, vel postea, vel his fortasse temporibus, in Britanniae et Borussiae oras.

(1) Cf. Heeren ll. p. 32 seq.
(2) Cf. Thucyd. VI, 6. Heeren ll. p. 46 seq.
(3) Cf. Heeren ll. p. 55.
(4) Una cum Utica condita est annis 287 ante Carthaginem : cf. Heeren ll. 55 sq.

Cum his omnibus mirifice consentit Graecorum, quam de Hercule narrant, traditio, qui in expeditione suscipienda idem plane iter secutus est, quod Phoenicum coloniae (1). Agnoscimus summum Phoenicum Deum sub symbolo peregrinatoris latentem, Herculem, quem Phoenices non immerito omnium expeditionum principem et fautorem existimarunt, a quo omnia ipsis redundarunt bona : quin ipsa Herculis denominatio hanc sententiam confirmat. Quid aliter denotat quam *mercatorem* (2)? Phoenices eum vocarunt Melcarten (3).

Omnes hae coloniae conditae sunt eo tempore quod a Davide ad Cyrum usque decurrit : tunc Phoenices erant potentissimi et summa fruebantur auctoritate. Nondum Carthago invaluerat, neque metropolis obedientiae se subtraxerat, neque, dimissis quoquo versus coloniis, eam auctoritatem adepta erat, ut aemula existeret. Jam vero Phoenices erant primarii, mercaturae marisque principatum tenebant. Hinc explicandum est, quomodo factum sit, ut Aegyptii, diu ab exterorum consortio alieni, in ipsa regni metropoli, Memphide, peculiarem urbis partem iis habitandam concesserint (4). Ita vero, si quidem jam antea mercaturae participes fuissent, quae catervarum ope ad

(1) Cf. Diod. Sic. IV, 17 sqq. ex edit. Wess. pag. 262 sqq. Cf. Heeren ll. p. 34 sqq.

(2) Est Hebraeorum verbum רכל, *mercatus est*, unde participum רֹכֵל, cui Graeci more suo terminationem Graecam adjecerunt, articulo praeposito : quo facto ortum est nomen Ηρακλῆς.

(3) Id est *rex urbis*, Tyri scilicet. Ita quoque Cartejam, nomen contractum ex Melek-Karthya (מלך קרתיא). Graeci vocarunt Ηρακλεῖαν : cf. Bochartus ll. p. 615 et 709.

(4) Cf. Herod. II, 112.

remotissimas interioris Africae terras frequenter fiebat, nunc ejus societatis fructus uberrimos percipere potuerunt.

Phoenices non tantum cum coloniis, modo memoratis, sed et cum universa Asia orientem versus non minora commercia faciebant. Quod testantur passim obviae in oris Arabiae coloniae, et permultae mercaturae stationes in sinu Persico, insulae Tylos vel Tyrus et Aradus (1). Verum in sinu Arabico non ita atque alibi horum auctoritas valere potuit. Impediebat terrae situs, impediebant Idumaei, huic vicini, populus, ut vidimus, commerciis faciendis admodum nobilitatus. Nullam igitur Phoenices occasionem missam fecerunt, qua ab hac parte mercaturam proferrent. Hinc gratissimum fuit iis foedus cum Davide, qui Idumaeorum portuum dominium tenebat. Hinc saepius renovata cum Judaeis foedera, hinc explicanda continua et perpetua cum iis servata pax, quam observamus. Neque improbabile videtur Phoenicum plurimos hos portus petivisse, ibique habitasse, quo melius consilium perficerent.

Fuerunt omnes hae coloniae liberae quidem et sui juris, attamen, quamvis dispositae, mutuo amicitiae vinculo magis quam imperio et legibus inter se et cum metropoli conjunctae, eaeque ut Sallustius inquit, *Brevi multum auctae, pars originibus suis praesidio, aliae decori fuere* (2). Omnibus inprimis intercedebat, omnes conjungebat, conjunctosque te-

(1) Cf. Heeren ll. p. 64.
(2) De bello Jugurth. cap. XIX.

nebat necessitudo religionis, cultus Herculis et Astartes. Quocumque tendis et colonias Phoenicum perlustras, ubique templum invenies, Herculi dedicatum : celebratur prae aliis magnificum Gadiensium fanum : alibi nobiliorem aedem, Astartae consecratam, reperimus, Cyprum, Cretam Siciliamque petentes (1).

Antequam ad mercaturam transimus, quam terrâ faciebant, nonnulla de mercibus videamus. Primaria apud Phoenices mercaturae lex haec erat, ut constitutum mercium pretium ipsis mercibus anteponerent (2). Nam auro, argento et splendidissimis quibuscumque et pretiosissimis inhiantes, summum rebus bonum se consecuturos esse censebant, siquidem terram invenissent, metallis abundantem, quibus insatiabili divitiarum cupidini satisfacerent. Hoc furore abrepti gravissima quaeque pericula subire, longinquas expeditiones suscipere, et remotissimas regiones adire ausi sunt : ita ad fretum usque Gaditanum penetrantes, Hispaniam invenerunt, unde aurum, argentum, stannum, frumenta et optimos fructus colligerent. Stannum porro, electrum, succinum, alia ex insulis Britannicis Borussiaeque oris repetierunt. Pretiosissimas margaritas ex insulis Tyro et Arado. Ebur, ebenum, thus, odores, gemmasque nobilissimas ex Arabia et India : alia aliunde.

Eadem lex vel potius consuetudo observari potest apud omnes veteres, et insigne erat Hebraeorum quoque mercaturae. Sa-

(1) Cf. Heeren II. 108-112 et 119 sqq.
(2) Cf. Heeren II. 72.

lomo iisdem ratiociniis usus, eas expeditiones susceperat, quas Josaphatus denuo renovare instituit. Petebant duas inprimis regiones, nomine Tarschisch et Ophir nobilitatas: hoc fortasse insigniuntur omnes regiones, adamatis illis divitiis abundantes, et praecipue meridionales, India, Arabia, Aethiopia: illo occidentales, inprimis Hispaniae orae (1).

Terrestrem mercaturam explicantibus praecipue attendendum est ad mercatorum iter. Catervae, ut statim intelligitur, tendebant per deserta, quae, iter suscipientes, evitare non poterant. Deserta a Nomadibus passim prelustrabantur et molestis latronum invasionibus saepius infestabantur: gravissimum profecto mercaturae impedimentum. Quod quo facilius evincerent, magnas catervas conjungere solebant, in quarum societatem sapienti omnino instituto Nomades recipiebant, qui merces deducerent et ad huic vitae rationi aptiores erant, quam urbium incolae. Hi procul dubio intelligendi sunt apud Ezechielem, (2) ubi Tyrum merces transportasse refert Arabes et Kedarenos. Eodem officio fungebantur Midianitae Jacobi aetate (3). Hac opportunitate ipsi se ditandi occasionem non missam fecerunt, unde explicandae sunt ingentes opes, quae passim memorantur (4). Hoc officio fungebantur quoque Idumaei, quorum alii urbes incolebant, alii vitae pastorali operam navabant (5).

(1) Cf. Heeren ll. 73 sq.
(2) Ezech. XXVII, 21.
(3) Cf. Gen. XXXVII, 28.
(4) Cf. Num. XXXI, 47-53. Jud. VIII, 21 et 26.
(5) Cf. Heeren ll. p. 115 sqq. et elegans locus Jesaiae LXI, 6-9.

Quis est, cui Arabia, thure, myrrha, cinnamo, casia, ladano et praeterea auro, gemmis et quibuscumque odoribus abundans, nota sit, quin statim intelligat mercaturam Phoenicum cum hac terra maximam semper fuisse (1). Arabia jam ab antiquissimis inde temporibus Indiae mercium erat receptaculum : mercaturâ Cuschaeorum regnum nobile evasit, et potens factum est. Phoenices perpetuo alliciebat, quam ob rem Ezechiel in mercaturae Phoeniciae relatione de his amplissime egit (2). Est urbs munitissima in confiniis deserti Arabici, quam Petram vocant, ubi catervae se congregabant et conjunctae iter periculosum suscipiebant. Maris littora plerumque tenentes in transitu locum attingebant, quem Graeci λεύκην κόμην nuncupabant. Hinc Meccam proficiscebantur et Sabam adibant, etiam Mariabam vocatam, Cuschaeoram caput, ibique, mercibus permutatis, morantur, donec patria eos revocet, quorsum laeti redeunt. Si iter tenderet in orientales Arabiae oras, itinere magis obliquo eo proficiscebantur, ibique in insulis Sinus Persici populares reperiebant et hinc cum camelis, oneratis mercibus, quas illi ex India acceperant, vel ipsi exinde detulerant, Petram revertebantur. Hic omnia deponuntur et, rursus armentis imposita, Ascalonem vel Gazam asportantur, vel in alia Arabiae emporia (3). Transeunt per meridionalem Judaeae partem et Bersebae fortasse et in aliis urbibus morantur, ut merces permutent. In portibus has navigiis mari Tyrum deferunt, ubi in foro venales exponuntur.

(1) Herod. III, cap. 110-112.
(2) Cf. Michael. et Rosenm. ad Ez. XXVII, vs. 19-23.
(3) Cf. Herod. III, 5. Heeren ll. p. 198 sqq.

Aegyptus jam antiquitus totam Africae mercaturam in sua habebat potestate. Phoenices igitur e re sua se facturos esse arbitrabantur, commercium cum iis facientes. Patriarcharum tempore mercatura eos inter et Aegyptios jam florebat : vestigia occurrunt aetate Jacobi (1), eamque semper illos obtinuisse apparet ex Ezechielis relationibus (2). Quod insuper confirmatur traditione de Herculis in Aegyptum descensu. Phoenices Thebas jam adiisse videntur et Memphide deinceps eorum mercatura floruit. Aegyptus praeterea praestantissimas textrinas habebat, et vinum nobilitatum, quod bis quotannis in Phoeniciam deferebatur. Ne per triduum, quod in transeundo deserto consumebant, aquae inopia laborarent, eo vino plerumque utebantur (3). Demum sub Amaside mercatura terrestris navigatione amplificata est (4).

Cum Israelitis et Judaeis inprimis frequens erat mercaturae, cui alendae Palaestina propter terrae fertilitatem mirifice profuit : quo factum est, ut inter utramque gentem pax perpetuo servata et populus uterque in dies magis magisque sibi invicem conciliatus sit.

Non minus celebrata sunt Phoenicum cum Syris et Babyloniis commercia. Cum illis vinum et lanam praestantissimam permutabant, cum his mercatura jam antiquitus obtinuit (5),

(1) Gen. XXXVII.
(2) Cap. XXVII, 7.
(3) Cf. Herod. III, cap. 5 et 6.
(4) Cf. Heeren ll. p. 127 sqq.
(5) Cf. Herod. I, 1.

cujus sub Assyriorum nomine mentionem facit Ezechiel (cap, xxvii, 23). Tendebat iter per media deserta: incipiebat ab urbe Baal-bec seu Heliopoli, quo catervae conveniebant. Hinc Emesam et Palmyram pergere, et apud Thapsacum Euphratem trajicere solebant; unde, fluminis cursum sequentes, Babylonem proficiscebantur (1).

Metallorum abundantia Phoenicibus persuasit, ut cum populis, mari Caspio et Euxino vicinis, mercaturam quoque instituerent: delectabantur quoque equis Armeniae, ab omni tempore nobilitatis (2).

Nobilissimae Phoenicum fuerunt officinae, e quibus multa affabre facta exibant. Inprimis nobilis et celebrata est purpura, quam tam artificiose praeparabant, ut ab omnibus maximopere quaereretur. Luxus ostentationisque gratia hanc adhibebant reges populique principes: nihil opulentum aut magnificum censebatur, quod purpura destitutum esset. Lana tam artificiose texebatur et adamato hoc colore ita tingebatur, ut nihil pulchrius, neque exquisitius existimaretur. Sidon et Sarephtha praecipue nobilitatae erant vitro conficiendo, cujus materiam flumen Belus praebebat, in Phoeniciae confiniis situm. Etiam hoc pertinebat ad luxum; eo quippe aedium et palatiorum parietes eleganter ornari solebant. Non minus laudatae erant torques, armillae, alia ejusmodi ornamenta, ex electro vel suc-

(1) Cf. Heeren p. 131 sqq.
(2) Cf. Heeren ll. p. 140 sqq.

cino subtili confecta, auroque intertexta : instrumenta insuper, vasa eburnea, aliaque (1).

Videmus igitur, quam maximi momenti fuerit Hebraeis, huic populo vicinos esse : quisque intelligit, quid arctior societas efficere potuerit ad eos humaniores reddendos. Sine dubio participes fuerunt earum expeditionum, et merito nobilissimus populus censendi sunt hujus aetatis. Ita orbis totius, tunc cogniti, non tantum notitiam, verum etiam necessitudinem sibi parare potuerunt; quae omnia propter monumentorum penuriam non disertis verbis probare, sed tantum conjectura colligere possumus.

§ XXXIII.

Syri.

Quum accurate definiri nequeat, quaenam regio sit Syria, quibusque finibus includatur, quis denique populus; haec praemonere non supervacaneum videtur. Quod enim in historia antiqua saepius observari meretur, hic quoque invenimus, diversa diversis temporibus nomina. Antiquum totius regionis nomen est Aram, ejusque incolae vocantur Aramaei (2). Hoc nomine hic complectimur totam illam planitiem, quae a mari Mediterraneo ad Euphratem usque se extendit, excepta Phoe-

(1) Cf. Heeren ll. p. 96 sqq.
(2) De Syrorum nominis origine cf. Bellermann ll. II, pag. 360 sqq.

nicia et Palaestina. Nam Graeci saepius Syriae annumerarunt Mesopotamiam, ideoque Syros et Assyrios inter se permutare solent.

Syria hic vini et frumenti, illic pecorum oviumque fertilior erat. Septentrionalis terrae pars et inprimis valles inter utriusque Libani juga omnium rerum erant feracissimae, quae regio a veteribus Coele-Syria dicta est. Hic urbs sita erat splendidissima, quam Graeci Heliopolin, Arabes Baal-Bec, Hebraei Baalath nominarunt. Versus Arabiam non inveniuntur fere nisi deserta, locis tamen amoenis distincta, in quibus floruit nobilissima urbs Palmyra, Hebraeorum Thadmor. Et quis est, cui ignotae sint Hamath, Graecorum Epiphania, ad Orontem sita; Damascus, Chalybon, vino praestanti lanaque mollissima nobilitata, aliae (1).

Antiqui Syriae incolae erant Nomades, qui more Arabum in gentes vel tribus divisi erant, quarum singulae suum principem vel Emirum habebant. Belli fortuna nonnullorum auctoritas deinceps accrescebat, aliis sibi subjectis. Humaniores redditi sunt aliorum populorum commercio et catervarum itineribus. Sic paulatim exstitere urbes et regna, initio quidem parva, sed tribuum principum potestate paulatim aucta. Non credibile est, Syriae urbes semper tanquam unum populum mutuo foedere fuisse conjunctas. Quoties ergo victor aliquis vicinus

(1) Cf. Jahn. ll. I, 1. pag. 51 et 54 sqq. Mich. ad 2 Sam. 8, 3; idemque in Specil. II, p. 117 sqq. Bellermann ll. pag. 361 sqq. 420 sqq.

Syros armis peteret, huic resistere non potuerunt. Nino igitur et permultis deinceps dominis saepissime parere cogebantur. Sauli aetate magna Syriae pars pertinuisse videtur ad regnum Mesopotamiae (1). Is enim bellum gessit contra Hadarezarum, regem Sobae vel Nesibis, qui iis temporibus ditiones suas latissime extenderat, et ni forte a Davide tam gravi clade affectus esset, verosimile est, eum conditurum fuisse imperium, seriori Assyriorum vel Babyloniorum regno simillimum. Rex ex Armenia oriundus tum imperium tenebat, quae familia per longum tempus Nesibi regnavit. Regnum igitur, hujus regis complectebatur Armeniam, magnam Mesopotamiae partem, et meridiem occidentemque versus ejus fines longe lateque prolati erant (2). Id enim inprimis egerunt, ut per Syriam imperium extenderent, qua occasione tribus Rubenitarum, Manassitarum, Gaditarumque felix bellum cum iis egerunt. Neque tamen, interjectis Saulum inter et Davidem temporibus, quum Israelitae variis negotiis impliciti essent, a bellis se abstinuerunt, sed has tribus repulisse, aliosque Syriae reges debellasse videntur (3). Regnum Hamathi tunc temporis inprimis afflixerunt, nobilem portum, Baruth, ad mare Mediterraneum occuparunt, magnamque ejus imperii partem sibi subegerunt. Davides, rex creatus, de iis vindictam sumsit, cum iis congressus est, eosque devicit (4); ab eoque inde tempore Syri Israelitis subditi erant. Neque postea de Sobaeis aliquid nobis innotuit : verosimile est, eos

(1) Cf. Muntinghe ll. VII, 301.
(2) Cf. Jahn. ll. p. 54.
(3) Cf. 2 Sam. VIII, 5, 8. X, 19. Mich. Specil. II, p. 53 sqq.
(4) Cf. 2 Sam. VIII et IX et 1 Chron. XVIII et XIX.

post cladem illam maxime debilitatos, ipsum regnum in varias partes divisum pluriumque regum imperio subactum fuisse. Civilibus bellis, subinde obortis nimis forte premebantur, quam ut Hebraeorum rebus se immiscerent. Tandem, accrescenti Assyriorum potentiae procul dubio succubuerunt, ab iisque imperio suo adjecti sunt (1). Ex Hebraeorum scriptis novimus, regnum fuisse potentissimum et florentissimum : ingentes memorantur exercitus et magna fuit praeda, quam Israelitae de iis reportarunt (2).

Porro in censum venit alterum Syriae regnum, regnum *Hamathi*, quod, ut ex victoriis Hadarezari novimus, satis latum fuit. Conterminum erat ditionibus Israelitarum a septentrione (3). Extendebatur fortasse ad Euphratem usque : nam ditiones Hamathensium, quas Sobaei occupaverant, ad hunc usque fluvium recensentur (4). Oriundi erant ex sex diversis tribubus, quae antiquitus Canaanem incoluerant, et aliarum adventu septentrionem versus se receperant, eodem tempore, quo Phoenices, qui sub Sidoniorum nomine latent, oras maritimas petierunt. Hebraei, quum terram Cananaeorum expugnarent, hos non adorti sunt. Haec forte causa fuit, quare non tanto odio, quanto alii circumjacentes populi, eos prosequerentur.

(1) Michaelis *Mosaisch. Regt* I, 24. p. 86 sq.

(2) Cf. Michaelis ad 1 Sam. XIV, 47. 2 Sam. VIII, 10. 1 Chron. XVIII, 4; idemque in Specil. II, p. 142, Bellermann ll. 417 sqq. sed omnium instar Michaelis commentatio de historia belli Nesibeni, Commentat. Societ. Reg. Gott. obl. XIII.

(3) Cf. Num. XXXIV, 8. Michaelis Mos. R. I, § 25 p. 94.

(4) Cf. 2 Chron. VIII, 3, 4.

Regni Hamathi caput erat Hamath, urbs nobilissima, Graecorum Epiphania. Mercatura inprimis floruisse videtur, et diu postea apud Syros et Arabes summis laudibus effertur (1). Jam ante Davidem regnum summa prosperitate fruebatur et magna auctoritate valebat. Rex Thoï vel Thogu legatos misit, qui ei gratularentur de victoria de Sobaeis inimicis suis reportata (2). Hac occasione foedus cum Israelitis pepigisse videntur, quod initium fuit amicitiae, quae bellis nunquam interrupta est (3). Cum Phoenicibus eos perpetuo conciliatos fuisse probabile est: iis enim finitimi erant, iisque merces praebebant permultas et egregias. Praeterea constat portum Baruth deinceps rursus fuisse regni Hamathi (4): cujus urbis momentum et Sobaei et Davides optime perspexisse videntur (5). Chalybon, recentiorum Aleppo, huic regno quoque annumerari potest, urbs et situ et proventibus nobilissima (6). Postea vero Syri Damasceni hanc urbem occuparunt, quos Ezechiel narrat vinum egregium, Chalibone asportatum, Damasci Phoenicibus vendidisse.

(1) Cf. Michael. in Specil. ll. p. 52 sqq. et in praefat. ad Jessaiam p. 25. Jahn ll. p. 59. Bellermann ll. 193 sq. Cl. Rosenm. ad Amos VI, 2.

(2) Cf. 2 Sam. VIII, 9 10. Muntinghe ll. VII, Annot. 245. p. 125.

(3) Expeditio enim Salomonis non suscepta erat in ipsos Hamathenses, sed in Sobaeos, qui provincias, antea devictas, adhuc tenebant; cf. 2 Chron. VIII, 3, 4. Michaelis Mos. R. ll. § 25. p. 96. Amicitia, quam cum iis coluere Israelitae, optime intelligitur ex suspicione Syrorum, qui Samaria decedunt, suspicantes Joramum regem Israelitarum regum Hethitarum, quo nomine etiam Hamathenses indicantur, auxilium implorasse. Cf. 2 Reg. VII, 6.

(4) Cf. Bellermann ll. p. 411.

(5) Cf. 2 Sam. VIII, 8.

(6) Cf. Jahn ll. pag. 58. Bellermann p. 388 sqq. Rosenm. ad Ezech. XXVII, 18. p. 271.

Sine dubio inter Syros, qui cum Phoenicibus maximam illam variarum mercium mercaturam faciebant, quoque intelligendi sunt Hamathi incolae (1). Id enim ex legatione, quam ad Davidem miserunt, sponte intelligitur: vasa enumerantur aurea, argentea, aerea, aliaque ejusmodi, ex quibus novimus, hos operum artificiose conficiendorum peritos fuisse. Quod confirmatur Ezechielis testimonio, ubi operum multitudo celebratur varii generis (2), miro artificio facta.

Quamvis post regnum scissum cum Hebraeis amicitiam aluerint, et Phoenicibus consociati fuerint, non tamen cum Damasceno regno fuerunt conjuncti, ut videtur. Probabile est utrumque Syrorum regnum se invicem aemulatione fuisse prosecutum. Regno Israelis everso, regnum Hamathi sub Assyriorum quoque potestatem redactum est: quod inde conjiceremus, quonam colonia Hamathensium in Israelitarum terras deducebatur (3). Sed postea iterum ex clade se refecit, ultimis fortasse regni Assyriaci temporibus. Nam tamquam libera civitas, aliis non subdita, deinceps denuo occurrit: quam Nebucadnezar cum reliquis Asiae partibus Chaldaeo-Babylonico imperio subjecit (4).

De regno *Geschuritarum* non multa innotuerunt. Fuit certe parvum, neque magni momenti. Aetate tamen Davidis suum

(1) Cf. Ezech. XXVII, 16.
(2) Cf. Ezech. XXVII, 16, ubi haec verba leguntur מרב מעשיך: cf. 2 Sam. VIII, 10 et Joseph. Ant. Jud. VII, 5, § 4.
(3) Cf. 2 Reg. XVII, 24. XVIII, 34. XIX, 13. Jes. X, 9. XXXVI, 19. XXXVII, 13.
(4) Cf. Michaelis et cl. V. d. Palm ad Jerem. XLIX, 23.

regem habuit, cujus filiam in matrimonium duxerat. Dein Absolomus ad eum confugit. Neque postea hujus regni mentio fit. Verosimiliter vel Hamathensi vel potius Damasceno regno adjectum est (1). Nec plura dici possunt de altero regno, ut videtur quoque non adeo magno, de *Aram-Maacha.* Sita erat haec regio Damascum inter et Ammonitas, quos adversus Davidem exercitu mille militum juvarunt. Postea fortasse Damascenis subjecti sunt (2).

Huic genti vicini erant *Tobitae*, gens, ut videtur, illa potentior, quae eadem occasione Ammonitis duodecim millibus militum auxiliati sunt. Eamdem sortem quam Maachatitae forte sortiti sunt (3).

Ac tandem transeamus ad postremum Syriae regnum, omnium potentissimum, Hebraeis semper infestissimum et post regnum scissum maximum et invidiosum Israelitarum aemulum, ejusque regni interitus auctorem primarium, saltem gravissimum.

Regni initium ipsa erat Damascus, urbs antiquissima (4), quae regionis amoenitate compluribus, a remotissimis inde tem-

(1) Cf. Michaelis ad 2 Sam. XIII, 37. XV, 8. Jahn. ll. p. 59. Bellermann ll. p. 412 sq.

(2) Vetus Maachitarum colonia fuisse videtur Abel-Beth-Maacha : quod si verum sit, optime explicari potest proverbium, quo mulier quaedam, Joabum alloquens, utebatur : *Abelem consultum abeas, antequam consilium iniveris* (2 Sam. 20. 18 et cl. v. d. Palm ad ll.) : conjiciunt enim, utrum antea quoque hic fuerit oraculum Cananaeorum nobile, cujus sacerdotes, mulieres, responsa dabant. Cf. Simonis Onomast. vet. Test. p. 148.

(3) Cf. Michaelis ad Jud. XI, 3. Jahn ll. p. 60. Bellermann ll. 413 sqq.

(4) Cf. cl. Rosenm. ad Gen. XV, 2.

poribus mirifica placebat, omnesque alliciebat, ut castra ponerent, positaque non amplius moverent. Quaecunque et Arabum poetae, geographi, scriptores, et recentiorum itineratores de his tractibus tradiderunt, omnem cogitationem superare videntur : quibuscumque Hebraeorum relationes optime congruunt. Haec enim regio pretiosissimis abundabat fructibus, ficibus, amygdalis, uvis, cypressis, cedris, olivis, et continuum referebat hortum. Soli fertilitate, proventuum praestantia, coelo sereno tam jucundus erat tractus, ut orientales dignum eum haberent, qui quatuor orientis Paradisis annumeraretur. Arabes tantopere cepit regionis amoenitas, ut Mohammedem nunquam eam intrare ausum fuisse fabulentur, ne minore in coelestem paradisum desiderio teneretur, terrestrem ingrediens (1). Urbs praeterea mercatura admodum florebat (2), divitiis affluebat, majori in dies auctoritate simul invalescebat, et quid mirum? jam Davidis aetate Damascenum regnum, unum omnium potentissimum erat, ejusque rex validissimus, omniumque, qui unquam huic regno praeerant, maximus depingitur (3). Cum rege Sobaeorum, tunc temporis potentissimo, foedere facto, Hebraeis quam maxime invisus fuit. Audita igitur Hadarezaris clade, ipsum Davidem, jam maxima auctoritate et potentia valentem, aggredi non dubitavit : proelio inito res diu haerebat, sed Syri, postquam casu quodam inexspectato magnam exercitus partem amiserant, tandem victi, recedere cogebantur.

(1) Cf. Jahn ll. p. 58. Bellermann ll. p. 395 sqq.
(2) Cf. cl. Rosenm. ad Ezech. XXVII, 18.
(3) Cf. Michaelis Mos. R. I, § 25, pag. 90. Idemque ad 2 Sam. VIII, 5.

Quam extensum fuerit eorum imperium, Josephus ex deperdito Nicolao tradidit (1). Continebat enim universam Syriam, Phoenicia excepta. Hebraei praesidia in urbibus collocabant et tributum imponebant. Obtemperarunt his ad extremam fere Salomonis aetatem. Tunc enim Reson, qui antea praefectus fuerat Hadarezaris, ab eoque aufugerat, militum turba collecta, Syriam primum latrociniis vexare incipiebat. Socium dein accepit Hadadum, quocum amicitiae foedere conjunctus, magnam Syriae partem occupavit. A Damascenis rex creatus, Salomone adhuc vivente, Israelitas excursionibus vexare, eorumque terram saepius infestare et diripere non desiit (2).

Itaque novum rursus exstitit Syriae regnum, quod novas deinceps vires accepit Hebraeorum post Salomonis mortem dissensionibus, sed inprimis imperii divisione. Ab hoc inde tempore Israelitis vicinum, perpetuo molestissimum et inimicissimum fuit: aemulatio religionisque differentia eam inimicitiam semper aluit et in dies magis magisque auxit. Tunc temporis Damasceni imperium protulisse videntur per universam Syriam, regno Hamathensium excepto. Damascus regia erat totius regni. Simulatque commoda iis se offerebat occasio, inveterato in Hebraeos odio indulserunt, et jam Israelitas, jam Judaeos aggressi sunt; illis tamen magis infensi, cum his saepius amicitia conjuncti. Ferebat ipsorum res, ut quum maxime illos opprimerent. Gratum igitur iis evenit cum Asa rege Judaeorum foedus renova-

(1) Ant. Jud. VII, 5, 2.
(2) Cf. 1 Reg. XI, 23, 24. Joseph. Ant. Jud. VIII, 7, 6. Muntinghe ll. Annot. 245, pag. 126.

tum (1): quo facto in Israelitarum imperium impetum fecerunt. Hoc primum ansam dedit perpetuis illis bellis, quae Syros inter et Israelitas gesta sunt: antea enim et illi fortasse cum Syris foedere erant conjuncti. Per hoc tempus Syri regnum confirmaverant, eoque gravior eam ob rem tunc fuit eorum impetus (2). Videtur nempe Benhadadus I ex foedere, quod cum Israelitis habebat, primum consilium cepisse ad Judaeos debellandos (3). Benhadadus II triginta duorum aliorum principum copiis exercitum mirifice auxerat. Cum eo Samariam aggreditur et Achabus ipsi brevi succubuisset, Syrisque tributarius factus fuisset, nisi repentino impetu eos recedere coegisset (4). Attamen non tam gravis clades fuerat, ut spem regni Israelis devincendi missam fecerint. Anno sequenti iterum bellum movetur: multo major Syrorum erat exercitus, quam Israelitarum, sed nihilominus magnam iterum victoriam hi reportarunt. Verum ea erat Achabi imprudentia, ut victoria quidem abuti, ejus fructus percipere non potuerit. Syri per longum tempus devictas a Benhadado I terras, quae omnem fere septentrionalem regni Israelis partem complexae fuisse videntur, ad hoc usque tempus retinuerant. Has quidem Israelitis tradere Syri jam pollicebantur; sed Benhadadus perfide admodum non omnes urbes, si quas tradiderit, reddidit (5). Quo facto videmus, quam raro et tribus ipsae cis-Jordanenses integrae sub Israelitarum imperio

(1) Cf. 1 Reg. XV, 19.
(2) Cf. cl. v. d. Palm ad 1 Reg. XV, 19, et 2 Chron. XVI, 7.
(3) Cf. Muntinghe ll. VII, Ann. 245, p. 128 sq.
(4) Cf. cl. v. d. Palm ad 1 Reg. XX, 4, 15-21 sq.
(5) Cf. cl. v. d. Palm ad 1 Reg. XXI, 3 coll. XX, 34.

fuerint (1). Non vero minoris momenti altera fuit pacis conditio, quam ex dictis a Benhadado non praestitam fuisse censeres. Spectabat mercaturam et utriusque gentis necessitudinem arctius connectendam : sapientis cujusque regis ingenio prorsus digna erat. Concessit enim Benhadadus Israelitis partem quamdam Damasci habitandam, quemadmodum Syri antea Samariae partem incoluisse videntur (2). Neque insoluta erat apud orientales ea consuetudo. Accipiebant igitur vicum tanquam parvum oppidum in ipsa urbe Syrorum regia, in quo separatim a Syris vivere, suis legibus uti, suos magistratus habere, suum, ut vocant, Kadi ad lites componendas creare, suam religionem exercere et privatam mercaturam facere iis licebat. Hujusmodi virum Judaei habuisse videntur Elathi; primum Phoenices, dein Graeci Memphide : recentiores Franci vel Christiani Smyrnae, et Constantinopoli in oppido Pera; Judaei Francofurti, aliisque antea in Germaniae urbibus. Tale foedus postea etiam fecit Bajazethus, Turcarum imperator. Ex quibus exemplis apparet, principes perpetuo maximum ejusmodi foederis momentum probe perspexisse; et quis est, qui non intelligat? Quis, qui Israelitis eam pacis conditionem non optimam censeat, et egregiam ad mercaturae studium alendum, et utriusque gentis necessitudinem arctiorem reddendam? Sed utrum Israelitae magnos hinc fructus perceperint, nusquam disertis verbis, ne obiter quidem memoratur. Vinculum inter eas gentes non copulavit, ne-

(1) Cf. Muntinghe ll. p. 128.

(2) Cf. 1 Reg. XXI, 34. Vocabulum חוצות hoc loco obvium id denotat. Cf. Gesenius Wörterbuch in voce.

que inimicitias exstinxit, quemadmodum caeteroquin expectaremus. Regum quidem scriptor tamen mentione dignum censuit notare, bellum per tres annos inter Israelitas et Syros cessatum fuisse (1). Res profecto singularis, si consideremus, bellum nunquam fere penitus interruptum esse! Verum, etsi non manifestum bellum erumperet, Syri tamen invasionibus semper inimicitias resuscitare et alere non desierunt : quod Israelitarum vires consumebat, et regnum vehementer affligebat (2). Ac brevi, propter urbes non redditas, grave bellum exarsit, eo vehementius, quo majores hoc tempore uterque populus opes et copias sibi comparare potuerit. Achabus cum copiis Josaphati suas conjungit, Syros adoritur, ipse in proelio occiditur, funduntur Israelitae, et Syri maximam victoriam reportant. Syri victoria elati, jam rursus praevalentes, eo majore aemulatione et invidia ducuntur, in historia luculenter conspicua. Vel minima res apta erat ad bellum rursus excitandum : quo facto sperabant fore, ut tandem Israelitarum regnum penitus devincerent. Nec major fuit nec acrior Romanorum et Carthaginiensium aemulatio, quam quae inter eas gentes perpetuo observatur. Quemadmodum ista invidia hos debilitavit, ita illos partim excitavit, partim interitui deinceps propiores admovit. Naami verba (3) Syrorum superbiam et contemtum, quo Israelitas prosequebantur, optime denotant; et epistola Benhadadi, quam parvi aestimaverit Israelitas, testatur : qua missa Syrum aptam

(1) Cf. 1 Reg. XXII, 1.
(2) Cf. cl. v. d. Palm ad 2 Reg. V, 2 et VI, 8 sqq. Mich. ad vs. 13.
(3) Cf. 2 Reg. V, 11, 12.

belli occasionem tantam quaesivisse ipse Joramus suspicabatur (1). Neque ita multo post Syri rursus adveniunt et Samariam obsidione claudunt. Ad summas angustias urbem redigunt, omnibusque obsidionis calamitatibus incolas premunt. Parum aberat, quin Israelitae urbem, fame acerrima vexatam, incolisque passim maximopere imminutam tradidissent, cum eaque totum regnum Israelis Syris subjecissent : qui omnes terrae partes interim in suam potestatem redegisse videntur (2). Syri vero, victoriam jam reportatam putantes, epulis conviviisque tempus fallunt, festa celebrant, nihil curant — sed confestim falsus rumor eorum aures contundit, et fama perterriti, fuga tantum sibi consulere credunt. Hac ratione anxia urbs liberatur. Israelitae, inani victoria superbi, non quiescunt, antequam urbem Ramoth expugnaverint. Grave iterum proelium, exacerbatus utriusque populi animus, belli dux acerrimus. Exitus utrique aeque miserrimus. Apud Israelitas Jehu, apud Syros Hazael hanc ansam apprehenderunt regiae dignitatis occupandae. Hic Benhadadi aulicus, homo novus, crudelis, immanis, et solum bellica quadam virtute pollens, perturbatam Syriaci regni, bellis exhausti, cladibusque afflicti, conditionem aptam censebat ad hoc perficiendum. Alienatum populi in Benhadadum animum facili negotio benignum sibi reddidit et Syrorum rex creatus est. Confestim Joramum aggressus est, eumque, quamvis Judaeorum auxilia accepisset, gravi tamen clade affecit (3). Brevi post bellum renovavit, quum regnum Israelis

(1) Cf. 2 Reg. V. 6-7.
(2) Cf. cl. v. d. Palm ad 2 Reg. VI, 24. Mich. ad ll. et ad VII, 6.
(3) Cf. 2 Reg. VIII, 15, 28, 29.

ex turbis ab Jehuo motis, vix respiraret, omnesque ditiones trans-Jordanenses occupavit. Auctor Regum, comparatione ducta, ab arboris amputatione, eleganter id indicavit (1). « *His*, inquit, *diebus Jehova* (*partes regni*) *inter Israelitas praescidit.* » Sub Joachazo, Jehui filio, Syri magis magisque invaluisse videntur, et Israelitas penitus suo imperio subjecisse (2). Gravis erat oppressio, ut idem testatur (3): *Joachazo*, inquit, *non amplius, quam quinquaginta equites et mille pedites alere decemque currus bellicos retinere concessit; nam rex Syriae eum delendo afflixerat et tanquam ad pulverem ventilaverat.* Tam gravis erat vexatio, ut nusquam Israelitis esset auxilium, nusquam refugium (4). Tunc ista mala eaque scelesta facinora perpetrasse videtur Hazael, de quibus jam antea Eliza locutus erat (5). Tunc expletum est ejus oraculum, quo enuntiaverat, eum loca Israelitarum munitissima flammis et incendio deleturum, juvenes gladio jugulaturum, infantes trucidaturum, gravidas mulieres dissecaturum, omniaque sanguine caedibusque repleturum esse. Atque talis fuit Hazaelis dominatio, tam afflicta Israelitarum hoc tempore conditio. Neque insatiabilis ejus dominandi cupido his contentus fuit; consilium etiam iniit regni Judae debellandi, et, si posset, sibi subigendi. Fortasse

(1) Cf. 2 Reg. X. 32, 33.

(2) Regum scriptor (2 Reg. XIII, 4) usurpat verbum לחץ, vocabulum, quo utitur auctor libri Judicum (IV, 3) ad gravem oppressionem indicandam, qua Jabinus, rex Cananaeorum, hoc tempore Hebraeos affecit.

(3) 2 Reg. XIII, 7.

(4) Cf. cl. v. d. Palm ad 2 Reg. XIV, 26.

(5) Cf. 2 Reg. XIII, 12.

quidem partes, Joaso inimicae, Syrorum auxilium imploraverant, saltem, quum aggressi essent, Syros in expeditione juvarunt. Primum Syri Philistaeos, Judaeorum socios, sibi conciliare student, urbe Gathensium capta, quae inserviret ad eos comprimendos. Quo facto, proelia gravissima commissa sunt eos inter et Judaeos, quorum permulti principes viri caedebantur, et ipse rex vulnerabatur. Hierosolyma pergunt, urbemque obsidione clausissent, nisi Joasus pacem iniisset, soluta ingenti mulcta, qua totus fere cum templi Jehovae, tum Baalis thesaurus consumebatur. Hac ratione Syris, ut recederent, persuasit (1).

Cum morte Hazaelis regni etiam gloria marcessit : ipsi enim successit Benhadadus III, quo regnante calamitates jam conspiciebantur, quae Syris imminerent, eorumque regnum everterent : felix profecto Israelitis erat mors Hazaelis. Joachasus enim, vir non adeo fortis et bellicosus, filium Joasum duobus annis ante obitum imperii socium adsumsit, virum audacem et bellica inprimis virtute pollentem. Is fuit libertatis ille vindex, qui Israelitas jugo liberaverit, iisque in ipsorum terra saltem quietem praebuit. Quae cum adhuc vivo Hazaele perficere potuerit, quid, mortuo, fecisse censendus est? Filium ejus Benhadadum bello petiit, tamque felix expeditionis erat successus, ut tribus proeliis Syros vinceret, urbesque aliquot recuperaret. Jerobeamus II patris vesti-

(1) Cf. cl. v. d. Palm ad 2 Reg. XII, 17-18. 2 Chron. XXIV, 23 sqq.

giis insistens, omnes expugnatas terras rursus suo regno adjecit; quin etiam bellum, quod Israelitae perpetuo adhuc contra Syros se defendendi causa gesserant, hic jam aggrediens gerere incepit. Ipsam Damascum aggressus est, et regiones Nesibeno-Hamathenses provinciam sibi subegit. Rezin, postremus Syrorum rex, quamvis regnum valde debilitatum accepisset, cum Israelitis foedus iniit contra Judaeos. Idem Syris atque Israelitis belli erat eventus. Assyrii, quorum regni fines nunc Syriae terminos attigerant, Syros adoriuntur et, capta Damasco, Syrorum regnum evertunt. Syri devicti copias suas Assyriis addunt, cum iisque conjuncti Israelitas adeunt, eorumque regnum evertunt (1).

§ XXXIV.

Arabes.

Arabia ab Hebraeis vocabatur *Terra orientalis*, et continebat omnes regiones, quae a Palaestina inde inter Sinum Arabicum et Persicum sitae erant. Tripartitam divisionem in *Desertam*, *Petraeam* et *Felicem*, quam recentiores excogitarunt, veteres orientales ignorabant. Illam intelligunt latam eam planitiem, quae a Jordane ad Euphratem se extendit : ista sita est media inter utramque et a Pelusio incipit. Secundam

(1) Cf. cl. Rosenm. ad Jesaiam IX, 11.

et tertiam partem perlustremus. Arabia Petraea valde erat montosa. Inter montes, valles passim latissimae et feracissimae. Soli proventibus non affluebat, neque tamen egebat. Coelum interdiu calidissimum, noctu frigus vehemens : quod ut evitarent tribus, quae hos tractus tenebant, speluncas plerumque petebant; hinc Troglodytae vocati (1). Incolebant maximam ejus partem posteri Ismaelis. Principes Ismaelitarum gentes erant Nabathaei, Kedareni, pecoribus nobiles, quorum cum Tyriis commercium laudatur; Meunitae vel Maonitae, magnus et potens populus, qui, cum vicinis Hebraeorum aliis plerumque conjuncti, crebras in Judaeam invasiones fecerunt (2). Recensentur inter populos, qui Josaphatum aggressi sunt. Sub Joramo gravi impetu in Palaestinam irruerunt, eoque audaciae progressi sunt, ut, quocunque rumperent, omnia delerent, caede et incendio replerent. Nec magna praeda contenti, etiam Hierosolyma aliquando occupasse et gynaeceum ingredientes, regias quoque uxores et regis filios captivos abduxisse videntur. Solus relinquebatur Achasia, qui et Joahasus vocatur (3). Dein, Ussia regnante, tertio Judaicum imperium invadunt, sed tunc magna ab eo clade afficiuntur. Cum iis nonnunquam conciliati fuisse videntur Midianitae, qui magis septentrionem versus sedes habebant. Hi primum cum Moabitis foederati, Amoraeorum armis subjecti erant : qui-

(1) Cf. Jahn II. I, 1. pag. 80; de Troglodytis cf. Hamelsveld II. III, 15 sqq. V. 372 sqq.

(2) Cf. cl. v. d. Palm ad Jud. X, 12. 2 Chron. XX, 1.

(3) Cf. 2 Chron. XXI, 16 sq.

bus ab Israelitis devictis, vetus cum vicinis vinculum denuo contraxerunt. Urbes habebant munitas, divitiis florebant, et magna fruebantur auctoritate. In quinque gentes divisi fuerant; suum quaeque principem vel Emirum habebat. Eadem in Hebraeos, qua ceteri, simultate adacti, aeque graviter iis resistebant. Nota gravissima, quam experti sunt Israelitae, oppressio: sed et maxima Midianitarum clades (1), qua fractae sunt eorum vires. In posterum quidem rursus convaluerunt, et potentissima et validissima inter alias tribus eorum fuit potentia; sed Hebraeos, passim in dies magis praevalentes, se superare posse arbitrabantur tantum, si cum reliquis conjuncti essent; quare de iis deinceps separatim non amplius sermo est.

Verum iis multo nobiliores erant Amalekitae. Magnam Arabiae, quae Petraea vocatur, partem tenuerunt. Eorum sedes collocantur inter Pelusium et mare Rubrum. Prorsus distinguendi sunt a posteris Esavi, quamvis eodem nomine nuncupentur. Erant hi una ex permultis tribubus, in quas Edomitarum gens dividebatur. Illi posteri Chami, quorum patria erat Arabia; unus idemque populus, qui Cananitae, quos Israelitae ex Palaestina expulerunt. Ex Arabia enim oriundi, huc tetenderunt, veteres terrae incolas finibus detruserunt, eorumque terram occuparunt. Alii in Arabia remanserunt, et communi Amalekitarum nomine postea vocati sunt. Arabes de iis saepius mentionem faciunt, tanquam omnium hujus re-

(1) Cf. Jud. VII et VIII.

gionis antiquissimo et potentissimo populo (1). Multo ante Israelitarum exitum ex Aegypto impetum fecerunt in Aegyptum, (quando fuerit, definiri nequit) et ut videtur, maximam partem huc migraverunt ibique tantopere valuerunt, ut per ducentos quinquaginta annos ibi regnasse ferantur. Fuerunt sine dubio *pastores* illi, de quibus antiquissima Aegyptiorum historia refert; qua opportunitate plurimae in Graeciam coloniae abierunt. Post longum temporis intervallum Aegyptii, Amalekitarum imperii pertaesi, finibus eos detruserunt. Quo facto alii in Africam, alii in Arabiam recesserunt (2).

Amalekitarum, qui in Arabia remanserant, imperium interim increverat, et reditu popularium ex Aegypto, et postea a fugitivis Cananītis certe incrementa accepit. Adeo valuere, ut Israelitas, desertum peragrantes, aggrederentur. Gravissimum profecto proelium, ex quo Israelitae tamen superiores evadunt! A Bileamo laudantur tanquam omnium populorum antiquissimus et primarius (3). Postea gravis eorum in Hebraeos fuit simultas, grave odium, quod ut vehementius exercerent, cum vicinis quoque se conjunxerunt. Ita cum Moabitis et Ammonitis conciliati, Judicum tempore Hebraeos subjecerunt (4). Dein cum Midianitis saepius in Palaestinam irruerunt, omnia vastarunt, deleruntque (5). Sed nullum bellum gravius, quam cum

(1) Cf. Michaelis Specilegium I, p. 170 sqq.
(2) Cf. Forster in Epist. Specilegio Michaelis adjecta, p. 9 sqq. Jahn ll. II, Th. p. 26 sq.
(3) Cf. Num. XXIV, 20.
(4) Cf. Jud. III, 12, 13.
(5) Cf. Jud. VI, 4, 5.

Saulo (1). Hic enim maxima eos clade affecit, eorum regem Agagum cepit, nomen, quod *tribuum principium primarium* denotat; quodque omnium regum commune nomen fuisse videtur. Quibus nondum contentus, ipsam regionem devastavit, urbes expugnatas delevit, atque ita populum, antea auctoritate valentem, penitus fere confregit. Eodem consilio, quo postea Achabus Benhadado, Saulus Agago pepercisse videtur, ut nempe eum regem, sibi tributarium, constitueret (2).

Non, ut vulgo censent, Amalekitae erant Nomades : plurimi quidem eam vitae rationem agebant, rei pecuariae operam navantes : alii vero urbium erant incolae, quo nomine ab Arabibus celebrantur. Complures habebant urbes, easque munitissimas (3).

Neque, hac clade exterriti, Hebraeos infestare desierunt. Haud ita multo post, Saulo bello contra Philistaeos implicito, meridionalem Palaestinae partem invasere, urbem, quae Ziklag vocatur, incendio delerunt, multis captivis deductis. Nota est Davidis de iis victoria (4) : notum, quantopere his cladibus afflicti, a Davide in posterum denuo fracti sint (5).

(1) Cf. 1 Sam. XV.

(2) De hac clade et Amalekitarum potentia cf. Hess. II. VII, 71.

(3) Josephus Ant. Jud. VI, 7. § 2. ταῖς πόλεσι, inquit, τῶν Ἀμαληκιτῶν προσέβαλε (Σάουλος). καὶ τὰς μὲν μηχανήμασι, τὰς δὲ ὀρύγμασιν ὑπονόμοις καὶ τείχεσιν ἔξωθεν ἀντῳκοδομημένοις, τὰς δὲ λιμῷ καὶ δίψει, τὰς δὲ ἄλλοις τρόποις ἐκπολιορκήσας καὶ λαβὼν κατὰ κράτος.

(4) Cf. Sam. XXX.

(5) Cf. Sam. VIII, 12.

Ne igitur miremur, deinceps de iis raro mentionem fieri. Infenso animo, praedae inhiantes, cum aliis Arabum tribubus conjuncti, Judaeis molestissimi, invasiones passim renovarunt, donec sub rege Hiskia a Simeonitis, qui iis erant proximi, postremo fusi sunt, qui alios interfecerunt, alios in fugam converterunt. Quo facto Bileami vox evenit.

Ex tota antiquitate una omnium nobilissima est Arabia felix, digna eo cognomine cum situ, tum proventibus. Regio erat praestantissima, quae, sita in extrema Arabiae parte ad sinum Persicum, Arabicum, et mare Indicum, quod veteres Erythraeum vocarunt, peninsulam referebat. Loca maritima sunt arenosa, plana, et nimio solis calore et pluviae inopia plerumque sterilia. Verum interiores regiones eo fertiliores atque ita feraces, ut bis quotannis solum conseri possit. Casia, myrrha, thure, balsamo, aliisque aromatibus terra abundat: gemmis praeterea, auro, aliisque pretiosis metallis omnium fere regionum est ditissima.

Cuschitae, Chami posteri, primi fuere incolae et in occidentalibus oris jam antiquitus habitabant. Orientalem et meridionalem partem tenebant Joktanidae, quos Arabes vocant Cachtanienses. Condiderunt Cuschitae latissime patens et potentissimum regnum; in eoque consentiunt, qui de eo tradiderunt, tam veteres quam recentiores. Fuit regnum unum omnium antiquissimum, ejusque initium, remotissimis constituendum est temporibus. Postea Joktanidae, huc se conferentes, in unum populum cum iis coaluisse videntur. Condita Saba, urbe

deinceps mercatura nobilissima, populus Sabaeorum, regnum Sabae nomen accepit. Mercaturae praecipue, et terrae situ et soli fertilitate allecti, operam navabant; cujus primordia eodem modo antiquitate sunt recondita, quo imperii incunabula. Id vero constat, eos haud ita multo post trajecisse fretum Bab-El-Mandeb : facile prorsus negotium! Quo facto coloniam deduxerunt in oppositam Abyssinae vel Aethiopiae oram. Confirmant hanc traditionem Abyssini, qui majores suos ex Arabia oriundos esse, prae se ferebant. Coloni urbem condiderunt, quam Metropoleos eos nomine Sabam vocarunt; Graeci vero Meroen, quod nomen Cambyses in sororis honorem ipsi imposuit (1). In his terris imperium proferentibus, florentissimum regnum evasit : nam per complures annos utramque Arabiae Aethiopiae oram eidem regi subjectam fuisse constàt. Postea demum separata regna orta sunt. Narrant de tribus Indorum, Joktanidarum, et quatuor Cuschaeorum imperiis (2). Plures enim in posterum gentes, in iisque Indi, has regiones petiverunt, cui opportunitati Habessinia nomen debet; denotat *populorum permixtionem* (3).

Celeberrima fuit Sabaeorum gens laetissimo, quod cum aliis populis habuerunt, commercio; cujus vestigia in viis munitis adhuc supersunt, quarum rudera ipse Niebuhrius conspexit. Nota mercatura, quam Phoenices jam antiquitus primum terra

(1) Cf. Josephus Ant. Jud. II, 10, § 2.
(2) Cf. De Indorum in Africam adventu Philostratus in vita Apollonii XIX initio, et nota in editione Olearii huic loco subjecta.
(3) Cf. Michaelis in Specil. I, p. 144 sqq. 179 sq. Jahn ll. I, 1. p. 76 sqq.

dein mari, cum iis fecerunt : nota Indorum, nota Edomitarum; sed maxima praeterea Hebraeorum. Ante Salomonem Arabiae proventus a Phoenicum catervis hi accepisse videntur, sed Salomo majora molitus, populum mercaturae etiam participem reddere cupiebat. Edomitis jam antea a Davide subjectis, portus Elath et Ezion-Geber tenebat. Foedere cum Phoenicibus renovato, cum his expeditionem suscepit. Ophir petunt, quo nomine inter alias terras, divitiis affluentes, etiam Arabiam felicem dignam censent. Tum Sabaeis imperabat regina, luxus ostentatione, opulentia et magnificentia illustris, sed ingenii dotibus multo nobilior, Balkis. Audita fama eorum, quae Salomo perfecerat, ea iter in Palaestinam suscepit, foedus cum Hebraeorum rege pepigit, atque ita utrumque populum arctiore vinculo connexuit. Sed principum amicitia plerumque politicis ratiociniis innititur; idem etiam fundamentum fuisse videtur hujus foederis. Salomone mortuo, ejus imperium in duas partes dividitur, cujus fama ad Sabaeos quoque defertur. Malek igitur, nomen regi inditum, qui sorori, Balki, successit, proprio fortasse nomine deperdito, alia molitur consilia. Novimus Sabaeorum regni latitudinem (1) : hoc fortasse amplificare cupiebat. Expeditionem parat tali imperio et consilio aptam. Per desertum Arabiae tendit, in transitu alias gentes sibi adjungit, atque ita exercitus mirifice augetur. Philistaei, partes Cuschaeorum amplectentes, Judaeis terribiliorem etiam reddunt hanc expeditionem. Tandem procedit ad fines regni Judaici, cujus tam firmae erant

(1) Cf. Hess. ll. IX, 77 sqq.

internae regni vires, ut talem impetum perferre potuissent; cui regnum Israelis profecto succubuisset. Asa, qui tunc Judaeis praeerat, ipsi obviam venit, et maxima eum clade affecit, quamvis exercitui multo minori imperaret. Chronicorum auctor Judaeorum victoriam verbis, ipsi temporibusque, quibus scripsit, propriis, commemoravit: *Jehova*, inquit, *Cuschaeos percussit; et fugerunt; eosque persecuti sunt Asa, ejusque exercitus, quem secum habebat: ceciderunt ex Cuschaeis (omnes), quoniam neminem vivum relinquebant: nam fracti sunt coram Jehova, et coram ejus excercitu* (1). Jehova, ut victoriam populo reportandam daret, usus esse videtur rationibus, e natura desumtis. Atque hic Arabum traditio juvat: tradunt enim, magnam excercitus partem, arena obvolutam, interiisse (2). Huic opportunitati non aptior fere locus, quam Arabiae deserta, in quorum vicinitate proelium commissum est. Vento forte vehementi exorto, arena in altum sublata densis nubibus in hostes fertur: quo facto, perturbati, nescii, quomodo vitae consulerent, fugiunt. Israelitae, his quoque perterriti, diu eos persequi nequeunt. Malekus cum paucis effugit, et in imperium redux, nullo modo gloriae suae se prospicere posse arbitrabatur, quam, si post infelicem expeditionis exitum monumentum conderet, quod consilii saltem memoriam conservaret; quod, si hodie exstat, Judaeorum victoriam op-

(1) Cf. 2 Chron. XIV, 11-12. in ea narratione fortasse dominet studium illud, quo omnia miraculis et immediato Jehovae interventu explicare solet Chron. auctor.

(2) Exstat haec de Balkis successore traditio in appendice, adjecto quaestionibus Michaelis, Niebuhrii operibus appositis.

time testetur (1). Utrum nomine *Benefici* dignus fuerit, nec ne, testimoniorum inopia non constat; neque certis argumentis probari potest, utrum Aegyptum subegerit, quod alii suspicantur (2).

In posterum de Cuschaeorum regno, quod ad Judaeorum historiam attineat, nihil memoratur. Mercaturam inter utrumque regnum factam fuisse, non improbandum videtur, quae saepius obtinet, et necessario fit, quamvis simultas intercedat. Hiskiae demum tempore obiter rursus de iis mentio fit. Sanheribus, fama adventus Taraconis, quem Hebraei Tirhakan vocant, audita, subito recedere statuit.

Hic fertur victorias extendisse per universam Africam ad mare usque Atlanticum, et columnas Herculis; idque eo facilius ipsi fuit, si teneamus, viam catervarum per mediam Africam tetendisse (3).

Sanheribus igitur, his auditis, cohibere volebat, quominus, impetu facto, per meridionalem ejus imperii partem Taraco imperium latius proferret.

(1) Si ad tempus attendamus, Maleki cum Zerachi expeditione comparamus, chronologiae ne ullum quidem discrimen animadvertere videmur : quod cuique appareat, qui tempus, inde a Sabae reginae adventu ad hanc usque historiam decurrens, secum reputet. Est vel maxime periodus 50 annorum; Balkis fortasse diu regnavit, vel nuper post adventum imperium acceperat. Adventus ille non ante 20 annum Salomonis imperio accidit. (cf. 1 Reg. IX, 10 cum X, 12). Primis Asae imperii annis sine dubio suscepta est haec Cuschaeorum victoria; et Malekus certe aliquod tempus consumsit in tanta expeditione paranda, quae igitur ejus imperii initio non statuenda videtur.

(2) Cf. Marshami Canon Chronicus. pag. 414 sqq.

(3) Cf. Michaelis praef. ad Jesaiam. pag. 31 sq. edit. Belg.

Ac jam porro tacet de iis historia. Id tantum Arabes referunt, permultos Judaeos deinceps in Arabia felici inventos fuisse, qui utrum jam antea mercaturae causa eo se contulerint, quod fieri possit, an Chaldaeorum impetum huc effugerint, latet.

§ XXXV.

Assyrii.

Assyria initio admodum parva erat regio, sita ad Tigrin, in regione, quae hodie Kurdistan vocatur, et quaerenda videtur in iis tractibus, qui fluminibus, Zabo majori minorique, irrigabantur. In septem dividebatur provincias, quarum quatuor tantum ipsi Assyriae annumerandae sunt. Nimrodi aetate (1) quatuor primariae Assyriae urbes enumerantur, Ninive, Rechoboth-Ir, Kalah et Resen (2). Quidquid autem de antiquissimo hocce Assyriae regno ex libris V. T. definiri possit, perobscurum est. Graeci de tempore, per quod regnum exstiterit, maximopere dissentiunt; attamen Herodotum sequi, tutius esse videtur, qui per 520 annos Assyrios per Asiam superiorem (τὴν ἄνω Ἀσίην), non per totam Asiam regnasse, affirmat, antequam Medi ab iis defecerunt (3). Neque obstat, quominus

(1) Cf. Gen. X, 11.

(2) Cf. Michaelis in praef. ad Jes. pag. 10. Jahn l. I, 1. pag. 51 sq. Muntinghe ll. VII. fig. 306 sqq. qui h. l. de incunabulis Assyriorum accurate acuteque exposuit.

(3) Cf. Muntinghe ll. pag. 122 sqq. 305 sqq. Medi enim defecerunt eodem anno, quo Sanheribus gravem illam cladem accepit. Cf. 2 Reg. XVIII et Jer. XXXVIII.

fidem ipsi habeamus, si hoc discrimen bene teneamus, Herodotum non scripsisse, magnum illud et potentissimum regnum, quod fuerit postea, tamdiu exstitisse : his enim et res ipsa et orientalium historia repugnet, qua vidimus tantae molis imperium non tamdiu persistere posse (1).

Primum igitur Assyrii septentrionales, et fortasse orientales Asiae partes, petivisse videntur : alliciebant eos amoeni tractus, et fertilissima Armeniae loca, mari Caspio vicina. Habitabant ibi plerumque Nomades, et populi, quibus ipsi humanitate antecellebant. Jam majorem, jam minorem, habebant auctoritatem; temporis tamen intervallo hic fines latius protulerunt, in his se confirmarunt, ad eumque, qui futuri erant, populum conformati sunt. Neque in occidentem his temporibus abiisse videntur : ibi inveniebant regna et populos, quibus nondum pares erant; quo facto, non mirum accidat, V. T. scriptores his temporibus altum de iis silentium tenuisse. Quum Israelitae in deserto commorarentur, de iis quidem Bileamus vaticinatus est (2); sed populum tantum memorat, qui in posterum demum potens evasurus esset. Porro eorum mentio fit aetate Davidis (3) : verum eo saepius deinceps in Hebraeorum annalibus occurrunt. Illis enim temporibus ipsorum victoriarum theatrum tam longe a Palaestina erat remotum, ut exinde de regno ipso dubitari non mereatur. Porro Ju-

(1) De antiquissimo Assyriorum regno, ut vocatur, cf. Gatterer *Welt-Gesch.* I, 300 sqq.

(2) Cf. Num. XXIV, 22-24.

(3) Siquidem Beth-Rechob intelligenda sit urbs Assyriae 2 Sam. X, 6. et Ps. LXXXIII si is ad hoc tempus referendus sit, quod tamen dubio obnoxium videtur.

daei, bellis perpetuis impliciti, nondum cum aliis populis ea instituerant commercia, quae sub Davide, Salomone, et postea habuerunt. Eo intervallo Assyrii tam potentes evaserunt atque ad tantam prosperitatem felicitatemque pervenerunt, cujus specimen ostendit incredibilis fere splendidae illius metropolis descriptio. Urbs vocatur magna (1), quo epitheto Hebraei raro tantum de urbibus utuntur; neque id tantum, verum etiam hanc celebrant, tanquam urbem, prae ceteris maximam; loquendi formulam adhibentes, quae cum Graecorum θεῖος, apud Homerum tam frequenter obvia, convenit (2). De urbis amplitudine, splendore, magnificentia, incolarum frequentia, omnes conveniunt, qui de ea tradiderunt. Ambitus trium dierum vel circiter tredecim milliarium Germanicorum; incolarum numerus, qui vicies centenorum millium superabat, aliaque, hic ad memorandum ampliora, talem prosperitatem testantur. Niniven agnoscimus, regni metropolin, secundum quam dimetienda est totius imperii conditio, quod quo magis floreat et accrescat, eo magis regni caput. Situs ad Tigrin, mercaturae aptissimus, urbem tam nobilem reddidit. Pons utramque oram conjungebat, quum ceteroquin flumen vix trajicere possent. Huc iter flectebant catervae, cum Assyriorum, tum aliarum gentium: statio fiebat mercaturae Mesopotamiae; atque ita maxima illa incrementa accepit.

(1) Cf. Jona I, 2. העיר הגדול.

(2) Cf. Jona III, 3. vocatur ibi העיר גדו להל אלוהים. Cf. Jahn II. pag. 5a sq. Cl. Rosenmüllerus in scholiis ad h. l. ubi cum antiquorum, tum recentiorum de hac urbe testimonia complura attulit.

De amplitudine regni Assyriaci veteribus iis temporibus, quamquam nihil certe affirmari possit, vestigia tamen nonnulla supersunt, quae indicant, regnum aliquando se extendisse per Asiam minorem ad mare usque, cujus regna ipsi subjecta et tributaria erant, in quibus etiam regnum Trojanum; unde explicatur, quomodo fieri potuerit, ut tot tantasque copias Trojani habuerint, ut obsidionem contra conjunctam Graecorum vim tamdiu sustinere potuerint. Memnon saltem, praefectus Trojanorum, sedem habuisse videtur Susis; cujus rei indicium est Memnonium, quod alii perperam Aegyptiacae originis fuisse voluerunt. Quae, si ulterius disserendi locus superesset, pluribus confirmari possent. Id tantum in tanta antiquitate apparet, regnum Assyriorum ab hac parte, praevalente in dies Lydorum auctoritate, maxima detrimenta accepisse.

Complectebatur Assyria, quum Hebraeorum rebus immisceretur, Armeniam, Mediam, Persiam (1), Mesopotamiam, et quotquot terras expugnarunt. Haec Assyriae regni erat conditio. Finitimorum Syrorum magnum et satis potens regnum diu cohibuerat, quominus victorias suas per has terras propagarent. Obstabant praeterea duo flumina, in oriente plerumque regnorum fines, Tigris et Euphrates. Sed jam non amplius impediebant flumina, non obstabant regna; tanquam

(1) Cf. Jahn ll. pag. 66. — Postea adjecta est Syria universa ad mare usque Mediterraneum (cf. Michaelis in praef. ad Jes. pag. 19 sq.); pars item Arabiae. Herodotus Sanheribum vocat βασιλῆα τῶν Ἀσσυρίων καὶ Ἀραβίων; cf. etiam dicta Bileami (Num. XXIV, 21-22). Intellexit fortasse Herodotus tribus in Syriae planitie vagantes.

torrentes, a montibus dilapsi, qui, cum impetu ruentes, omnia secum ferunt; ita quoque Assyrii in finitima regna incidunt, et primo Syros devincunt, postea Israelitas. Phoenices quoque hoc bellum internecinum ne evitare quidem posse videntur: nam Salmanassar Tyrios aggreditur; sed pax brevi componitur.

Sed merito jam quaerunt, quomodo factum sit, ut regnum Judae in posterum Assyriis resistere potuerit: quod ut manifesto appareat, attendendum est ad ipsam regni Assyriaci, variam his temporibus et fluctuantem, conditionem; historiam ipsam inspiciamus ad gravem hanc quaestionem solvendam.

Omnes populos sub jugum Assyriorum fere redactos invenimus. Alterum regnum alterius fortunam sortitum est, cum propter vicinitatem, tum propter aliquam societatem. Pace cum Phoenicibus inita, Assyrii Aegyptum subigere conantur, sed aliis forte bellis impliciti, consilium suum nondum perficere poterant. Recedere coguntur ad suas ditiones tuendas. Post Assyriorum recessum Aegyptii Philistaeam et partes quasdam regni Israelis occupasse videntur. Quo audito, Sargon, qui Salmanassari in imperio successisse videtur (1), praefectum, nomine Tartam misit, qui cum exercitu per oras maritimas in Philistaeam tendit, atque urbem munitissimam, Aschdod, expugnat, eo fortasse consilio, quo facilius expeditionem in Aegyptum susciperet. Urbs enim iis eo majoris erat momenti, quum propugnaculum esset Asiae et Africae;

(1) Cf. Muntinghe in Annot. 248. Cl. Rosenmüllerus ad Jes. XX.

quam si tenerent, tutum refugium nacti erant, in Aegyptum pergentes. Tres annos in eo bello consumsisse videtur, ac tandem Aegyptios cum Aethiopibus, qui conjunctis viribus Assyriis resistere conabantur, gravi clade affecisse (1). Aegyptum eos invasisse non probabile est: Assyriorum enim copiae revocatae sunt ad alia forte bella gerenda. Neque tamen consilium Aegypti subigendae missum fecerunt; adversus quam Assyriorum expeditiones inprimis susceptae sunt.

Interjacentes populi necessario horum bellorum participes fieri debebant. Vidimus apud Romanos, quid barbarorum impetus effecerint, quibus ne Romani quidem, quamvis Israelitis Syrisque potentiores, resistere potuerunt.

Quemadmodum egregie Hoseas sensim et paulatim decrescentem Israelitarum potentiam saepius comparaverat cum morbo, vires conterente, ita quoque bellis civilibus tinea et putredo internas regni vires consumserat (2). Jam vero expletum est ejusdem oraculum: *Ego Leonis instar fiam Ephraimitis; et Leonis catulus Judaeis* (3). Nam Assyrii, leonum instar, in Israelitas irrumpunt: exercitus, orientalium more ingentes, et pompa magnifica ornati (4), crebris invasionibus omnia vastant et depopulationibus destruunt, cum aquilae impetu ubique ir-

(1) Cf. Michaelis praef. in Jes. pag. 29 sq. idemque ad Jes. XX.
(2) Cf. V. d. Palm et Rosenmüllerus ad Hoseam V, 13.
(3) Cf. Iidem viri cll. ad Hos. VIII, 10.
(4) Cf. cl. Rosenmüllerus ad Jes. VIII, 7. pag. 321.

ruunt (1). Israelitae impendentem interitum effugere conantur: alii Memphidem petunt, alii apud hostes ipsos refugium quaerunt; quod nusquam inveniunt : ipsi cives civibus diffidunt: alii alio se convertunt : terra incolis privatur : ac tandem superstites devincuntur, in captivitatem abducuntur (2). Atque haec sors fuit Israelitarum, hic regni Israelis exitus. Tales fuere Assyriorum invasiones; talis Phuli expeditio, talis Tiglath-Pilezari, talis postremo Salmanassaris.

Neque tamen Judaeos, quamvis ejusdem originis populum, subegerunt. Hi enim foedus habuerunt cum Assyriis, cujus ratio, etiamsi initio eadem fere fuerit, ac si Assyriorum dominationi subjecti fuissent, cohibuit tamen, quominus Assyrii hoc regnum everterint. Callidum profecto erat hoc Assyriorum consilium, quo populum sibi conciliarent, qui quantopere iis auxiliari posset in Aegypto subigenda, quisque intelligit. Si Judaei cum Aegyptiis facerent, optime intellexerunt, quanti detrimenti sibi futurum esset tale quid ad propositum perficiendum. Atque hoc est, quod bene tenendum est in sequenti Assyriorum historia rite perspicienda.

Assyrii enim, bellis, quibus post Sargonis discessum impliciti fuerant, peractis, rursus Aegyptum subigere conati sunt. Sanheribus, Sargonis successor, expeditionem parat : neque amplius Judaeis parcit, quorum rex cum Aegyptiis jam foe-

(1) Cf. Hosea VIII, 1.
(2) Cf. Hosea IX, 16.

dus inierat. Anno igitur decimo quarto regni Hiskiae cum ingenti exercitu in Aegyptum proficiscitur, sperans fore, ut Palaestinam transiens, Judaeos supprimeret (1). Assyrii Jordanem trajiciunt apud lacum Gennezareth et, maris littora tenentes, in Aegyptum pergunt (2). Hiskia, adventante Assyriorum exercitu, statim se subjecit (3) : sed nihilominus Assyriorum rex, quo melius ipsi cederet suscepta in Aegyptum expeditio, regnum Judaicum, cujus perfidiam metuebat, evertendum esse arbitrabatur, ut hoc sibi tutum refugium esset. Omnes igitur regni Judae urbes occupat, exceptis Lachide et Hierosolymis (4). Lachidem obsidet, Rabsacen Hierosolyma mittit, cujus verba documentum praebent odii et vituperationis, quibus Assyrii Judaeos prosequebantur. Grassatur quidem pestis, et totam Judaeam vastationibus suis affligit; sed nihil ipsum a proposito deterret, et hoc perficere unicum est, quod desiderat. Sed quid accidit? Fama auditur, quae latissime extenditur, viresque eundo accipit : narrant, Tirhakan cum maximo exercitu adventasse. Quo audito, Sanheribus nihil prius faciendum sibi esse putat, quam ut suas ipse ditiones tueatur, ne hostis, itinere per desertum peracto, in regnum suum incideret, armis Assyriam occuparet, eamque victoriam victoriis suis adderet. Sed antequam hoc consilium

(1) Cf. 2 Reg. XVIII, 21. Jes. XXX et XXXI. Herodotus II, cap. 141. Jes. X, 14. Ex quibus posterioribus locis apparet, Sanheribi expeditionem Aegyptum inprimis spectasse.

(2) Cf. Michaelis praef. in Jes. pag. 32 sqq. Ad hoc tempus fortasse referendum est oraculum Jesaiae in Philistaeos (Jes. XIV. 31).

(3) Cf. 2 Reg. XVIII, sqq.

(4) Cf. Jes. XXXVI et XXXVII.

perficere poterat, ecce, pestis, vento mutato, etiam in castra Assyriorum defertur, ita ut una nocte totus ejus exercitus fere periret. Atque hic erat finis tam audacis et initio felicis expeditionis (1). Ipse Sanheribus Niniven aufugit, eoque quum pervenisset, a filiis natu majoribus, Adramelecho et Sarezare interficitur; qui conjurationis auctores principes fuisse videntur, ut paternum regnum sibi vindicarent. Quidquid sit, id constat, clade maxima, conjuratione erupta, imperium maximopere concussum et debilitatum fuisse. Brevi tamen suppressa est conjuratio, regisque filii, quum ipsi cives hos interficere vellent, in Armeniam se receperunt, ubi in speluncis et antris montium Ararati tutum refugium reperire potuerint (2). in Armenia posteri eorum diu regnasse feruntur (3).

Neque tamen omnes discordiae sedatae sunt : quod conjicias ex octo annorum interregno atque bellis civilibus, quibus Assyriorum imperium labefactatum, tum fortasse interiisset, nisi alter Sanheribi filius, tandem rex creatus, regnum a cladibus rursum recreasset, prudentia, qua valebat, labe-

(1) Cf. Michaelis praef. ll. idemque ad Jes. XIX, 18-19. Jahn ll. II, 1, 190 sqq. ubi Herodoti narratio (II, cap. 141) ex hac historia egregie explicatur.

(2) Cf. Muntinghe ll. VII, 312. Marsham ll. 514. Cl. v. d. Palm ad 2 Reg. XIX, 37. Conjecturam protulit, an hi Sanheribi filii fortasse ex serva nati fuerint; quod cum adsumatur, optime intelligitur, quare hi, imperandi facultate exclusi, ejusmodi conjurationis socii fuerint. Utrum vero huic conjecturae verba Josephi (Antiq. Jud. X, 1. § 5) repugnent, nec ne, dubio obnoxium videtur.

(3) De Armenia montibusque Ararati cf. exquisita annotatio Cl. Rosenmülleri, *Handbuch der Bibl. Alterthumskunde, I, Band I, pag.* 251 *sqq.* (1824).

factata restituisset, et virtute, qua pollebat, regnum, aliis populis subjectis, mirifice auxisset. Neque tamen pristinam, omnibus partibus absolutam, imperii gloriam restituere potuit. Nam eo tempore, quum imperium intestinis discordiis dilaceraretur, Medi, hac opportunitate usi, Assyriorum dominationi se subtraxerant, et Arbace auctore ab his defecerant. Quod accidisse videtur decimo quarto anno regni Hiskiae, quod optime congruit cum Herodoti narratione, de tempore, per quod Assyrii per Asiam dominarunt. Medi enim, populus bellicosus et fortissimus, cujus virtus et fortitudo saepius celebrantur (1), diutius Assyriorum jugum ferre recusabant. Quamvis per longum tempus libertatis causa bellum gererent, tamen virtute tandem superabant, aliosque, ut ipsorum exemplum sequerentur, adhortabantur. Babylonii certe, qui Assyriorum dominationi quoque subjecti fuerant, eorum vestigia premebant (2). Verum non is erat Asar-Haddon, ut talia pateretur. Primum igitur provincias, quae ab eo defecerant, rursus subigere volebat. Medorum violentia reprimi non poterat, contra Babylonios igitur se convertebat, eosque sibi subjecit. Occupatas in Syria ditiones tuetur et Judaeos rursus aggreditur, qui cum Babyloniis se conjunxerant, eorumque regem Manassem, Babylonem abducit (3). Praecipuus auctor fuisse videtur coloniarum, quae in devictam Israelitarum regionem deductae sunt. Salmanassar, cui vulgo tribuuntur, incolas in terra reliquerat,

(1) Cf. Herodotus I, cap. 95. et Diod. Sicul. II, 34.

(2) Munthinge ll. 313, et 2 Reg. XX, 12-18.

(3) Cf. Marsham, ll. pag. 514 sq.

principibus eruditisque viris tantum abductis (1). Asar-Haddon bellum cum Aegyptiis renovavit, quod, morte impeditus, filio pergendum reliquit, Saosduchaeo (2). De eo ejusque successoribus nihil certi referri potest. Id vero constat, post Asar-Haddonem res Assyriorum in pejus ruisse. Reges enim, non contenti suo jam satis magno imperio, tunc plura insuper appetierunt, et regnum suum, quod propter molem ingentem sustinere non amplius poterant, amiserunt. Regni vero interitum festinaverunt Chaldaeorum incursiones. Medi quoque interim auctoritate in dies valere incipiebant. Babylonii libertatem rursus adepti, florebant, qui continuo id agebant, ut, conjunctis viribus, Assyriis resisterent, quod ipsis tandem feliciter evenit. Nam Assyrii in posterum eorum impetus coercere non potuerunt; anno DCI Ninive a Medis occupata, et funditus deleta est : qui finis fuit regni Assyriaci.

§ XXXVI.

Aegyptii.

Aegyptus regio erat latitudine et fertilitate insignis. Agros laetissimos interdum subito excipiunt tristia deserta, et colles arenosi impendent pratis viridibus. Nilus, per mediam terram cursum persequens, Aegyptum in duas aequales partes divisit:

(1) Cf. Marsham ll. p. 510 et 515. Hamelsveld ll. IV, 322 sqq.
(2) Cf. Muntinghe ll. pag. 313.

quarum altera, occidentalis, arenosa est et tota fere deserta; altera montosa. Montes marmora varii coloris et immensos lapides praebebant, materiam, qua Aegyptii aedificia, magnitudine magis quam pulchritudine insignia, exstruere solebant. Montosa loca vallibus et pratis latissimis interdum distinguuntur; arenosa fertilissimis nonnumquam tractibus, quos Oaseis vocant. Ante omnia memoranda est vallis Nili, ut vocatur, feracissima et longissima. Hic prima fuit civitatum sedes; in utraque fluminis ora subito surgebant aedificia, templa, oppida. Extenditur vallis ad planitiem, non ubique similiter fertilem, quae a duobus inprimis Nili ostiis includitur, indeque nomen *Delta* accepit. Postea crebris invasionibus, discordiis fertilitas multum inminuta est; et reperta sunt monumenta, arenis obruta, ubi olim segetes laete crescebant. Non igitur hodiernae terrae conditionis habita ratione, de antiqua judicari aequum est. Antiquitus jam fuit, et diu permansit horreum multis gentibus, non solum, quum regnarent Pharaones, verum etiam quum Ptolemaei et Romani principatum tenerent.

Primum forte post diluvium incolis frequentata est Aegyptus superior. Gens Phatrusima (1) prima hanc regionem invasisse videtur. Exculti sunt Aegyptii coloniis maxime Indorum, quae, primum remotissimis temporibus in Aethiopiam delatae, permultas hac in terra urbes condiderant. Porro in Aegyptum descenderunt, incolas agriculturam docuerunt, doctamque sedibus fixis adsuefecerunt. Quod quo melius ipsis cederet,

(1) Cf. cl. Rosenmüllerus ad Gen. X, 14.

quid aptius, quid simplicius, quam templum condere : quod conditum medium inter omnes accolas, omnes petunt, apud quod omnes se conjungunt, cujus terras excolunt; quo facto agricultura hominum constituit societatem, cujus vinculum est religio (1). Hac ratione paulatim permultae hujusmodi coloniae dimittuntur, aliae alio. Brevi accrescit quaeque tribus, vel *νομος*; donec tot parvulae existunt civitates, quot Nomi. Summa auctoritas erat penes excultiores, qui sacerdotum munere fungebantur, et simul imperium tenebant. Accolae aliam castam formabant; ad aliam rursus redigebantur novae advenae. Ita orta est castarum divisio, ita casta sacerdotalis omnium principatum obtinebat. Temporis lapsu parvae illae civitates aliae aliis potentiores fiebant. omnium antiquissima in Aegypto superiori, Thebae, alias sibi subegit : in media Aegypto Memphis, quae mox, Patriarcharum jam aetate, civitas potens facta fuerat, humanitate insignis, et civilibus institutis confirmata (2). Haud ita multo post, Josepho mortuo, accidit invasio *pastorum*, quos *Hyksi* vocant, quosque forte Amalekitas fuisse vidimus. Aegyptum occuparunt, superiori tantum parte excepta; eamque tenuerunt per ducentos annos, quo tempore Israelitae in Aegypto commorabantur. Sub eorum dominatione casta sacerdotalis eam, qua antea fruebatur, auctoritatem amisit; quamvis hi Aegyptiorum religionem adsumsisse videantur. Tandem vero rex Thebaidos, Thumosis, eos ex finibus expulit,

(1) Cf. Heeren, *Handbuch* pag. 65 sqq. et Ideen ibi laudat. II Th. : cui adjungatur Philostratus in vita Apollonii III, cap. 20.

(2) Cf. Jahn ll. II, 1. pag. 17 sqq. Heeren, *Handbuch* ll. 69 sqq.

et Aegyptum sub suam potestatem totam redegit. Ac jam incipit Aegyptiacae historiae periodus splendidissima. Dolendum omnino de ea non nisi fragmenta, eaque densissimis tenebris obvoluta, exstare. Neque tamen Sesostridis gloriam obscurare potuerunt. Sunt enim ejus facta illustriora, tot tantaque, ut sine dubio pluribus regibus attribuenda videantur.

Neque improbandum videtur, si omnia, de Sesostride relata, facta perlustremus, regem quemdam, qui sub hoc nomine lateat, circa Davidis tempora Aethiopiam et maximam Africae partem sibi subjecisse (1). Salomo, his auditis, sua interesse censebat, cum principe vicino, tamque potenti, se conciliare: idque tantum impedivit, quo minus in Asiam victorias tunc temporis Aegyptii proferrent. Non mirum igitur accidit legentibus, Salomonis regno diviso, hoc consilium eos perficere voluisse. Fortasse quidem sub finem Salomonis aetatis pristina, quae inter utrosque reges obtinebat, amicitia paulatim imminuta est, sive mortua sit Pharaonis filia, sive foedus aliis de causis dissolutum fuerit. Saltem Jerobeamus ipsi, ut antea Hadadus, gratus fuit; qui ad regiam dignitatem evectus, imperium suum cum Aegyptiis arctius constrinxit, recepto vitulorum cultu; et certissime non defuit iis incitandis, ut in transitu Judaeos expugnarent, quo magis suum imperium confirmaret et bellum, quod ipsi imminebat, cohiberet (2). Quinto igitur anno regni Rehabeami Aegyptiorum rex (*Sisak* eum vocat Chronicorum auctor, nomen,

(1) Cf. Marsham ll. 370.
(2) Cf. Hess. ll. IX. 54 sqq.

a *Sesostride* non admodum diversum) cum maximo exercitu Judaeos aggressus est, permultas urbes, easque munitas, occupavit et Hierosolyma ipsa, quum huc usque pervenisset, obsidione clausisset, nisi Judaei maximo tributo pacem emissent (1). Tributarios quidem reddidit Judaeos; non diu tamen Aegyptiorum imperio subditi fuisse videntur; inprimis quoniam Sesostris iter perrexit et post ejus obitum Aegyptiorum res collapsae et in pejus mutatae sunt. Israelitas ex foedere non adortus est, sed intactos reliquit. Victorias longe lateque protulit; postque novem annorum intervallum in Aegyptum rediit, ubi haud ita multo post mortuus est (2), relicto filio successore, imperio, saltem tali, ut videtur, minus apto. Neque etiam immensa regna diu consistunt : docet hoc historia orientalium, docet quoque Aegyptiorum. Ne igitur miremini, si brevi Cuschaeos, qui certe antea non subjecti, verum debilitati fuerint ab Aegyptiis, convaluisse, et novis victoriis famam suam, Sesostridis factis obscuratam, jam ejus exemplo incitatos, denuo longe lateque propagasse videamus. Iis enim Aegyptii ademerant ditiones, trans mare sitas; quibus recuperatis, Zerachus per Arabiam magnam istam expeditionem suscepit.

Quae deinceps in Aegypto facta sint, latet. Narrat Herodotus (II, 111) successorem Sesostridis caecum fuisse, quod fortasse indicet historiam, multis lacunis interruptam, et ob-

(1) 2 Chron. XII.

(2) Cf. Marsham. ll. saeculo XIV, 376 seqq. saeculo XV. pag. 413 seqq.

scuram (1). Ex hac autem tenebrarum caligine, qua eorum temporum historia involuta est, hoc tantum apparet, Aegyptios jam majori, jam minori usos fuisse felicitate. Aegyptus, quae sub Sesostride uni regi parebat, postea fortasse in duo vel plura regna divisa est. Hac opportunitate casta sacerdotalis maximam adepta est auctoritatem, quae in dies accrevit. Sacerdotum aristocratia cum monarchali dignitate arcte connexa fuit, et reges, quamvis non semper a sacerdotibus crearentur, plerumque eorum dominio subjecti erant. Sacerdos summus τοῦ Phtha, omnium primarius, regi oppositus erat. Religio cum civitate conjuncta, sacra publica et privata, publica denique monumenta castae sacerdotali summam apud populum reverentiam et auctoritatem praebebant, et perpetuo servabant. Praeterea omnia in civitate munera sacerdotes obtinebant. Quae, si conjunxerimus, non mirum subeat, si et externos victores iis gratificari, eosque sibi conciliare conatos fuisse, reperiamus. Quum enim sacerdotibus interdum castae militaris auctoritas adversata esset, orta est gravis illa inimicitia, qua se invicem prosequebantur quaeque perpetuo aemulatione augebatur. Hoc ansam dedisse videtur multis discordiis, variisque tumultibus, quibus usi Cuschaei vel Aethiopes Aegyptum sub suam potestatem redegerunt et per aliquot annos tenuerunt. Sabaco primus narratur fuisse Aethiopum rex, circa Jerobeami II tempora, quem arcessitum putant a sacerdotibus, quos regum suorum pigeret. Quo mortuo vel reges ex casta sacerdotali victorum nomine regnarunt, vel ipsi

(1) Cf. *Heeren Handbuch* pag. 76.

victores imperium sibi vindicarunt. Hoc tempore Israelitae, Philistaei et Phoenices foedus habuerunt cum Aegyptiis, quorum regem Hebraei vocant *So*, Herodotus Σεθῶνα (1). Foedus consociatis non magnopere profuit. Rex iste enim suam tantum castam curavit, militarem omnino neglexit, eodemque modo parum de hoc foedere sollicitus fuisse videtur. Ne igitur miremur, Prophetas debilitatam Aegypti conditionem saepius Israelitis in memoriam revocasse, unde nullum auxilium exspectare potuerint. Utrum Cuschaeorum rex, Taraco, Aegyptum rursus aggressus sit occasione magnae illius, quam in Africam suscepit, expeditionis, disertis verbis affirmari nequit. Id vero constat, haud ita multo post ortum esse in Aegypto duodecim regum imperium, qui quindecim annos conjuncti regnarunt. Tandem unus eorum, Psammetichus, sibi soli imperium vindicavit, anno DCL, initio regni Manassis regis Judaeorum.

Ac jam cum novo historiae periodo Aegyptii rursus in scriptis Hebraeorum occurrunt, eorumque res ab hoc inde tempore inter se valde connexae sunt: ad quas explicandas ad Aegypti hoc tempore conditionem accuratius attendamus. Neque hic historia nos relinquit, et certior esse incipit.

Psammetichum, fortasse quidem quod exteris nationibus, Graecis et Phoenicibus, nimis faveret, isti reges in ultimas inferioris Aegypti oras ejecisse videntur. Hic vero, a Graecis

(1) 2 Reg. XIV, 7. Herod. II, 141.

auxiliis adjutus, quibus accedebat factio, quae ipsius nomen profitebatur et per Aegyptum dispersa erat, adversarios vicit, regnoque potitus, totius Aegypti caput elegit Memphidem. Ipse habitabat Sai, ubi minus ipsi timendi erant Sacerdotes, et propiores habebat milites Graecorum. Ab eo inde tempore Aegyptus a Graecis magis frequentata et sacerdotum auctoritas valde imminuta est, quos rex ne ornandis quidem templis sibi conciliare potuit. Magna eorum pars in antiquam patriam, Aethiopiam, se contulit : quos secutus est ingens militum numerus, qui regis agendi rationem indigne ferebant. Hi novas urbes et civitates in Aethiopia condiderunt. Psammetichus enim perpetuo de adversariis suis sollicitus, milites Jonios et Caros retinuerat, quos, magnis muneribus donatos, per agros ordinis militaris in inferiore Aegypti parte distribuerat. Alios insuper peregrinos milites conduxit, quod de ejus successore, Nechone, inprimis constat (1). Jeremias enumeravit Cuschaeos, Puteos, Lydos. Putei patriam habebant ad mare Atlanticum, neque post Mosen ante Hiskiae imperium in libris Hebraeorum occurrunt (2). Sed ab hoc inde tempore mercenarii erant Aegyptiorum et Tyriorum, quibus, expeditionibus mercaturae causa susceptis, innotuerant. Videntur omnino hoc tempore, stipendiis apud exteros factis, tantopere in oriente inclaruisse, quantopere postea apud Romanos (3). Nec minus tunc claros se reddiderunt Lydi, Asiae eo tem-

(1) Cf. Jerem. XLVI, 9.
(2) V. c. Nahum III, 9. Ezech. XXVII, 10. XXXVIII, 5.
(3) Cf. Michaëlis in Specil. II. p. 164.

pore populus fortissimus. Potentissimum profecto hac aetate fuit eorum imperium, quod, ut credibile est, maximum cum Asiaticis populis, Phoenicibus inprimis, et cum Aegyptiis post Psammetichum, commercium habuit (1). Graeci, maximis praemiis invitati, complures in Aegyptum confluxere, atque ita Aegypti facies prorsus immutata est.

Psammetichus, liberali indole et ingenio incitatus, confirmato imperio, bellis implicabatur cum vicinis gentibus. Assyriorum victoriis resistere cupiens, expugnavit urbem Aschdod, quam post XXIX annorum obsidionem cepit; sive tunc ab Assyriis, sive a Philistaeis ipsis, praesidiis instructam. Neque verosimilitudini repugnat, Judaeos, qui eo tempore, quum Manasse ab Assyriis in captivitatem abductus fuisset, rege privati fuerant, Aegyptiorum militum protervia et audacia permultas calamitates perpessos fuisse, partim vexationibus, partim praedationibus (2).

Circa ea tempora, quibus Aschdod expugnata est, ponenda videtur Scytharum expeditio, qui in Philistaeam usque processerant, multis terris jam subactis. Probe distinguenda est eorum et Chaldaeorum invasio. Psammetichus precibus tantum et muneribus eos a consilio ulterius procedendi avertere potuit. Recedentes, templum Veneris vel Astartes Ascalonense depraedati sunt (3). Suspicantur, urbem Beth-Schean, in ripis

(1) Cf. Michaelis II. 117 sqq.

(2) Huc forte respexit Jerem. (II, 16). Cf. cl. v. d. Palm. ad h. l. nisi referendus sit locus ad tempora, Josiae morti proxima.

(3) Cf. Herod. I, 103 sqq.

Jordanis sitam, in memoriam ejus expeditionis *Scythopolin* dictam fuisse. Quod si factum sit, Jordanem hoc loco trajecerunt, et Judaeorum impetum fortasse quidem timentes, per medias pristinas Israelitarum terras in oras maritimas tetenderunt. Hebraeorum scriptores ne ullam quidem hujus historiae mentionem faciunt : sed non mirandum est hoc silentium; quum ista expeditio, prudentia Psammetichi prohibita, ne minimam quidem vim habuerit in Judaeorum res : praesertim quoniam Regum et Chronicorum auctoris consilium non tulit, ut accuratam, omnibusque numeris absolutam vel perfectam utriusque regni historiae narrationem praeberent (1).

Psammetichus arma latius certo prolaturus fuisset, nisi mors eum impedivisset. Mortuo successit Necho, quem eodem nomine apud Hebraeos novimus. Multo majora, quam pater, animo agitabat : magnum, cui imperabat imperium, mercaturae fructuum particeps reddere volebat. Itaque isthmum perfodere tentavit, sed frustra. Cum Phoenicibus foedere conjunctus, expeditiones facere constituit, vel potius renovare. Consilium habebat Africae circumvehendae. Classes aedificavit, alteram in mari Rubro, alteram in mari Mediterraneo.

Sed omnium maxime sollicitatus erat de Chaldaeorum seu Babyloniorum in Asia victoriis, quibus resistere omnibus viribus tentabat. Copias igitur per oras maritimas in Palaestinam deduxit, et sine intermissione processit ad portum Acconis,

(1) Cf. cl. Rosenm. Handb. II. p. 272 sqq.

quae et Ptolemaïs vocatur. Josias, qui tunc Judaeis praeerat, et cum Chaldaeis societate junctus fuisse videtur, Aegyptiis restitit. Hi victores e proelio recedunt, mortuo Josia, et ulterius in Asiam progrediuntur. Fortasse ipsa Hierosolyma adorti sunt, ipsum saltem regem ceperunt, aliumque crearunt (1). Quarto demum anno cum Chaldaeis conflixit Necho, victoriis interim ad Euphratem usque prolatis. Grave fuit proelium apud Circesium, diu ambiguum, tandem Chaldaeis prosperum. Profligantur Aegyptii, qui uno proelio omnes subditas in Asia provincias amittunt. Nebucadnezarus eos in Aegyptum usque persequitur, omnia vastans, incendio caedeque replens. Brevi tamen recedit, audita morte Nabopolassaris. Aegyptus a clade mox se recreavit, novisque sub Psammi, qui anno DLXXXVIII Nechoni successerat, victoriis, de Aethiopibus reportatis, regni splendorem auxit. Orta sunt sine dubio ista perpetua cum iis bella exsulum et fugitivorum moliminibus, qui antea huc se contulerant. Cum hoc rege Judaei foedus inierunt adversus Chaldaeos, et primum quidem Jojakimus, qui cum Nechone societate jam fuerat conciliatus. Foedus renovavit Zedekias, a Chaldaeis rex constitutus, qui regno privatus est, eversis Hierosolymis. Psammis, bello Aethiopico implicitus, Judaeis auxilium praebuisse non videtur.

(1) Cf. Jerem. II, 14-17.

§ XXXVII.

Babylonii.

Nusquam fere terrarum tam profuse natura dona sua largita est, quam iis tractibus, qui Babyloniae nomine nobis innotuerunt (1). Quamvis quidem saepius a barbaris populis occupata sit, et postea rursus expugnata, regio semper soli cultura nobilitata, semper terra florentissimis urbibus celebrata est. Jam remotissimis temporibus, et quid mirum? Babylon sedes fuit societatis humanae (2); perpetuo nobilis mansit, eamque dignam censuit Alexander Magnus, quam non tantum caput universae Asiae, verum etiam totius imperii regiam crearet. Post ejus eversionem aliae urbes demum florere incipiebant, Seleucia, Ctesiphon, Bagdad, aliae; eamque sibi gloriam vindicare potuerunt, cujus indicia Balsorae inprimis rudera posteris saeculis ostendunt (3).

Si ad regionis situm attendamus, sitam invenimus inter mare Mediterraneum et Indicum, in vicinia sinus Persici, et maximorum Asiae fluminum. Sponte exinde intelligitur, omnes populos huc confluxisse, non tantum ex tota Asia, verum etiam ex universo orbe cognito: omnes huc spontatas

(1) Cf. Herodot. I, 193.
(2) Cf. Gen. X, 8–10.
(3) Cf. Heeren Ideen I Th. 2 Abth. p. 145 sqq.

fuisse ex oriente et occidente merces, quae Babylone venales exhibebantur, et tanquam in horreum quoddam conferebantur: ita exstitit totius Asiae forum. Frequens eorum cum Phoenicibus omnibusque populis mercatura omnibus nota (1): nota, quae cum Hebraeis etiam obtinebat: quam testentur toties memoratae chlamydes Babylonicae, tapeta splendida, acu pulcherrime picta, annuli aliaque.

Antiquissimae Babyloniorum historiae fragmenta tantum supersunt. Nimrodes, Chusi filius, fortis venator, potens factus, inter suos primus auctor fuit condendae Babylonis; cujus regnum, amplum licet fuerit, cum eo etiam niteriit (2). Nam brevi post Ninus Babyloniam regno suo adjecit, quo mortuo, Semiramis, filii nomine, regnum administravit, regiae sedem Babylonem deduxit, urbemque, latissime amplificatam, magnifice ornavit. Postea, maxima clade accepta, Ninyae regni administrationem tradidit. Hic ad imperium sustinendum non aptus erat: qua opportunitate Babylonii fortasse usi sunt ad deficiendum (3). Horum regum, quamquam admodum parvum, nihilominus deinceps valde floruit. Babylonii enim libertatem nacti, per aliquot secula sui juris fuisse, suosque reges habuisse videntur. Mercaturae unice intenti, per illud tempus latissima commercia fecerunt, sed navigationi, quamquam sinus Persici vicinitas huic faciendae quam maxime op-

(1) Cf. Heeren ll. p. 148 sqq. 175 sqq.
(2) Gen. X, 8. sqq. Jahn. Bib. Arch. II; 1, 7 sqq.
(3) Cf. Gatterer Weltgesch. I, 300 sqq. et 294.

portuna fuit, minorem operam dederunt. Desiderabatur enim ligni copia (1). His operam navantes, ditiones suas non dilatare, sed quas tenerent, potius tueri conabantur. Accrescente enim in dies Assyriorum potentia, perpetuo iis timenda erat talis regni vicinitas, cujus dominationis non semper quoque immunes manserunt. Nam Salmanassar, ad regiam dignitatem evectus, Babyloniam regno suo adjecit, et more tunc usitato, Asar-Haddon colonos inde in terras Israelitarum deduxit (2). Neque diu tamen eorum imperio subjecti fuerunt. Babylonii enim, ab Assyriis alienissimi, quamque occasionem arripuerunt, qua se horum jugo liberarent. Mortuo igitur Sanheribo, non missam fecerunt deficiendi occasionem, et tunc a Medis adjuti sunt. Rex creatus est Merodach vel Berodach-Baladan (3) qui, quo magis regnum suum constitueret et adversus Assyriorum impetum tueretur, nihil intactum reliquit. Odio, quo Babylonii in hostes eos ferebantur, indulgens, nihil prius faciendum sibi esse existimavit, quam ut hostium inimicos sibi amicos redderet. Hoc consilio ad Hiskiam, tunc satis potentem et honoratum, legatos misit, qui ei gratularentur, quum ex morbo convaluisset; et simul amicitiam vel foedus cum eo inirent (4). Sed non diu libertate fruebantur Babylonii. Nam mortuo rege, nulloque successore relicto, per octo annos nemo Babyloniis praeërat: qua opportunitate usus est Asar-Haddon, ut Babylonios rursus subigeret. Arma etiam

(1) Cf. Heeren ll. p. 160 sqq.
(2) Cf. cl. Rosenm. ad Jes. XXXIX v. 1. Muntinghè ll. VII, 311.
(3) Cf. 2 Reg. XX, 12-18 et Jes. XXXIX, 1 sqq. Rosenm. ad h. l. Jahn ll. p. 192.
(4) Cf. Rosenm. ll. supra.

contra Judaeos aliosque populos convertit, illorumque regem, Manassem, captivum Babylonem traduxit (1). Post aliquot annos Babylonii in libertatem rursus se vindicarunt, atque tunc Manassem in regno restituerunt. Utrum haec rerum conversio acciderit, auctore Belesi, auxiliantibus Medis, non satis constat. Si ita acciderit, hac ratione forte historia horum temporum explicanda videtur. Medi, qui jam antea desciverant, quo magis libertatem suam confirmarent, omnia moliti sunt, quibus Assyriorum potentiam penitus confringerent. Itaque eorum rex, (fuit fortasse Phraortes) (2) auctor fuit, qui Babylonios ad suas partes traheret. Belesis, vir majore auctoritate pollens, Assyriorum fortasse in Babylonia Satrapa, his annuit. In societatem recepit Arabum quoque principem, Chaldaeorum certe ducem quemdam praestantissimum, qui tunc temporis Syriam peragrabant, Assyriamque incursionibus devastabant, et auctoritate in dies magis magisque valebant. Medi Niniven occupabant, quo facto ipse rex Sardanapalus, qui et Saracus dicitur, ad summas angustias redactus, una cum palatio flammis periit (3).

Interea Nabopolassar, Chaldaeus quidam, regni administrationem acceperat. Chaldaei enim, quemadmodum Gothi, aliique Barbari sub Romanorum imperio, jam tunc eam adepti

(3) Michaelis ad 2 Chron. XXXIII, 12 sqq.

(4) Cf. Herod. I, 101.

(3) Sic optime explicari posse videtur narratio Diod. Sic. II, cap. 24 sqq.

erant auctoritatem, ut ad regiam dignitatem obtinendam ipsis pateret aditus.

Chaldaei enim aliunde erant orti, et bene distinguendi sunt ab ordine vel casta eruditorum, quae hoc nomine insigniebatur; qui, cum origine fuerint Babylonii, quomodo nomen illud adepti sint, non constat. Eodem modo Chaldaei prorsus distinguendi sunt a Scythis. Chaldaeos igitur intelligimus populum antiquissimum, qui antiquitus habitavit in locis, mari Euxino vicinis. Fuerunt inter eos alii, qui planities, alii, qui montes incolerent : hi ferociores, illi excultiores. Eandem regionem antiquitus fortasse incoluerunt, in qua Graeci et Romani, qui eos secuti sunt, Chalybes collocarunt (1). Describitur ab iis regio tantum montosa, metallis abundans, ferro inprimis nobilis. Cum bellicosae asperaeque gentis descriptione, quam veteres de Chalybibus tradunt, optime congruit Chaldaeorum in V. T. delineatio. « *Gens fuit*, » inquit Jeremias, « *immanis, antiquissima, cujus linguam ignorabant, cujus sermonem non intelligebant Hebraei; cujus pharetra similis est patenti sepulcro, gens heroum. Venturus est*, inquit, *ex aquilone populus, gens magna ex finibus terrarum, quae arcus tractat, lanceasque quatit; crudelis et immisericors, voce strepens, maris instar; equis insidens, ad pugnam viriliter instructa* (2). »

Ex Chaldaeorum terra, saltem ex ejus vicinia, egressus est

(1) Cf. Michaelis in Specil. II. 77 sqq.
(2) Cf. Jerem. V, 15-16. VI, 22-23.

Abrahamus, ab eoque inde tempore non amplius in V. T. recurrit Chaldaeorum mentio. In septentrionem enim tetendisse videntur, ibique cum aliis nomadibus se conjunxisse, alios devicisse, atque ita ingentem in modum aucti, ad tantum, tamque potentem populum accrevisse. Hinc non mirum est, eos Hebraeis plane ignotos factos fuisse, eosque usos esse lingua Hebraeis aeque atque Aramaeis, non intelligenda; quod ex nominibus propriis v. c. apparet. Quando primum Asiam invaserint, non constat. Fuit certe non ita multo post regnum Achasi. Id vero affirmari potest, eos mox in coloniam esse redactam ab Assyriis. Nam hi, perpetuo molestis eorum invasionibus affecti, postquam eos vicerant, non melius eos coercere se posse arbitrabantur, quam si certas sedes iis concederent, quae colonia *Chaldaeae* nomine celebrata est, rite distinguenda ab eorum patria. Vario consilio condita est ea colonia: primo quidem ut sensim mansuefierent, sed et praeterea, ut terram aggeribus munirent ad Euphratem coercendum, in cujus vicinia sedes acceperant; ac denique ita optime inservire possent Assyriis, Babyloniis cohibendis, quorum in Assyrios odium novimus. Quae tamen spes eos fefellit (1). Chaldaei enim, his sedibus acceptis, cum finitimis Babyloniis paulatim magis se conjunxerunt, eorum mores, eodem modo, quo Germani Romanorum, quin etiam Babyloniorum linguam recepisse videntur. Antiquam eorum linguam in aula et publicis monumentis fortasse servarunt; nomina saltem nonnulla hoc indicant. Quidquid sit, jam intelligitur, quomodo fieri potuerit, ut Chal-

(1) Cf. Jahn ll. I, 1. pag. 69. Michaelis ll. II, 82 sq.

daeum sibi regem Babylonii crearent; quem fortem, strenuum, alacrem, optimum libertatis vindicem futurum esse sperabant.

Chaldaei, antequam in coloniae formam erant redacti, maximam partem regionis amoenitate allecti, apud Babylonem castra metati sunt, quae muris circumdabant, turribusque muniebant. Hac opportunitate Babylon fortasse eam latitudinem acceperit, quam Herodotus ipsi tribuit (1). Ita temporis lapsu novae oriuntur urbes, aliae amplificantur (2). Chaldaeis regionem tenentibus, et tamquam inundantibus, mirum non videtur, colonias tunc temporis ex Babylonia abiisse in oras sinus Persici, ubi tuti ab invasionibus et securi, mercaturae studio optime indulgere potuerint. Atque inde eorum mercatura maxima incrementa accepit. Eo enim tempore condita esse videtur urbs Arabiae, Phoenicum commerciis deinceps nobilissima, Gerra, cujus incolae navigationi inprimis operam dederunt, et frequenti cum Indis mercatura civitatem, divitiis mirifice ditatam, nobilissimam reddiderunt et felicissimam (3).

Nabopolassar primos imperii annos consumsit in novo regno constituendo : initio enim de victoriis reportandis non adeo sollicitus fuit. Idem est, qui in V. T. Nebucadnezar dicitur (4).

(1) Cf. Herod. I, 178.
(2) Cf. Heeren ll. pag. 168 sqq.
(3) Cf. Heeren ll. pag. 121. 168 sqq. 213 sqq.
(4) Cf. 2 Reg. XXIII, 29.

Filium habebat ejusdem nominis, quem regni socium adsumsisse, et excercitui praefecisse videtur. Saltem cum patre aliquamdiu regnavit, quem debilem fuisse Josephus affirmat (1). Patris nomine hic expeditionem suscepit contra Aegyptios, quorum rex Pharao Necho Asiam armis suis subigere cupiebat et, Josia, Assyriorum, vel potius Chaldaeorum socio, in proelio occiso, Judaeam sibi tributariam fecerat (*). Hunc igitur Nebu-

(1) Josephus contra Apionem I, 19. Jahn. II. 197.

(*) Pharao Necho, ut suspicantur nonnulli, (Cf. Michaelis ad 2 Reg. XXIII, 29 Jahn II. 195 sqq.) copias, classe impositas in Palaestinam trajecit, sed, ut videtur, perperam: erat ista agendi ratio recentioris aevi et minime Aegyptiis hujus temporis accommodata, qui postea demum rei nauticae operam dederunt. Verum cum exercitu per oras maritimas eum tetendisse vero simile est, quod etiam Ptolemaeorum et expeditionum cruciatarum aetate fecerunt, desertum, quod Aegyptum inter et Judaeam situm est, transeuntes. Nimium horrorem plerisque injecit illud desertum, qui ideo tale quid excogitarunt. Non habet vero, quod aliquem deterreat. Iter Gazâ Memphidem erat tantum triginta horarum, et Memphis insuper sita erat in media Aegypto. — Secundo observari meretur in Nechonis expeditione permagna properatio. Judaei, sive vallem Esdrelonensem pugnae aptiorem putaverint, sive ad pugnam non parati fuerint, Aegyptiis initio non resistunt, qui etiam consilium non habuisse videntur Judaeorum laedendorum. Ergo juxta maris littora ad hanc vallem procedunt. Hic praelium committunt, Josia moritur. Celeri impetu expeditionem pergit Necho et ad Euphratem usque Asiam expugnat: nam ulterius procedendi ejus consilium non tulisse videtur. In transitu forte a Judaeorum partibus, qui Aegyptiis favebant, invocatus, Hierosolyma cepit, et Joahasum, qui interea tres menses regnaverat, secum in Aegyptum abduxit. (Nam *καδῦτις* apud Herodotum certo est Hierosolyma: Cf. Heeren Ideen II. p. 123 sqq.: quod confirmatur exinde; quod Arabes urbem appellare solent *kods* vel *sanctam*. Καδῦτις igitur non est nisi הקדושה vel simpliciter קדשׁה *sancta*: per Syriasmum, permutatur שׁ cum ת). Babylonii interim majori in dies auctoritate valebant, quorum progressus cum Necho audivisset, quarto anno post cum excercitu iis resistere conatur apud Circesium. — Tertio; bene observanda est clementia, qua usus est Nebucadnezarus, quaeque in omnibus ejus factis apparet. Hanc initio fortasse adhibuit ad Judaeos sibi conciliandos, perspiciens regnum suum tunc non satis adhuc stabilitum fuisse, et Aegyptiorum potentiam, quam non immerito timebat, metuens. Si

cadnezarus coercere tentabat, eumque apud Circesium devicit, Aegyptios ex Asia expulit, et hac victoria imperium suum confirmavit. Circa hoc tempus mortuus est Nabopolassar, a cujus obitu imperium Chaldaeo-Babylonicum initium duxit (1). Nebucadnezarus II vir fuisse videtur, animi quidem gloriae cupiditate abrepti, attamen generosus, beneficus, et in hostes vel perfidos benignus, clemens; ceterum in plerisque magnus (2).

Nebucadnezarus, devictis Aegyptiis, in Judaeam perrexit, quae tunc Aegyptiis obediebat. Verosimiliter a partibus, quae Chaldaeis favebant, ac jam inferiores erant, invocatus est. Mortuo Josia, populus Joahasum regem creaverat: non sine causa eum Jojakimo, filio Josiae natu majori, praeponens. Fortasse enim indole melior et regno aptior erat, saltem universo populo magis placebat. In ejus locum Aegyptii Jojaki-

vero attendamus ad rationem, qua usus est v. c. in expugnatione Hierosolymorum sub Zedekia, animadvertimus firmiores jam factos fuisse Babylonios, quod ex omnibus patet. Quarto luculenter ex hac historia insuper apparet consuetudo, antiquis populis propria, regiae familiae mitius tractandae, etiamsi terram expugnassent. Idem fecerat Saulus erga Agagum; idem Davides erga Ammonitas. Davides, postquam hos devicisset, regem iis praefecit sibi tributarium ex ipsa regia familia, a qua tam graviter laesus erat. Regem nempe constituit regis mortui Nahasi filium, Hanunisque fratrem, Sobi. (Cf. 2 Sam. XII cum 2 Sam. XVII, 27). Idem observari potest de Nebucadnezaro, qui regiam Judaeorum familiam eodem modo reveritus fuisse videtur, aliquem semper, qui huic annumerabatur, regem constituens. Eodem modo Cambyses regiae familiae pepercit, postquam Aegyptum expugnavisset. De hoc argumento dignissima est, quae legatur Herodoti observatio III, 15.

(1) Cf. Michaelis ad Jerem. XXV, 1. 2 Reg. XXIV, 1.

(2) De indole et charactere Nebucadnezari, vid. Michaelis ad 2 Chron. XXXIV, 6.

mum regem constituerant, a partibus, quae ipsorum nomen prae se ferebant adjuti, ad quas optimates inprimis pertinuisse videntur. Populus id aegre ferebat, et vicissim Chaldaeorum auxilium implorabat. Hae partes principatum obtinuerunt, quamdiu Chaldaeis rex Judaeorum obediret.

Nebucadnezarus post brevem obsidionem Hierosolyma cepit. Jojakimum primum quidem, catenis vinctum, Babylonem abducere voluisse videtur; sed, mutato consilio, eum restituit, ipsi imperium tradidit, attamen sibi tributarium reddidit, multis templi vasibus, aliisque rebus quibuscunque abreptis. In fidei gratiam juvenes quosdam nobiles obsides secum duxit. Ab eo inde tempore Chaldaeorum in Judaeos dominatio incipit (1).

Tertio anno rursus defecit rex Judaeorum Jojakimus, qui, ut videtur, ab Aegyptiorum rege incitatus erat, quocum foedus inierat. Contra Chaldaeos se sustinuit ad mortem usque. Nam Chaldaei, his cognitis, Hierosolyma iterum obsidione claudunt. Judaei pertinaciter urbem defendunt. Rege interim mortuo, filius ejus Jojachinus anno aetatis decimo octavo ad regiam dignitatem evehitur; non diu imperio gaudet, neque ipse, sed mater ejus nomine regnat (2). Brevi urbem Chaldaei expugnant, tertio mense et decimo die post mortem Jojakimi. Mortuum regis rebellis corpus, foras ejectum, feris dilace-

(1) Cf. v. d. Palm ad 2 Reg. XXIV, 1. Jahn II. 198 et 201 sqq. Daniel I, ϛ 1 sqq.
(2) Cf. Michaelis ad 2 Reg. XXIV, 8.

randum praebent; ipsum regem, Jojachinum, cum optima Judaeorum parte, abducunt; in ejusque locum alterum Josiae filium, Zedekiam, regem restituunt, qui Chaldaeorum nomine regnum administraret. Verum et is postquam cum Aegyptiis denuo foedus inierat, a fine XII annorum a Chaldaeis petitur, qui, deletis Hierosolymis, eum interficiunt atque ita regno Judaico finem imponunt.

CONCLUSIO.

§ XXXIII.

Ad locum respicere, in quo diu versati sumus, quem morandi tempus nobis jucundum reddidit, non est exigua voluptas, semper nos arridet, semper nos apud se retinet, et denuo attrahit. Pictorem agentes, facillime ejus tabulam exhibere, eumque locum, ab omni parte delineatum, oculis subjicere possemus. Eodem modo Palaestinam non relinquemus, antequam oculos converterimus ad sancta illa loca, quae nos tamdiu apud se detentos retinuerunt. Sunt rudera illa nobilissimarum tunc temporis urbium, sunt rudera Hierosolymorum et Samariae, quae ex longinquo cernimus. In mentem nobis revocent, quae aliquando gesta fuerint, prosperitatem et calamitates, felicitatem et bella; sed causas quoque utriusque urbis eversionis, causas, quibus factum est, ut regnum Judae diutius perstiterit, quam regnum Israelis.

Et quis est, qui ea loca adspiciat, cui non subeat, ipsum regni divisionem jam necessario ansam dedisse, et dare debuisse exitio utriusque regni; et quamvis utrumque ejusdem sortis particeps fieret, alterutrum tamen, quod infirmius futurum esset, eam calamitatem prius experturum esse. Et regnum Israelis novimus, quod ad ipsam terram attinet, cum ob ipsius regionis situm, tum propter mutuam tribuum minorem cohaerentiam, tam imbecille, ut jam a priori suspi-

careris, hoc ante Judaicum interiturum esse. Vidimus nimiam regni amplitudinem, quam Israelitae tueri non potuerunt. Accedebat perpetua tribuum trans-Jordanensium cum cis-Jordanensibus aemulatio, in dies aucta, magis magisque alta. Accedebat infirma civilis reipublicae conditio, institutis Jerobeami debilitata, introducto Baalis cultu penitus corrupta. Accedebat legis Mosaicae neglectus, quae unicum tantum fuit reipublicae salutis firmamentum, omnisque felicitatis fons perpetuus. Accedebat regiminis formà, ab omni parte tam perversa, et perversa civitatis moderatione adeo infracta, ut quisque merito expectare posset, calamitates exinde orituras esse gravissimas, regnique integritati et perdurationi aeque lethales.

Et revera contemplati sumus istas discordias, istas civium contentiones, ista bella intestina, perpetua, neque umquam fere interrupta, quae per se regno, exitium admoverunt. Contemplati sumus gravem istam morum corruptelam, quae omnia insuper evertit, et internas regni vires prorsus contrivit.

Atque haec erat regni Israelis conditio, si ad ipsum regnum tantum attendamus. Sed praeterea consideravimus ejus regni cum reliquis populis consuetudinem. Carebat omnibus fere, quibus splendorem externum augere posset; adjunctis etiam carebat provinciis, quae ceteroquin civitatis maxima incrementa censendae sunt : eos contra, quos sibi tributarios vocabat, hostes habebat accerrimos. Phoenices quidem ipsi maximopere profuerunt, regnique felicitatem mirifice auxerunt;

sed externam tantum : internam vero tantopere afflixerunt, ut Israelitae, moribus eorum receptis, earumdem etiam calamitatum, quibus hi affligebantur, participes fierent quasque nulla resp. vitiis moribusque deperdita effugere potest. Circumjacentium populorum odium, alienatum in Hebraeos animum novimus, quibus regnum, insuper labefactatum, vehementer debilitatum est. Inter ipsos Israelitas partium suarum habuerunt illi fautores, quorum machinationibus nihil perniciosius, nihil gravius. Syros consideravimus, eosque regni interitus primarios auctores vocavimus. Assyrios insuper terram inundantes, plus semel internecinis bellis conterentes, tandem ipsum regnum evertentes, vidimus.

Et quis est, qui haec omnia conjunctim perspiciat, cui non in promptu sint causae, quibus effectum sit, ut regnum Israelis perierit, et ante regnum Judae perire debuerit, si hoc omnibus istis calamitatibus revera non obnoxium fuerit.

Verum etiam cernimus rudera, quae tam late patent. Suntne fortasse Hierosolymorum? Sunt reliquiae nobilis illius urbis, quae eadem nos docere videntur. Ac prorsus documenta sunt temporum injuriae, quae etiam hoc regnum everterunt; illi tamen diutius, quam regno Israelis, pepercerunt. Causis enim quae hujus interitum pararunt, contraria illud integrum aliquamdiu servarunt: minus late patens regni amplitudo; mutua tribuum major necessitudo, urbis regiae templique thesaurique sacri possessio; firma civilis reipublicae conditio : legis Mosaicae observantia, sapientibus prudentum regum institutis confirmata : regiminis forma, egregie constituta; incrementa

denique, ex regni Israelis imbecillitate et tumultibus percepta. Accedebant insuper provinciae, quae regni vires perpetuo auxerunt, felicitatique haud exigua incrementa addiderunt. Mirifice adjuvabatur provinciarum possessio necessitudine, quae Judaeis cum aliis populis intercesserat. Acceperunt gravia quidem exinde damna, sed regno eo minus perniciosa, quo firmior fuerit interna conditio. Perpessi sunt similiter circumjacentium populorum odium, et nunquam exstinctam horum simultatem. Verum hostibus, licet potentissimis, resistere potuerunt : montes Ephraimitici, loca, mari Mortuo vicina, deserta Arabiae et Idumaeae tractus theatrum fuerunt proeliorum, ex quibus victores recesserunt Judaei. Cum Assyriis foedere conciliati, regnum Israelis eversum conspexerunt. Neque tamen tali sorte deterriti, horum vestigiis non insistere noluerunt. Eadem labe interim contaminati fuerant, morum corruptela. Peregrinorum cultum receperant, qui in dies apud eos magis valere inceperat. Regnum, partium studio dilaceratum, Aegyptiorum et Babyloniorum ludibrium, tandem quoque ab his eversum est.

Atque haec testari potestis, rudera Samariae et Hierosolymorum! eamdem profecto fortunam sortitae estis, atque urbes, quae olim eadem fortuna utebantur. Dignitatem et auctoritatem suam hae quoque amiserunt : internis viribus consumtis, eodem modo hostium praeda et ludibrium factae sunt. Carthago quibusnam aliis causis interitum suum debuit? Persepolis, Palmyra, Thebae, et quotquot pristinae gloriae et splendoris indicia praebent reliquias, ruderum mole obrutae, quid

aliud testantur? Aeque tristis vestrorum est adspectus, urbes, orientis aliquando corona! utilissima quidem et praeceptis plena est vestra contemplatio; non vero grata et jucunda facies. Idem erit earum civitatum exitus, quas vestra pericula cautas non fecerunt.

Atque haec sunt, viri clarissimi! quibus explicare conatus sum quaestionem, quem proposuistis; quae libenter aequo vestro judicio submitto. Quae si Vobis placeant et quaestionem satis solvant, nihil mihi gratius, nihil jucundius eveniet! Sin minus, Vos, V. C. semper grato animo prosequar, qui hac quaestione proposita, me incitaveritis, ad hanc historiae periodum amplius accuratiusque pertractandam. Quumque, disputatione ad finem perducta, prorsus mihi persuasum sit, causarum indagationem optimam esse viam ad historiam rite explicandam, verba Borgeri huic scriptioni subscribere non dubito:

> Cum igitur hoc se agere historia profiteatur, ut rerum gestarum cognitionem hominibus impertiatur, non magis ab ejus munere abesse potest causarum explicatio, quam ab aedium exstructione positio fundamenti.
>
> Borgeri Disp. de Historia Prag. pag. 9.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Nobilissima facultas Phil. Theor. et Litt. Hum. in Academia Lovaniensi auctori concessit, ut huic commentationi pauca adderet; quae antea cum aliis de causis, tum quod hujus scriptionis, antequam Lovanium mitteretur, emendandae, ac relegendae etiam opportunitate caruit.

Quoniam auctori propter locorum intervallum, Leidam inter et Lovanium interjectum, primum tantum exemplum, typis expressum, mitti potuerat, mirum non est, quo pacto longa haec corrigendorum et addendorum series oriretur.

P. 7. l. 15. *historia* lege *in historia.*

P. 8. l. 1. *quam instituit* lege *quam instituerunt.*

l. 19. דכרי — דברי et porro pro יהקידה lege יהודה.

P. 10. l. 3. *illud opus diversum esse* lege *illud opus haud diversum esse.*

in notis l. 4. *se* lege *si.*

P. 12. l. 3. *ensules* — *exsules.*

l. 4. *Mosaiae* — *Mosaicae.*

l. 19. *eos adeoque* — *eosque adeo.*

P. 13. l. 2. *quin* — *quam.*

l. 4. *exspectavisset* — *exspectavisses.*

P. 14. in nota l. 1. *extinctum usque regnum conservarunt* lege *exstinctum usque regnum.*

l. 2. *adjectus* lege *adjutus.*

P. 18. l. 24. *contraxerant* — *contraxerat.*

VII.

P. 20. l. 19. *Invenimus* cet. De regno scisso post Saulum mortuum legi merentur, quae annotavit auctor libri, plus semel citati, *Erläuterung cet.* § 69, *p.* 107 *seqq.*

P. 24. l. 5. *ut vocant* lege *quod vocant* et sic etiam alibi.
P. 28. l. 3. *exstendebant* — *extendebant.*
P. 29. l. 1. *praetera* — *praeterea* et *Hebon* lege *Hesbon.*
P. 30. l. 4. *iis redundaverint* — *in eos redundaverint*; etiam alibi.
l. 24. *perspicuitate* — *perspicacia*; item infra.
P. 34. l. 12. *Nasiensibus* — *Nafisiensibus.*
l. 16. *Cananaeeis* — *Cananaeis.*
P. 35. l. 13. *deserto, corac-* — *deserto, et cora-* et in. seq. lin. pro *hus* lege *chus.*
l. 22. *foret* — *futura erat.*
P. 36. l. 1. *possent* — *poterant.*
l. 5. *in bella ut nonnumquam erupit* lege *in bella nonnumquam erupit.*
P. 40. l. 14. *passum* lege *passum est.*
P. 43. l. 8. *Mediteraneum.* — *Mediterraneum.*
in nota 1. l. 2. *Paneam.* — *Paneadem.*
P. 45. l. 15. *et flumen ubique latissimum* deleatur.
l. 17. *poterat* lege *poterant.*
P. 49. l. 10. *Palestina* — *Palaestina.*
P. 53. l. 18. *ex quo–regia* — *ex quo ipse et cum eo omnium inprimis tribus regia lucra maxima fecit.*
l. 20. *clara sunt; documenta* lege *clara sunt documenta.*
P. 56. l. 12. *permagnam* lege *permagnum.*

P. 59. l. 5. *loca pecoribus pascendis aptissima.* Non tantum propterea hi tractus Judaeis maximi erant momenti, verum etiam fortasse propter terrae fertilitatem, cujus vestigia etiam nunc supersunt. Hoc probavit L. Reynier (*histoire*

de l'économie politique et rurale des Arabes et des Juifs. Gen. 1820.) Cf. *Bibliothèque universelle. XV. p.* 219. Id tantum dubio est obnoxium, utrum haec ad ea, de quibus loquimur, tempora referenda sint, nec ne. Probabile tamen est, haec loca tunc maxime propter majorem incolarum numerum laetiora fuisse, quam hodie sunt.

P. 60 l. 16. *Levitarum, qui omnes* cet. Conjiciunt nonnulli ex Ezech. XLIV, 10 : fuisse etiam Levitas, qui vitulorum cultui adhaeserint, eosque igitur in regnum Judae se non recepisse. Iidem ex ℣. 15 probare conantur, familiam Ithamaris, repulsam, quam Abjatharus a Salomone passus erat, indigne ferentem, illorum vestigia pressisse (Cf. *Cl. v. d. Palm ad locum priorem et Leydekker de statu reip. Hebr. II fol. p.* 5.) Eo probabilior est haec sententia, quoniam omnes in regno Judae Pontifices Maximi orti fuisse videntur ex stirpe Eleazaris. Hi autem serie non interrupta sibi invicem successerunt, saltem si Judaeorum relationibus cum Josepho collatis fides habenda erit. (Cf. *Leydekker l. l. p.* 200.) Qua re probata, nihil magis confirmat ordinis Levitarum in regno Judae efficaciam, omniumque, pessimorum etiam regum, erga eum reverentiam.

Levitis adde *Nethinaeos*, quorum magna fuit multitudo. Hi enim non solum orti erant ex antiquo Gibeonitarum genere, verum etiam in ipsorum numerum relati erant servi dedititii, quos Davides et Salomo Levitis adjunxerant, ut hos in sacro ministerio juvarent (Vid. Esra II : 58, VIII : 20; Nehem. VII : 60, XI : 3.). Neque tamen, quamvis in historia Regum et Chronicis de his silentium est, dubitamus, quin Nethinaei tunc temporis et deinceps exstiterint : cum ex locis all. et insuper ex Esra II : 43; Nehem. III : 31, XI : 21 constet, hos in Babyloniam quoque delatos, post exsilium ad munera sua esse reversos (Cf. *Leydekker l. l. p.* 200.).

P. 61.	l.	22.	*Arabum impetus*	lege	*Arabum' impetui.*
P. 62.	l.	3.	*Excercitus*	—	*exercitus ;* item infra.
	l.	7.	*in cujus historia*	—	*cujus rei in historia.*
P. 63.	l.	10.	*ad civitatum formam*	—	*in civitatum formam.*
P. 64.	l.	5.	*iis auxilia*	—	*iis auxiliari.*
P. 66.	l.	10.	*recuperae*	—	*recuperasse.*
P. 69.	l.	12.	*scriptore*	—	*scriptores.*
P. 71.	l.	6.	*e habita ratione, de regia*	lege	*et regiae habita ratione de.*
P. 73.	l.	5.	*Mevis*	lege	*Mnevis.*

P. 73. l. 7. *Sub quorum* cet. Fatendum quidem est, ut diximus p. 79, hunc cultum facile in idololatriam abire potuisse. Non tamen hoc fuit consilium Jerobeami, eorumque regum, qui ad regni usque eversionem eum secuti sunt, et haec sacra receperunt. Quod apparet 1) ex sacris retentis et mutatis: v. c. Sabbathis, Neomeniis, festis, sacrificiis. 2) Ex Prophetarum increpationibus, qui saepius Israelitas arguunt, quod Deum non justa ratione colant et vitulorum cultum a cultu idolorum diserte distinguunt: v. c. Elias 1. Reg. XVIII : 21. Imo Hoseas introduxit illos, in summis periculis ad Deum clamantes: *Nos, Israelitae, te cognoscimus* (VIII. 2.). Jurasse etiam videntur per Jehovam (IV 15.), quamquam et hoc interdum degeneravit in jusjurandum per vitulos (Amos. VIII. 14.). 3) Plerique reges, qui vitulos coluerunt, more Hebraeis proprio, filiis tamen suis nomina dederunt, quibus nomen Jehovae insertum erat. 4) Probabile est, sacerdotem, a rege Assyrio missum, qui Israelitas, aliasque in ipsorum patriam traductas gentes antiqua ejus regionis sacra edoceret, vitulorum cultum rursus introduxisse, quoniam Bethele habitabat et sacerdotibus, qui antea horum sacrorum antistites fuerant, annumerabatur. Dicitur autem is populum docuisse, *quomodo Israelitae Jehovam reveriti essent*

(2 Reg. XVII. 28.). Ex hoc Jerobeami et eorum, qui eum secuti sunt, regum consilio optime explicari potest, quam ob rem reges nonnulli Prophetarum iidem fautores nonnunquam fuerint vel eos venerati sint. Quemadmodum igitur Aegyptii Isidem et Osiridem, sub Mnevis et Apidis specie latentes, ita Israelitae Jehovam sub vitulorum symbolo coluerunt.

P. 73. l. 21. *Be* lege *Beth* et in seq. lin. pro *thel* lege *el.*

P. 74. l. 12. *ut* — *ne.*

l. 13. *Vitulorum cultus.* Apud Israelitas in horum cultum etiam receptus fuisse videtur *osculandi ritus*, qui in idolorum sacris vulgo observatur; cf. Hos. XIII. 2. De sacrificiis vid. Amos. IV. 4, 5. De cantu sacro ibid. VIII. 3, 10.

P. 75. l. 8. *notam* lege *notum.*

P. 75. Ad usum τῶν Theraphim fortasse respiciat etiam Hoseas IV. 12, si verba hac ratione explicemus: *populus meus consulit lignum suum*, (id est Theraphim) *et baculus* (vaticinans) *ipsi responsa dat;* cf. cl. Rosenmüll. ad h. l. Hunc vaticinandi ritum orientalibus communem fuisse, videmus ex Ezech. XXI. 26 (21), ubi Nebucadnezarus τοῖς Theraphim usus fuisse fingitur; cf. cl. v. d. Palm et Rosenm. ad. h. l. Causis, quare Jerobeamus facilius haec sacra populo probare potuerit, etiam hoc annumerari possit, quod ipsi fortasse et populo inprimis cognitum fuerit, Mosen nonnulla ab Aegyptiis recepisse, suisque ritibus, quibus externum religionis splendorem ornaret, accommodasse. Sic, ut de aliis taceamus, ornamenta Pontificis Maximi apud Hebraeos maxime conveniunt cum ornamentis supremi Aegyptiorum sacrorum antistitis. Cf. *Aelian.* V. H. XIV. 34 cit. ab auctore libri *Erläuterung, p.* 50 et *Larcher ad Herod. II.* 37.

P. 76. l. 20. *unanimi* lege *unanimo.*
P. 77. l. 3. *inducta* — *introducta.*
in nota 1. l. ויציץ — ויעץ.
P. 84. l. 13. *ad morae resistendum* lege *ad morum corruptelae resistendum.*
P. 86. Quae §. XIII. prolata sunt de praestantia legis Mos. maximam partem debeo dictatis cl. V. v. d. Palm in Ant. Hebr.; cujus sermo elegans mihi adhibendus erat ad rem maximi momenti digne illustrandam. Nonnulla de eadem quaestione etiam prostant in libro l. *Erläuterung.* § 41. *p.* 54 *seqq.*
P. 94. l. 18. *Atque talis* cet. Hac fere ratione verba Herderi vertit cl. v. d. Palm in dictatis laud.
P. 107. l. 19. *Jam enim alii.* Ordinem *Naziraeorum* etiam in regno Israelis exstitisse, liquet ex Amos. II. 12, unde videmus, quanti eos fecerint Israelitae. Hi procul dubio verum Jehovae cultum una cum Prophetis sequebantur.
P. 115. l. 3. *possit* lege *posset.*
P. 116. l. 4. *ut hi* — *ut his.*
P. 117. l. 18. *Josadae* — *Jojadae.*
P. 118. l. 24. *pacis* — *pacem*
P. 123. l. 1. *Conspicias* cet. Jeremias (VIII 18.) ut ferventem, quo omnes his temporibus in deorum exterorum cultum ferebantur, ardorem notaret, h. l. sacrificii idololatrici apparatum, omniumque omnis aetatis omnisque ordinis ad hoc instituendum festinationem eleganter depinxit. Mentionem etiam injecit placentarum, quibus forte impressa erat imago Lunae. Utitur nempe voce, cujus vera significatio adhuc latet; cf. *Bielii Thes. phil. crit. a Schleusnero ed. in voce χαὐὼν et cl. v. d. Palm ad l. l.* Columnas, in honorem solis exstructas, Ezechiel memorat (VI. 4, 6.). Sed omnium, quae legatur, dignissima est

descriptio templi, quod ubique idolorum cultu contaminatum erat (ibid. VIII; vide etiam XVI. 20 seqq. et cl. v. d. Palm ad hh. ll.). Ubi sacrorum Aegyptiorum et Syrorum rituum, qui a Judaeis recepti erant, pulchra eademque tristis tabula exhibetur.

P. 126. l. 2. *agnoscere; occisoque* lege *agnosceretur. Occiso*
P. 128. in שר מחזיב lege שור מחזית.
P. 130. l. 22. *posterum* — *in posterum.*
P. 131. l. 12. *praeparata* — *praeparatus.*
l. 19. *Judaeis* — *Judaei.*
P. 133. l. 6. *filios quibus exequendis* lege *quibus exsequendis filios.*
l. 9. *videtur. Regum* lege *videtur Regum.*
P. 138. l. 5. *nonnunquam regibus* — *nonnumquam tum regibus.*
P. 140. l. 21. *retinuisse optimi* — *retinuisse : optimi.*
l. 22. *videtur* — *videntur.*
P. 141. l. 8. *Husa* — *Husai.*
l. 23. *celebrabantur* — *celebrabatur.*
P. 145. l. 19. *vindicarunt. Pontificis* lege *vindicarunt Pontificis.*
P. 147. l. 16. *oppositis* lege *appositis.*
P. 152. l. 12, 13. *et Abiae — agitati* lege *Abia fortibus exercitibus, patriae amore et fanatico religionis furore agitatis, bellum spirantibus.*
P. 155. l. 5. *Non alio consilio* cet. De hoc bello, Amaziam inter et Joasum gesto, pluribus exposuit cl. v. d. Palm. *Byb. v. d. Jeugd.* XIV. p. 67 seqq.
P. 160. l. 13. *proelia gessit, ingloria* lege *proelia gessit ingloria.*
P. 161. l. 19. *discordiae foverat* lege *discordias foverat.*
P. 164. l. 2. *ad Samariae scelera* — *ad ista scelera.*
l. 3. *eorum regionem Geleaditicam* lege *regionem Gileaditicam.*
P. 165. l. 2. *tamen socios* lege *hos tamen socios.*

P. 171. l. 5. *Vehementissime* cet. Quam parum solliciti fuerint Judaei his temporibus de hostium impetu, quam tuta et secura ipsis visa sit resp. media inter summa pericula, quantopere denique Prophetas, de excidio Hierosolymorum vaticinantes, irriserint, optime ex horum scriptis cognoscitur. Huc etiam spectat proverbium, tunc temporis plerisque adhibitum, Ezech. XII. 22; cf. cl. Rosenm. ad h. l.

P. 172. l. 8. *vita est, cum* lege *vita est, tum.*

P. 173. l. 23. *cum aliis populus* — *cum aliis populis.*

P. 175. l. 12. *Catervarum* cet. Notatu dignus est locus Jerem. XLI. 17, ubi mentio fit diversorii, quod a Cimhamo nomen habet, et a filio Bazzillaii, ut cl. v. d. Palm ad h. l. conjecit, forte conditum erat. Alii vulgo vertunt *Geruthcimham*, ac si esset nomen proprium loci cujusdam. Priore vero interpretatione recepta, probabile videtur, catervas Bethlehemum etiam transiisse, quae iter dein in Aegyptum flectebant, vel exinde veniebant. Aegyptios hac aetate Balsamum Gileaditicum ipsos ex Judae tractibus deduxisse conjicere licet ex Jerem. XLVI. 11. coll. VIII. 22.

P. 176. l. 20. *dromadas* lege *dromades.*

P. 179. l. 21. *Aetate Jerobeami* cet. De moribus corruptis hoc tempore cf. cl. v. d. Palm *Byb. v. d. Jeugd ll. p.* 95 *seqq.* De eorum conditione sub finem regni *ibid. p.* 158 *seq.* De luxu Jes. IX. 9. Amos. III. 15. V. 11. VI. 4. Quod ad Judaeos attinet cl. v. d. Palm ad Ezech. XVI. 15 seqq. De parietum ornamentis et picturis ibid. XXIII. 14, 15. Egregie Jesajas (III. 16 seqq.) splendidum mulieris ornamentum depinxit; cf. Jer. Thren. IV. 2, 5.

P. 190. in nota 2. בגרח lege בגרת.

P. 194. l. 11. *haec universa* — *haec universe.*

P. 196. l. 20. *Propter aquae inopiam* cet. Cum hac aquarum colluvione forte comparari possunt, quae Bar Hebraeus retulit in Chronico Syriaco p. 194. Aegyptii enim, qui Meccam profecti erant, quum in valle quadam, ubi a longo inde tempore aqua non fluxerat, pernoctarent, torrens de improviso castra eorum suffudit. Quo facto tam vehementer aquae impellebantur, ut cuncta undis abriperentur omnesque perirent.

P. 199. l. 9. *a Tiglath-Pilezare Pecacho, Israelitarum regi, ereptos,* lege *sub Tiglath-Pilezare, Pekacho, Israelitarum regi, ereptos.*

P. 199. l. 15. *Itaque Judaeis* cet. Potentiam regni Moabitici summopere celebrant Jesajas (XV et XVI) et Jeremias (XLVIII, ubi inprimis vid. ✝. 17.)

P. 201. l. 9 et 14. *Nanas* lege *Nakas.*

P. 205. l. 20. *Trogloditae* — *Troglodytae.*

l. 19. *Seichicorum* — *Seiriticorum.*

P. 210. l. 21. *Sebam* — *Selam.*

P. 211. l. 12. *Joelus,* QUI, EDOM, *inquit,* lege *Joëlus;* EDOM, *inquit.*

P. 212. l. 18. Cf. in hanc rem etiam Jer. Thren. IV. 21, 22.

P. 214. l. 1. *Philitaeorum* lege *Philistaeorum.*

P. 215. l. 5. *iterum.* — *ut iterum.*

P. 217. l. 8. *Phoenicibus* — *cum Phoenicibus.*

l. 11. *res gestae horum obscuraverunt* lege *res gestae Phoenicum horum famam maximam partem forte obscuraverunt.*

l. 22. BAAL lege BAAL *superest.*

in nota 3. נגוב — זגוב.

P. 219. l. 11. Confirmantur, quae h. l. dicta sunt ex Jer. XXV. 20. H. l. inter alias Philistaeorum urbes, etiam *Aschdod* memoratur, urbs nempe, quae superstes erat.

P. 220. l. 1. *cujus rei* — *cui rei.*

in nota priore (6) — (1).

P. 222. in nota 2. l. 2. *ρέμηνευόμενον* lege *ἑρμηνευόμενον*.
P. 223. l. 4. *subtraxisse* lege *se subtraxisse*.
P. 225. Inter ea, quae § XXXII et seqq. diximus, nonnulla desumta sunt ex dictatis MSS. cl. Peerlkampii in Hist. Ant.
P. 234. l. 9. *Tharsichsch* lege *Tharschisch*.
P. 235. l. 1. *Cum his* cet. Est haec Hamakeri, viri cl., sententia, quam aliquando in scholis proposuit.
in nota 3. מלף lege מלך.
P. 236. l. 22. *Omnibus* cet. Hujus societatis vestigia Phoenices inter eorumque colonias animadvertimus, Jer. XXV. 18 seqq. Ubi inter Reges, qui Hierosolyma legatos miserant ad foedus contra Chaldaeos ineundum, etiam recensentur ℣. 22, reges Tyri, Sidonis et *orarum maritimarum*, quo nomine colonias intelligi, apertum est; cf. *Gesenius Wörterbuch in voce* אִי *p.* 33.
P. 237. l. 11. *pretiosissimis inhiantes, summum rebus bonum* lege *pretiosissimis rebus inhiantes, summum bonum*.
P. 242. l. 1. *subtili confecta* lege *subtiliter confecta*.
P. 252. l. 7. *Neque insoluta erat* — *Neque insolita erat*.
l. 12. *Hujusmodi virum*. — *Hujusmodi vicum*.
in nota 2. חנות — חוות.
P. 253. l. 2. *Regum quidem scriptor tamen* lege *Regum tamen scriptor*.
l. 21. *Naami* lege *Naämani*.
P. 254. l. 1. *tantam* — *tantum*.
P. 255. in nota 2. לחץ — לחץ.
P. 258. l. 14. *quiocunque rumperent* lege *quocunque irrumperent*.
P. 263. l. 10. *quam Metropoleos eos nomine* lege *quam Metropoleos nomine*.
l. 14. *Arabiae Aethiopiae* lege *Arabiae et Aethiopiae*.
P. 265. in nota 2. l. 1. *adjecto* lege *adjecta*.
P. 266. in nota 1. l. 1. *comparamus* lege *comparantes*.

P. 269. in nota 1. הגרול lege הגדולה.
in nota 2. גרו להל אלוהים — גדולה לאלוהים.
P. 270. l. 2. *nihil certe* lege *nihil certi.*
P. 276. l. 12. *tamen virtute* — *virtute tamen.*
P. 277. Quae de Aegyptiis dicta sunt, inprimis de Sesostride, maximam partem facile nunc refutari possunt. Nuperrime enim innotuit egregium opus Champollionis, viri sagacissimi, qui rationem assecutus est, qua legenda sunt monumenta hieroglyphica. Itaque, his lectis, certum est, Sesostridem referendum esse ad tempora, multo remotiora. Quem vero Sisacum vocant Hebraei, est Sesonchosis, vel Sesonchis princeps dynastiae vigesimae secundae.
P. 280. l. 18. *Saltem Jerobeamus* cet. Versio Graeca ex editione Sixti Papae, et editione Aldina, nonnulla subjungit ad 1. Reg. XII., quae in codice Hebraeo non exstant, vel alio loco leguntur. Ex priori genere sunt sequentia *καὶ ἤκουσεν Ἱεροβοὰμ ἐν Αἰγύπτῳ ὅτι τέθνηκε Σαλωμὼν, καὶ ἐλάλησεν εἰς τὰ ὦτα. Σουσακὶμ βασιλέος Αἰγύπτου, λέγων, Ἐξαπόστειλόν με, καὶ ἀπελεύσομαι εἰς τὴν γῆν μου. Καὶ εἶπεν αὐτῷ Σουσακὶμ, Αἴτησαί τι αἴτημα, καὶ δώσω σοι. καὶ Σουσακὶμ ἔδωκε τῷ Ἱεροβοὰμ τὴν Ἀνὼ ἀδελφὴν Θεκεμίνας τὴν πρεσβυτέραν τῆς γυναικὸς αὐτοῦ αὐτῷ εἰς γυναῖκα. καὶ αὕτη ἦν μεγάλη ἐν μέσῳ τῶν θυγατέρων τοῦ βασιλέως, καὶ ἔτεκε τῷ Ἱεροβοὰμ τὸν Ἀβιὰ υἱὸν αὐτοῦ. καὶ εἶπεν Ἱεροβοὰμ πρὸς Σουσακὶμ, Ὄντως ἐξαπόστειλόν με, καὶ ἀπελεύσομαι. καὶ ἐξῆλθεν Ἱεροβοὰμ ἐξ Αἰγύπτου, καὶ ἦλθεν εἰς γῆν Σαριρὰ τὴν ἐν ὄρει Ἐφραῒμ καὶ συνάγεται ἐκεῖ πᾶν σκῆπτρον Ἐφραΐμ.* His si fides habenda sit, multum facit ad foedus Israelitas inter et Aegyptios magis explicandum.
P. 288. l. 20. *spontatas* lege *asportatas.*

P. 289.	l. 11. *niteriit*	lege	*interiit.*
	l. 18. *Horum regum*	—	*Horum regnum.*
	l. 21. *Mercaturae*	—	*Mercatura.*
P. 292.	l. 13. *tantum*	—	*tanquam.*
P. 299.	l. 17. *ipsum*	—	*ipsam.*
P. 302.	l. 27. *obrutae*	—	*obrutas.*
P. 303.	l. 21. *Historia Prag.*	—	*Historia Pragm.*

XIV.

PHILIPPI BERNARD

COMMENTATIO

AD

QUAESTIONEM LITERARIAM.

PHILIPPI BERNARD

ARLUNENSIS

PHILOSOPHIAE ET LITERARUM IN ACADEMIA LOVANIENSI STUDIOSI

COMMENTATIO

AD QUAESTIONEM AB ORDINE PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM PROPOSITAM:

Exhibeatur Commentatio Historico-Critica de Archontibus Reipublicae Atheniensis.

QUAE PRAEMIO ORNATA EST.

Aggrediar, non tam perficiendi spe, quam experiundi voluntate.

CICERO *Oratore* cap. I.

PROOEMIUM.

Quoniam a plerisque, qui aliquid in lucem proferunt, sic fieri solet, ut, priusquam rem ipsam aggrediantur, consilium suum declarare studeant, hanc viam et ipse secutus, breviter, et quoad ejus fieri poterit, dilucide propositum argumentum exponere conabor. Neque vero, ut hoc in antecessum moneam, eum ego me esse profiteor, qui exquisitâ sermonis elegantiâ illud pertractare et exhaustis omnibus antiquorum scriptorum fontibus, suis numeris absolvere et perspicue explicare possim. Id unum in tractando illo spectavi, ut docerem, qua caussâ, quove consilio Athenienses libertatis dignitate aucti sint, quo praesidio, quibusve opibus haec tanta mutatio processerit, quis denique in republica secutus sit ejus mutationis fructus, ut universi operis ratio constet et rem non tam laudare videar quam exponere. Illud autem recte commodeque a nobis fieri videtur, si totam de Archontibus quaestionem in praecipuas quasdam Epochas distribuamus,

ut facilius queat investigari, quonam tempore populare illud imperium, cujus jam antiquissimis temporibus vestigia repe- riuntur, quodque magis usque deinceps crevit, ortum sit, quibus tandem rationibus auctum et amplificatum; nec gradum sistamus, donec illud ad summum fastigium evectum invenerimus.

Ac prima quidem Epocha se nobis offert in Theseo, qui, si veterum scriptorum testimoniis fidem habemus, prima popularis potestatis fundamenta posuit. Unde factum est, ut ejus constitutio Democratia quoque diceretur. Duodecim enim Atticae oppidorum, a Cecrope fundatorum, incolis unius urbis civitatisque vinculo conjunctis senatuque (Βουλευτηρίῳ), quod prius in unoquoque illorum oppidorum erat, Athenis collocato (1), populum universum, in tres divisit ordines, Εὐπατρίδας, Γεωμόρους et Δημιουργούς, ita tamen, ut soli Patricii ad munera publica et sacerdotia obeunda apti fuisse viderentur. Πρῶτος ἀποκρίνας χωρὶς Εὐπατρίδας καὶ Γεωμόρους καὶ Δημιουργούς. Εὐπατρίδαις μὲν γινώσκειν τὰ θεῖα, καὶ παρέχειν ἄρχοντας ἀποδοὺς, καὶ νόμων διδασκάλους εἶναι, καὶ ὁσίων καὶ ἱερῶν ἐξηγητάς (2).

Quae ita constituta permanserunt, regibus summam rei

(1) Cf. Corsini Fast. Att. Tom. I. Diss. V. p. 189 sqq. Sigonius De Rep. Ath. Lib. I. c. 1.

(2) Plutarch. Thes. c. 25. Plato Tim. p. 24. A. Diodor. Sic. I. 28. Petitus Legg. Att. Lib. II. Tit. III. p. 200 sqq.

tenentibus, usque ad Codrum, ultimum Athenarum regem. Quo mortuo reges Athenis esse desierunt et suprema in re publica potestas Archontibus commissa est. Primus itaque eorum electus est Medon, Codri filius; indeque summam rerum administrabant singuli Archontes ex una Codridarum vel Medontidarum gente, perpetuo, quoad viverent, et hereditario magistratu functi. Atque hinc sane est quod hanc regiminis mutationem nulla vi nulloque impetu, ut verisimile est, factam, prius jam vigenti democratiae principio tribuamus.

Ceterum inter utrumque, regem et Archontem, nulla alia intercedebat differentia, nisi quod Archon rationi reddendae adstrictus esset (3). Et haec altera erit nobis Epocha. Videamus nunc quae deinceps secuta sint.

Ne quando vero summa illa ac perpetua potestas damnum rei publicae et perniciem afferret, decretum est, annorum CCCXVI intervallo praeterlapso, decennale ex perpetuo instituere imperium, ita tamen, ut apud Codridarum gentem illud remaneret. Sed postea propter Hippomenis crudelitatem illi genti ademtum et in ceteros Eupatridas translatum est (4). Erant

(3) Est haec quae vocatur εὐθύνη. PAUSANIAS IV, 13, 5. Τοὺς γὰρ ἀπὸ Μελάνθου, καλουμένους δὲ Μεδοντίδας, κατ' ἀρχὰς μὲν ἀφείλοντο ὁ δῆμος τῆς ἐξουσίας τὸ πολὺ καὶ ἀντὶ βασιλείας — μετέστησαν εἰς ἀρχὴν ὑπεύθυνον. Coll. ibid. 5, 4.

(4) Vid. SUID. Voc. Ἱππομένης et παρ' ἵππον καὶ κόρην. TAYLOR ad AESCHIN. in *Timarch.* p. 176. Reisk. HERACLID. PONTIC. De Reb. Publ. I. p. 3. ed. Koeler. MEURSIUS De Arch. Athen. Lib. I. c. 6.

autem hi Archontes, aeque ac priores, potestate paene regiâ (5), rationi tamen reddendae obnoxii (6), quae, quomodo repetita sit, nescimus. Neque magis liquet, quomodo sint creati, nisi id quidem suspicari licet, non populi universi, sed patriciorum tantum suffragiis electos esse.

Hac jam tertia Epochâ constitutâ, transeamus ad quartam, in qua annuos Archontes, et novenos quidem, e patriciis creatos, invenimus (7). Nunc autem ad id temporis punctum pervenimus, ubi summa rerum potestas, praeter judicia, a populo in comitiis exercebatur, quem prius etiam aliquid auctoritatis habuisse, patet ex eo, quod ejus operâ ac voluntate factum est (8), ut priores illi Archontes immutarentur. Constat enim, Solone etiam juvene populum, in comitiis congregatum, de bello et pace cum Megarensibus statuisse, ab eoque poenâ capitali sancitum esse, ne unquam de vindicandâ insulâ Salaminâ verba in populo fierent. Ἐπεὶ μακρόν τινα, inquit Plutarchus (9), καὶ δυσχερῆ πόλεμον οἱ ἐν ἄστει περὶ τῆς Σαλαμινίων

(5) Unde et ipsi βασιλεῖς dicuntur. Vid. Perizon. ad Aelian. V. H. V. 13. T. I. pag. 319. ed. Kuehn.

(6) Pausan. l. l. Corsinus Fast. Att. Dissert. I. p. 4.

(7) Euseb. Chron. p. 155. Ἄρχοντες ἐνιαυσιαῖοι ᾑρέθησαν ἐξ Εὐπατριδῶν. coll. Perizonio ad Aelian. l. l. et ad VIII. 10, T. I. p. 413.

(8) Pausan. IV. 5. 4.

(9) Solone c. 8. Cf. Diogen. Laert. I. 46. Justinus II. 7. Polyaenus I. 20. 1.

νήσȣ Μεγαρεῦσι πολεμῦντες ἐξέκαμον, καὶ νόμον ἔθεντο, μήτε γράψαι τινά, μήτ' εἰπεῖν αὖθις, ὡς χρὴ τὴν πόλιν ἀντιποιεῖσθαι τῆς Σαλαμῖνος, ἢ θανάτῳ ζημιοῦσθαι. Et in Cyloniâ seditione exponendâ Thucydides refert, custodiam arcis novem Archontibus a populo commissam, et potestatem in ea re pro suo arbitratu agendi concessam fuisse (10); sed mirum sane est, eandem rem Areopago tribui ab Aristophanis Scholiasta (11), et ab Herodoto (12) Prytanibus Naucrarorum, quos tum temporis rei publicae praefuisse affirmat.

Deinceps autem videbimus Φυλὰς et δήμους (antea Naucrarias) cum suis Προστάταις majorem antiquioribus temporibus in comitiis rerum publicarum administrandarum potestatem habuisse quam postea; et Herodoti sententiae addemus locum illum Plutarcheum (13), ubi is de pristinâ Prytanum, qui cum Areopagitis et Ephetis nominantur, jurisdictione loquitur; denique judicium ἐν Πρυτανείῳ etiam in subsidium vocamus: quibus rebus efficitur, ut nihil ad hoc judicium pertinere illud Prytaneum (ἐπὶ Πρυτανείῳ), ab hisque Prytanibus diversos illos fuisse putemus. — Sed hanc qualemcunque inter scriptores illos dissentionem postea accuratius investigabimus, cum de

(10) Thucyd. I. 126.
(11) Ad Equites v. 443.
(12) V. 71. ubi vid. Valckenarius.
(13) Solone c. 19.

novem Archontibus peculiari capite agemus: res enim majoris est disputationis, quam quae huic loco congruat. Ceterum illud in comperto est, eam custodiam a populo datam esse, hujusque potentiam, magis magisque in dies crescentem, tandem Solonis Pisistratique temporibus ad summum fastigium pervenisse. Sic Solon demagogus appellatur (14), et Pisistradidarum dominatio per democratiam constituta ac firmata perhibetur (15). Memoriae quoque proditum est, Pisistrato ad corporis sui custodiam satellites esse a populo datos (16), quem tamen vi et necessitate ad id concedendum coactum fuisse, colligere possumus ex eo, quod Graeci ab hac re plane abhorrebant, et tyranni ad sua ipsorum corpora custodienda et conservanda satellites assumere solebant (17). Sed quidquid ejus sit, constat, Archontes non minus atque alios magistratus, majori ante quam post Solonis aetatem auctoritate fuisse praeditos. Thucydides enim ait, eos tum temporis plerasque rei publicae partes administrasse (18). Etenim jus ipsi dicebant sine consilio judicum assessorumve e populo electorum, non quidem in unum collegium coacti, sed pro se quisque, et de

(14) Schol. ad Demosthenis Orat. I. Adv. Stephan. p. 1127. 20. T. II. p. 111, Reisk.

(15) Aristot. Polit. V. 5. p. 236. D. V. 10. p. 242. D. Diogen. Laert. I. 66. Photius Voce Ἵππαρχος.

(16) Herod. I. 59. Plutarch. Sol. c. 30. Just. II. 8. Aelian. VIII. 16. Polyaenus I. 23. 3.

(17) Aristot. Polit. III. 15. p. 215. G. V. 10. p. 242. F. G.

(18) I. 126. Τότε δὲ τὰ πολλὰ τῶν πολιτικῶν οἱ ἐννέα Ἄρχοντες ἔπρασσον.

rebus ad munus suum spectantibus, idque obtinuit usque, donec rerum capitalium caussae Ephetis a Dracone commissae populique judicia a Solone instituta essent (19). Hanc autem quintam Epocham instituimus.

Nunc vero novem Archontum potestatem multum imminutam esse, sua quisque sponte intelligit. Ut quisque enim maxime popularis est rerum status, ita, imminutâ magistratuum auctoritate, latissime patet universorum potestas. Atque hoc evenisse videmus in Atheniensium re publicâ, ubi populare imperium, ex regio ac dein optimatium paullatim exortum, tantum, procedente tempore, crevit, ut omni optimorum auctoritate ordinumque discrimine sublato, immoderata illa plebis dominatio, tyrannidi quam libertati similior, sua se ipsa vehementia, suisque vitiis labefactaret et subrueret, atque postremo una clade perculsam rem publicam hostium jugum subire cogeret.

At horum omnium tractatio quum tam late pateat, ut praefationis spatio includi minime possit, eo illam duxi esse reservandam, ubi de singulis accuratius exponetur. Quare autem

(19) Suid. Voc. Ἄρχων. Bekkeri Anecd. Gr. T. I. p. 449. Pollux VIII. 125. coll. Aristot. Polit. II. 12. p. 201. E. Plutarch. Solon. c. 18. et Compar. Solonis cum Publicola c. 2. Petitus Legg. Att. Lib. IV. Tit. I. p. 392. sq.

illam in Epochas distributionem potius quam aliam sequendam putaverim, ex iis quae leviter modo adumbravi ultro apparet.

Sed supervacaneum fortasse illud videbitur quibusdam, me ad instituendam de Archontibus quaestionem in Thesei tempora inquirere. Qui cum reputaverint, ea cum Archontum institutione connexa quodammodo et conjuncta esse, nihil sane habebunt, quod amplius mirentur. Ita autem fieri necessario oportet, ut quidquid perscrutemur, ejus primam originem adeamus, adeoque antecedentia investigemus, quo magis rerum caussas rationesque cognitas atque perspectas habeamus, et naturali quodam gradu, si fieri possit, et incessu ad ipsum rei argumentum deducamur. Verum non ita a Theseo initium mihi faciendum esse duxi, ut universam ejus historiam complecterer; quae res sane, praeterquam quod antiquiorum temporum tenebris est involuta, longe meas vires superat, neque quidquam ad meum propositum attinet. Id unum itaque agam, ut Thesei constitutio quam brevissime quidem, sed accurate a me describatur. Eam enim cum Archontum institione cohaerere vel hinc patet quod popularis potestas a Theseo initium duxit. Quamquam ante ipsius etiam aetatem quaedam jam libertatis popularis vestigia inveniuntur. Qua de re breviter quaedam hic videntur esse praemonenda.

Initio Athenae, ut reliquae omnes Graeciae civitates, sub

regum imperio fuere (20), cujus regiminis forma in Homericis maxime carminibus descripta exstat. Etenim illis temporibus reges et populi cum in moribus vitâque privatâ tum in publicis quoque negotiis aequales maxime fuisse videntur. Erat autem ubique jus regium maxime dubium, limitatum et populi auctoritate temperatum; nec regia illa constitutio (si quis eam sic vocare velit), firma nec constans, sed locorum et temporum, regum, quatenus magni pendebantur, populi quoque voluntatis, et necessitatis potissimum ratio habebatur. Nunc si quid populi consensu ac viribus agendum erat, concionem (ἀγορὰν) convocabant reges, et quid fieri aut a populo sibi praestari vellent, indicabant. Populus autem quandoque illorum auctoritatem secutus et obsequium suum acclamationibus testatus esse videtur (21). Et duplicis quidem generis reges antiquiorum temporum feruntur: sunt enim vel αἰσυμνῆται (22), qui legitimâ a civibus acceptâ potestate ad tempus tantum utebantur; vel tales, quales apud Homerum inveniuntur heroicae aetatis reges, qui foris imperatores, domi judices, summam rerum potestatem habe-

(20) Dionys. Halic. I. 46. Κατ᾽ ἀρχὰς ἅπασα πόλις Ἑλλὰς ἐβασιλεύετο. Aristot. Polit. I. 2. Pausan. Boeot. I. p. 712. Sigonius De Rep. Ath. Lib. I. cap. 1. init. Totam hanc rem egregie adumbravit Heerenius, *Ideen ueber die Politik, den Verkehr und den Handel der vornehmsten Voelker der alten Welt*, Part. III. p. 128, sqq.

(21) Iliad. II. 143. 334. 395. Odyss. III. 150.

(22) Dionys. Hal. V. 73. Alberti ad Hesych. in voce, Tom. I. p. 175.

bant (23). Si itaque, ut passim apud scriptores legimus, regibus judiciorum exercendorum potestas adscribitur, non est mirandum, eos rerum omnium publice gerendarum principes exstitisse; attamen non est quod credamus, universa judicia in eorum potestate posita iisque solis juris dicendi facultatem concessam fuisse. Etenim, quod ad eorum juris dictionem attinet, moneamus hic oportet, non semper, qui summo fuerint omnium rerum arbitrio, eos *βασιλεῖς* apud Homerum vocari, sed optimates potentioresque illo omnino nomine designari (24). Idem quoque de regibus illis, qui unâ congregati, judicia apud Hesiodum (25) exercent, et de *βασιλήων ἰθείῃσι δίκῃσιν* ibidem expositis (26) intelligendum. Neque minus desunt testimonia, quorum vi judices a regibus secernantur (27): neque illud hic omittendum est, ipsa regum commoda atque negotia in concione a regibus fuisse judicata. Quae quum ita sint, per se patet, nunc populum in concione infinitam habuisse potestatem, nunc reges qui eâ pro arbitratu uterentur, modo id sine populi auxilio possent. Auctoritas enim non aequabiliter inter utrumque, regem et populum, dispertita, sed indeterminata erat. Neque jus expolitum, sed mancum atque

(23) Aristot. Polit. III. 14. T. II. p. 214. C. D. E. Cas.

(24) V. c. Iliad. II. 86. 247. 250. Odyss. I. 247. 394. VI. 54. VIII. 40. 47. 390.

(25) Theogon. v. 434. Ἔστι δίκῃ βασιλεῦσι παρ' αἰδοίοισι καθίζει.

(26) Ibid. v. 84. sqq.

(27) Eustath. ad Iliad. I. 238. Quirini Primordia Corcyrae, 1738, p. 77.

imperfectum. Atque rei publicae gubernatio minus jure quam vi nitebatur. Unde regibus dira quaedam regnandi libido, populo vero contra regiam voluntatem vis effrenata. Ceterum, quoniam ex consilio nutuque populi, summam in comitiis potestatem habentis, reges pendebant, quippe quibus jus in concionibus a populo dicebatur, jam tum temporis manifesta democratiae vestigia in re publica reperiri haud obscure intelligitur. Verum rudioribus his temporibus rudius omnia fieri solebant, animisque nec compositis nec excultis aliquid indulgendum erat. Accedente quodam cultu, ut in omnibus civitatibus et inconditis moribus ad gradus quosdam disciplinae proceditur, temperandum erat quidquid nimium videbatur, invitatis et placide traductis ad rectiora animis, ut res publica non jam ex arbitratu, quod tyrannidis est, sed ex firmâ constitutione certisque ac stabilitis legibus regeretur. Quae res etsi posterioribus temporibus multum profecerit, fatendum tamen est, eam solius Thesei ingenio et diligentiâ fundatam esse et constitutam.

PARS PRIMA.

HISTORIA ARCHONTUM.

EPOCHA I.

THESEI CONSTITUTIO.

THESEUS itaque quum rebus praeclare gestis regnum Athenarum adeptus esset, populi libertatem dignitatemque ita omnibus suis commodis anteposuit, ut, suâ ipsius potestate imminutâ, formam regiminis in rem publicam introduceret et pristinâ stabiliorem et populo accommodatiorem (28). Cum autem XII Atticae oppida, a Cecrope fundata (29), quibus singulis sui principes et magistratus, nullius auctoritati subjecti omniaque suo arbitratu administrantes, erant, totidem res publicae factae et sibi quandoque adversatae essent; hinc factum est, ut saepius inter se armis belloque contenderent et contra ipsum etiam regem arma sumerent (30). Gravioribus vero calamitatibus exinde imminentibus, regis auxilium et praesidium studiose quaerebant et, tempestate denuo se-

(28) ISOCRATES Helenae Laudat. c. 17. p. 213. Cor.
(29) Eorum nomina traduntur a STRABONE. IX. p. 387.
(30) PLUTARCH. Thes. c. 24. THUCYD. II. 15.

datâ, inimicitiae mox renovabantur. Neque id secus evenire poterat. Regia enim auctoritas vel timebatur vel contemnebatur, neque populus, cui sua constitutio nec cognita nec perspecta erat, poterat nimiae servitutis aut nimiae libertatis vim atque impetum propulsare.

Ut igitur afflictis rebus quasi medicinam afferret, Theseus constituit, nullâ impedimentorum habitâ ratione, varias Atticae regiones peragrare, quo facilius se in populi consuetudinem insinuans, cogitata perficere posset (31). Et difficile quidem est dictu, quantum ejus consilium populo arriserit, quo scilicet pristinam suam libertatem recuperare videbatur; verum potentioribus non item, qui veriti, ne, aequabilitate inter se et populum stabilitâ, auctoritatis suae injuste occupatae jacturam facerent; honesto et probabili nomine regiam potestatem imminui conquerebantur. Neque tamen ausi sunt regis conatibus, rem persuasione magis quam vi assequi studentis, obstare, ejusque consilium assensu comprobarunt suo, sperantes fore ut, meliori occasione oblata, contestando denuntiarent.

His itaque oppidis in unam civitatem contractis statutum est, ut omnes eorum senatus abrogarentur communisque omnibus civibus senatus (*βουλευτήριον*), quemadmodum prius in

(31) Plura habent Jo. GILLIES, *History of ancient Grece, its colonies and conquests, etc.* cap. 2. et BARTHELEMY, *Introduction au voyage du Jeune Anacharsis* Part. I. cui pleraque historiae Thesei capita debemus.

quovis oppido erat, Athenis constitueretur (32). Et sic Theseus omnibus Atticae incolis unius urbis civitatisque vinculo conjunctis, rem publicam ab ipso quasi denuo conditam, legibus plurimis et institutis salubriter fundasse et ornasse dicitur. Sed ne Plutarcheus ille locus (33), quo primaria hujus senatus institutio Soloni adscribitur, quemadmodum Spartanorum γερουσίας Lycurgo (34), nos in errorem inducat. Jam enim inde ab antiquissimis temporibus senatum una cum regibus, id quod etiam Romae obtinuit (35), exstitisse non plane abhorret a verisimilitudine (36). Hinc sane est, quod senatum hunc a Solone instauratum potius quam institutum putemus. Ceterum his senatibus sublatis, caput rei publicae Athenis collocatum murorumque ambitus ita propagatus est, ut omnes incolae, qui prius oppida agrosque dispersi tenuerant neque commode ad communia tractanda convocari potuerant, in unam urbem redigerentur (37). Hic autem obiter monendum videtur, illorum oppidorum principes, omnia suo arbitratu, ut jam diximus, administrantes, Athenas ad regem haud ve-

(32) THUCYD. II. 15. PLUTARCH. Thes. c. 24.

(33) Solone c. 19. οἱ μὲν οὖν πλεῖστοι τὴν δ' Ἀρείου πάγου βουλὴν, ὥσπερ εἴρηται, Σόλωνα συστήσασθαί φασι, κ. τ. λ.

(34) HEROD. I. 65. PLUTARCH. Lycurg. c. 26.

(35) Cf. G. H. NIEUPORT, De Ritibus Romanorum, C. II. § 1.

(36) Huc etiam referenda est primitiva Areopagi judicii institutio. Cfr. MATTHIAE De Judiciis Atheniensium, in Misc. Philol. P. I. p. 147. SIGONIUS De Rep. Ath. Lib. I. cap. 3. init. et WICHERI VANSWINDEREN Commentatio De Senatu Areopagitico (Annal. Acad. Groning. 1818-1819.) p. 6. sq.

(37) THUCYD. l. l. DIODOR. SIC. IV. p. 264. STRABO. IX p. 275. CICERO De Legg. II. 2. VALER. MAXIMUS V. 3. extr.

nisse, nisi cum propter magnum aliquod et difficile negotium communi consilio et sociatis omnium viribus opus esse videretur (38).

Nunc autem haec omnium Atticae incolarum congregatio in unam urbem, in qua omnis imperii, magistratuum judiciorumque sedes collocata erat, ita, ut reliquae etiam regionis incolae non suorum quisque oppidorum, sed hujus unius urbis, quae ἄστυ καθ' ἐξοχήν vocabatur, cives essent et haberentur, ut firmissimum libertatis fundamentum apparet. In eo enim ponendo Theseus non tantum ad id animum attendisse videtur, ut eos in unum conferret, sed etiam, quod caput rei est, ut eos legum praesidio tectos a principum, magistratuum potentiorumve telis defenderet. Urbes sunt semperque fuerunt infirmioribus propugnacula. Sic posterioribus etiam temporibus servi in Thesei templo id adipiscebantur, ut aliis dominis venderentur, et primitus quoque infirmiores sub hac tutela inviolati, vim potentiorum effugiebant (39). Atque hinc explicandum est, quod Eupatridae dicuntur ab Etymologo οἱ αὐτὸ τὸ ἄστυ οἰκοῦντες, non quasi omnes urbem perpetuo incoluissent, sed quoniam nobilitatis suae jure perfrui non poterant, nisi in urbem se contulissent, atque idcirco multum temporis non ruri, sed Athenis versabantur : reliqui autem ordines operibus suis intenti ruri plerumque degebant, neque

(38) Thucyd. l. l. Plutarch. Thes. c. 24.

(39) *Philochorus* in Etymologico M. voce Θήσειον. Plutarch. Thes. c. 36. Aristophanis Fragm. apud Pollucem VII. 13. Phavorinus V. Θήσειον.

ad munera rei publicae obeunda Urbem frequentare necesse habebant.

His itaque rebus perfectis, Theseus populum universum in tres distribuit ordines (40), Εὐπατρίδας, Γεωμόρους et Δημιουργούς, quorum primi, non absimiles ab illis apud Homerum heroibus, dignitate, secundi usu, tertii multitudine praestare in civitate videbantur. Πρῶτος ἀποκρίνας, inquit PLUTARCHUS (41), χωρὶς Εὐπατρίδας καὶ Γεωμόρους καὶ Δημιουργούς· τοῖς ἄλλοις δὲ πολίταις ὥσπερ εἰς ἴσον κατέστησε, δόξῃ μὲν Εὐπατριδῶν, χρείᾳ δὲ Γεωμόρων, πλήθει δὲ τῶν Δημιουργῶν ὑπερέχειν δοκούντων.

Idque Theseus ad imitationem Aegyptiorum rei publicae fecisse videtur, apud quos etiam in tres ordines divisus erat populus (42). Quamquam suspicari quoque licet, eam distributionem, jam ante Thesei tempora, per Cecropis coloniam ex Aegypto in Graeciam esse translatam (43). Atque Eupatridas quidem eos fuisse, qui aut regio generi cognati aut stirpis vetustate et nobilitate clari essent, et ratio vincit et veterum scriptorum testimonia docent, qui eos fuisse dicunt

(40) JUL. POLLUX VIII. 111. Errant, qui classes has dicunt, ut PETITUS, L. A. II. 3. p. 201. Classes enim apud Romanos *censum*, ordines autem, ut Patriciorum et Plebejorum, *stirpem* sequuntur. Cfr. G. H. NIEUPORT De Ritibus Romanorum, C. VII. §. 1. C. IV. §. 2. Itaque rectius Eupatridarum etc. ordinem dicemus, quam classem. Classes enim e censu a Solone demum institutae sunt.

(41) Thes. c. 25. PETITUS Legg. Att. l. l. p. 200. sq.

(42) DIOD. SIC. I. 28. p. 25. L. BOSII Antiquit. Gr. II. 1. p. 116.

(43) Cf. HEERENIUS, *Handbuch der Geschichte der Staaten des Alterthums*, p. 157. PETITUS l. l. p. 201. not.

μετέχοντας βασιλικοῦ γένους aut τοὺς ἐκ τῶν ἐπιφανῶν οἴκων καὶ χρήμασι δυνατούς. His autem solis permissa erat sacrarum publicarumque rerum tractatio, magistratuum judiciorumque administratio, juris ac legum interpretatio et custodia, nullâ harum rerum parte cum reliquis ordinibus communicatâ (44). Rustici autem, Γεωμόροι, id est, fundorum possessores, ab aliis γεωργοὶ, ἀγροιῶται, ἄγροικοι dicti, agris colendis intenti publicis negotiis non vacarunt. Aliis autem in civitatibus posteriore tempore γεωμόροι fuerunt maximi census cives et rei publicae principes; ut Sami et Syracusis (45).

Operarii denique, Δημιουργοί, infimae sortis homines, non artifices, quorum exiguus fuit antiquis temporibus numerus et haud abjecta conditio, sed mercenarii pretio conducti servilem operam opulentioribus praebebant; cujus generis homines apud Homerum et Hesiodum vocantur Θῆτες, et conjunguntur cum servis; a Dionysio vero comparantur cum Thessalorum Penestis (46), ut videatur innuere, fuisse eorum plerosque mediâ inter libertatem et servitutem conditione, opulentioribus quasi addictos et in clientelam dicatos. Ceterum decretum est, ut rex summus esset in re publicâ magistratus, eamque secundum certas leges ipsi praescriptas et auctoritate cum quibusdam e populo electis annuis magistratibus

(44) PLUTARCH. l. l. coll. DIONYS. HALIC. II. 8.

(45) Cfr. THUCYD. VIII. 21. ibique DUKER. HEROD. V. 77. VI. 22. ibique VALCKENAR.

(46) Odyss. IV. 644. HESIOD. Op. et D. V. 563. DIONYS. HALIC. II. 9. Plura vid. apud RUHNKEN. ad TIMAEUM p. 212. sq. coll. SIGONIO De Republ. Ath. Lib. I. c. 2.

communicatâ, regeret (47), denique ut in bello praeiret, sacra legesque curaret (48). Quibus ita constitutis, Atheniensium rem publicam democratici regiminis formam nactam esse, cuivis nunc satis apparet (49). Neque vero id eo valet, ut hanc constitutionem latiori sensu democratiam fuisse existimemus. Verum enimvero cum tot antiquorum scriptorum fide certe dignissimorum quosque post Thesei aetatem prorogata et continuata regia potestas latere non poterat, testimonia attendimus, absurdum sane foret et ridiculum, eos vel levissimis erroribus innisos fuisse, judicari. Quamquam eâ de re, ut modo monuimus, Pausanias dubitat; verum ejus dubium circa puram democratiae formam, quam cum regiâ potestate copulare nequit, versatur (50). Ceterum omnino constat, hanc

(47) DIONYS. HALIC. V. 74. SPANHEM. ad Juliani Orat. I. p. 127. sq. PERIZON. ad Aelian. V. H. II. 20. POLYB. VI. 4. 2. VI. 5. sqq. THUCYD. I. 13. Πρότεροι δὲ ἦσαν ἐπὶ ῥητοῖς γέρασι πατρικαὶ βασιλεῖαι, *certis quibusdam juribus ac honoribus definita ac descripta*; ita vertit L. BOSIUS Obss. Critic. c. 3. Sed ἐπὶ ῥητοῖς γέρασι de vectigalibus regiis, non autem de juribus et honoribus intelligendum est.

(48) Cf. EURIPID. Suppl. v. 405. sqq. ISOCR. Panath. p. 259. Cor. et alibi. DEMOSTH. in Neaer. p. 1370. PLUTARCH. Thes. c. 24, 25. et Compar. Thesei c. Romulo. c. 2. PAUSANIAS I. 3. 2. PHAVORINUS Θησεύς, alii. Huc etiam pertinet μῦθος, Ostracismum a Theseo institutum, ipsumque eo primum multatum fuisse. Cf. EUSEB. Chron. p. 33. l. 43. et p. 125. Scal. PHAVORINUS Θησεύς. Sed illorum sententias refellere nihil attinet. Ceterum vocabulum δῆμος ab HOMERO, Iliad. II. 547, de Atheniensibus usurpatum ad democratiam referunt ARISTOTELES et PLUTARCH. Thes. c. 25. Id vero congruit cum posteriori linguae usu. At δῆμος apud Homerum primitus idem significasse videtur ac *regio*, indeque ad incolas translatum fuisse. In quâ significatione de aliis etiam regionibus usurpatum, neque ad democratiam relatum fuisse, probabile est. Cf. Il. XVI. 437. 455. Odyss. I. 103. 237. II. 317. III. 100. 104. 220. IV. 243. XV. 533. XVI. 419. XX. 210. XXIV. 27. 31. 136. 284. Ceterum vid. PAUSANIAE hac de re judicium l. l.

(49) DEMOSTH. in Neaer. p. 873. EURIPID. Suppl. v. 404.

(50) PAUSAN. I. 3. 2.

constitutionem, quoniam cum Atheniensium ingenio mirifice convenisset, ab omni mutatione, licet vehementer a Pisistrato labefactatam, integram esse conservatam (51). Ut autem ejusdem constitutionis memoriam cum omni posteritate adaequaret, festa indixit Theseus, quibus omnium Atticae incolarum in unum congregatio celebraretur (52), suum cuique magistratui tribunal exstrui, urbemque quotidiano auctu majorem pulchrioremque redditam peregrinis patere jussit, eo consilio, ut hi Atheniensibus immixti civium numerum augerent (53). Denique tot et tanta ipsius instituta cum ad patriae gloriam augendam tum civibus libertatem largiendam feruntur, ut omnia hic recensere et longum sit et a consiliis nostris alienum. Haec itaque sufficiant: Theseum cum ignominiâ et dedecore mortuum esse nec ullum ex rebus suis praeclare gestis voluptatis fructum percepisse, nec nisi post ejus obitum Athenienses gratos sese et memores ejus beneficiorum praebuisse. Ossibus enim ejus a Cimone, Miltiadis filio, intra muros Athenarum collocatis (54), templum ad sepulchri locum aedificatum est, quod id juris habuit, ut servi ad illud confugientes nexu solverentur (55). Ejus insuper memoria viguit tantis testata expressaque recte factorum monumentis, ut inter Deos, quibus dies cujusque mensis essent sacri (56), et inter Heroes,

(51) PAUSAN. I. 3. p. 9.
(52) THUCYD. II. 15. alii.
(53) Idem. I. 2. ibique Schol.
(54) PAUSAN. I. p. 41.
(55) DIOD. SICUL. IV. p. 265. SUIDAS et HESYCH. voce Θησεῖον. SCHOL. ad Aristoph. Plut. v. 627. PETITUS Legg. Att. Lib. II. Tit. 6. p. 259. coll. Lib. I. Tit. 1. p. 80. sq.
(56) SCHOL. ad Aristoph. l. l. et v. 1127.

qui divinis colerentur honoribus, numeraretur. Denique tot tantisque semper apud Athenienses honoribus auctus est, ut Atheniensium libertatis ac potestatis auctor merito haberetur exstitisse, et eorum civitas ejus nomine superbe appellaretur. Atque haec quidem hactenus.

Permansit autem Athenis ille rerum status integer incolumisque etiam post Codri regis mortem voluntariam, cujus honori datum est ab Atheniensibus, ut nemo in posterum regis nomine regnaret. Quam ipsam rem sic refert Vellejus :

« Eodem fere tempore Athenae sub regibus esse desierunt : quorum ultimus rex fuit Codrus, Melanthi filius, vir non praetereundus; quippe, cum Lacedaemonii gravi bello Atticos premerent, respondissetque Pythius, quorum dux ab hoste esset occisus, eos futuros superiores, depositâ veste regiâ, pastoralem cultum induit, immixtusque castris hostium de industriâ rixam ciens, interemptus est (57). » Athenienses autem praeclaro illo facinore stupefacti, nec alium quemquam, qui regiam potestatem ad tantum gloriae dignitatisque fastigium extollere posset, se inventuros rati, Jovem *βασιλέως* nomine colere (58) Archontemque perpetuum, qui regio munere perfungeretur, creare constituerunt (59).

(57) VELLEJUS PATERC. I. 2. JUSTIN. II. 6. PAUSAN. Achaic. p. 232. Plura vid. apud MEURS. De Regg. Ath. Lib. III. c. 11.

(58) SCHOL. ad Aristoph. Nubes v. 2. *Τοῖς Ἀθηναίοις πυθοχρήστως ἐγένετο καταλῦσαι μὲν τὰς βασιλείας· προστήσασθαι δὲ Δία βασιλέα.* ibique SPANHEM. Cfr. BARTHELEMY, *Introduction au voyage du jeune Anacharsis en Grèce*, P. I. p. 214.

(59) EUSEB. Chron. p. 33. VELL. PATERC. JUSTIN. et MEURSIUS ll. ll. Alii multi.

Quoniam vero opportunior locus de hac regum mutatione in re publicâ Atheniensi factâ nonnulla dicendi non dabitur, age nunc de eâ paucis, pro instituti ratione, exponamus.

Cum haec regii regiminis mutatio eodem fere tempore per universam Graeciam facta sit, suspicari licet, nihil de politico principio jam prius stabilito esse immutatum; verum novam rei publicae formam plane cum illo congruisse, quippe quae exinde orta esset. Recte igitur existimari potest, jam antiquissimis sicut et posterioribus temporibus democraticum principium in Graeciae civitatibus ubique viguisse. Cui rei id etiam accedit firmamenti et auctoritatis, quod illa mutatio tam tranquille tamque placide contigit, ut vix mutatio fuisse videretur. Ideoque Dionysii sententia, qui reges idcirco abolitos ait, quod aliquot eorum abusi potestate et in rebus administrandis rarius leges quam suam libidinem secuti essent, non eo valet, ut inde repugnantia aliqua oriatur, quae nec ipsius verbis necessario inest. Ἀρξαμένων δέ τινων, haec sunt ejus verba, *ἐν ταῖς ἐξουσίαις πλημμελεῖν, καὶ νόμοις μὲν ὀλίγα χρωμένων, ταῖς δ᾽ αὑτῶν γνώμαις τὰ πολλὰ διοικούντων, δυσχεράναντες ὅλον τὸ πρᾶγμα οἱ πολλοὶ κατέλυσαν τὰς βασιλείας καὶ τὸ πολίτευμα* (60).

Ex eo autem, quod nova illa regiminis forma eodem fere tempore in universâ Graeciâ introducta est, colligere possumus, id potius factum esse democratici principii jam prius vigentis efficaciâ quam violentis quibusdam rerum publicarum

(60) DIONYS. HALIC. V. 74.

eversionibus. Si enim fractus gravioribus motibus atque labefactatus pristinorum regnorum status concidisset, quaedam saltem vestigia apud antiquos scriptores exstarent; sed hujus apud eos rei, quantum equidem sciam, nusquam est mentio. Illud certo scimus, regum successionem Athenis post mortem Codri, regis bene profecto de patriâ meriti civibusque gratissimi, exstinctam esse, administrationemque rei publicae magistratibus iis commissam, quorum perpetua et hereditaria potestas nullâ aliâ in re a regio imperio differret, nisi quod, Ἀρχόντων nomine insigniti, muneris sui rationi reddendae certis ac stabilitis formulis obnoxii essent (61). Apud quosdam etiam scriptores non solum Archontes perpetui sed etiam decennales βασιλεῖς appellantur, atque annui tantum proprie Ἄρχοντες nuncupantur (62). Itaque illam regiminis immutationem nullis neque temporum motibus neque rerum conversionibus subjectam fuisse, haud immerito suspicari licet. Aliud insuper regiae potestatis in democratiam absque vi immutatae exemplum exstat apud STRABONEM (63), ubi legitur, Androclum, Codri Atheniensium regis filium, coloniam Ionum Aeolicam deduxisse Ephesumque condidisse, et qui ex eâ essent progenie, eos ad illum usque diem, quo haec scripsit Strabo,

(61) Unde et ipsi βασιλεῖς et βασιλεύειν dicuntur. Vid. PERIZON. ad AELIAN. V. H. V. 13. T. I. p. 319. ed. Kuehn.

(62) CHRON. PARIC. L. 44. Ep. 28. 29. L. 45. Ep. 30. L. 46. Ep. 31. L. 48. Ep. 32. 33. PAUSAN. VII. 2. 1. AELIAN. V. H. V. 13. EUSEB. Chron. p. 28. 35. sqq. 47. 134. sqq. 151. edit. Gr. Scal. p. 20. SCHOL. ad Aeschin. in Timarch. p. 746. BEKKERI Anecd. Gr. I. p. 295. PHOTIUS et SUIDAS Voc. παρ' ἵππον καὶ κόρην.

(63) XIV. 1. 3.

reges appellatos esse suosque habuisse honores, etc. Ἄρξαι δέ Φησιν, Ἄνδροκλον τῆς τῶν Ἰώνων ἀποικίας, ὕστερον τῆς Αἰολικῆς, υἱὸν γνήσιον Κόδρου τοῦ βασιλέως Ἀθηνῶν γένεσθαι τοῦτον Ἐφέσου κτίστην· διόπερ τὸ βασίλειον τῶν Ἰώνων ἐκεῖ συστῆναι Φασί· καὶ ἔτι νῦν οἱ ἐκ τοῦ γένους ὀνομάζονται βασιλεῖς, ἔχοντές τινας τιμὰς, προεδρίαν τε ἐν ἀγῶσι καὶ πορφύραν ἐπίσημον τοῦ βασιλικοῦ γένους, σκίπωνα ἀντὶ σκήπτρου, καὶ τὰ ἱερὰ τῆς Ἐλευσινίας Δήμητρος. Nova itaque democratia ex veteri illo regio imperio orta non conversio vi facta esse videtur; sed fixus quidam ac determinatus rei publicae constituendae modus, qui ex pristino illo rerum statu minus bene ordinato temporis lapsu nasci debebat, neque tamen prius manifesto apparuit quam omnibus suis numeris atque partibus absolutus esset atque expletus (64).

EPOCHA II.

ARCHONTES PERPETUI.

Sed redeamus, unde divertimus. Codro itaque mortuo regum imperium, quorum XVII a Cecrope usque ad primam Olympiadem numerantur (65), sublatum est, Archontesque perpetui, ut diximus, instituti. Primus autem eorum creatus est Medon, Codri filius, a quo reliqui Medontidae sunt

(64) Cf. HEEREN, *Ideen über die Politik, den Verkehr und den Handel der vornehmsten Völker der alten Welt*, Part. III. p. 154. sq.

(65) EUSEB. Chron. p. 33. Ἀπὸ δὲ Κέκροπος ἐπὶ τὴν πρώτην Ὀλυμπιάδα καταριθμοῦνται μὲν βασιλεῖς ἑπτακαίδεκα. VELL. PATERC. I. 2. 4.

dicti (66). Neque vero, licet regiis muneribus atque honoribus perfungerentur, absoluta eis commissa est ac regia auctoritas, sed ut regium imperium imminueretur, visum est, eos referendis rationibus obnoxios reddere. Τοὺς Μεδοντίδας — ἀφείλαντο ὁ δῆμος τῆς ἐξουσίας τὸ πολὺ καὶ ἀντὶ βασιλείας μετέστησαν εἰς ἀρχὴν ὑπεύθυνον (67). Quae tamen rationes quomodo repetitae sint, non magis scimus quam quomodo ipsi, postquam magistratus eorum hereditarius esse desierat, creati sint, nisi id quidem affirmari posse videtur, non populi universi, sed patriciorum tantum suffragiis creatos esse. Et Areopagi consilio fuisse ab Archontibus rationes reddendas, haud improbabilis est conjectura MEIERI et SCHOEMANNI (68). Ceterum hac in re, ut jam supra monuimus, haud obscura crescentis magis magisque in dies libertatis vestigia in re publicâ Atheniensium inveniri per se patet.

Cum vero Archontum perpetuorum sicut et decennalium historia obscurissimorum temporum caligine obtecta sit, nec usquam deditâ operâ memoriae prodita reperiatur, non est sane, quod diutius in eâ investigandâ inhaereamus, quippe de quâ nihil praeter conjecturas afferri possit; haec igitur pauca satis sint.

(66) EUSEB. l. l. Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν ὄγδοος καὶ δέκατος Μέδων ἔτη κ'. οὗτος πρῶτός ἐστι τῶν διὰ βίου γενομένων Ἀρχόντων. PAUSAN. Messen. c. 5. p. 292. VELL. PATERC. l. l. HESYCH. Μεδοντίδαι. MEURSIUS De Regg. Athen. Lib. III. c. 15. SIGON. De Rep. Ath. I. 1. Medontidas autem et Codridas eosdem esse notum est.

(67) PAUSAN. l. l. CORSINUS Fast. Att. Dissert. I. p. 4.

(68) In libro praestantissimo qui inscribitur *Der Attische Process*, p. 12. sq. Quo libro, quod vehementer doleo, finitâ tantum hac meâ commentatione uti licuit.

Juxta Eusebii aliorumque testimonia Archontes quidem perpetuos numero fuisse XIII a Medonte usque ad Alcmaeonem, Aeschyli filium (69), hancque regiminis formam durasse per spatium annorum CCCXVI (70).

EPOCHA III.

ARCHONTES DECENNALES.

Eo autem tempore praeterlapso, Archontes decennales instituti sunt, ita tamen ut imperium apud Codridarum gentem remaneret (71). Postea vero propter Hippomenis crudelitatem illi genti ademtum et in ceteros Eupatridas translatum est (72). Hunc quidem magistratum idcirco immutasse videntur Athenienses, ut, quae illis cum propter diuturnitatem, tum ne in tyrannidem abiret, suspecta esset potestas, certis ea limitibus circumscriberetur. Etenim, quo ampliores gravioresque in re publicâ partes Archontibus commissae erant, eo magis metuendum cavendumque erat, ne quando hac tantâ potestate male

(69) EUSEB. Chron. p. 33. sq. Ἄρχοντες δὲ διὰ βίου δώδεκα. Quid de hoc numero statuendum sit, docet MEURSIUS De Arch. Ath. Lib. I. cap. 1. Idem De Regg. Ath. Lib. III. cap. 16. horum Archontum nomina exponit. Cf. insuper VELL. PATERC. I. 8.

(70) SCALIGER. Canon. Isagog. II. 2. p. 160. alii.

(71) DIONYS. HALIC. I. p. 68. Ἀρχόντων δεκαετίαν vocat. EUSEB. Chron. I. p. 39. VELL. PATERC. I. 8. CORSINUS. Fast. Att. Dissert. I. p. 4. MEURSIUS De Arch. Ath. Lib. I. cap. 4. sqq.

(72) Vid. SUIDAS. Voce Ἱππομένης et παρ' ἵππον καὶ κόρην. TAYLOR. ad AESCHIN. in Timarch. p. 176. HERACLID. PONTIC. cap. I. MEURSIUS l. l. c. 6.

uterentur. Quamquam autem Archontum, non regum nomen plerumque tulerunt, non est tamen eorum administratio pro democraticâ, vi saltem vocabuli, regiminis formâ habenda. Si enim omnibus, qui hanc rem attigerunt, auctoribus fidem habemus, Archontum principatum pro regno, quamvis fracto ac debilitato, accipiendum esse, existimari potest : quae res eo quoque confirmatur, quod, ut ante diximus, Archontes a quibusdam scriptoribus reges appellantur. Hujusmodi autem Archontes decennales a Charope ad Eryxiam VII fuisse ex scriptorum consensu patet (73). Hic notandum est, mirum videri, nullam neque de perpetuis, neque de decennalibus Archontibus mentionem occurrere apud Justinum eo loco, quo de istis temporibus loquitur; ejus enim verba haec sunt :

« Post Codrum nemo Athenis regnavit; quod memoriae nominis ejus tributum est. Administratio rei publicae annuis magistratibus permissa (74). »

Probabilis videtur sententia, quaedam hoc loco sive mutilata, sive scribae culpâ aut aliquo casu omissa esse; eos enim extitisse Justinum vel eum potius auctorem, unde sua hausit, latere vix poterat. Et hae sunt omnes in universum mutationes, quas in magistratibus rei publicae Atheniensis a Codro usque ad annuorum Archontum institutionem factas

(73) EUSEB. Chron. I. p. 39. et ANONYMUS Ibid. p. 318. VELLEJ. PATERC. I. 8. Cf. de hoc Archontum numero MEURSIUS. Op. laud. I. 1.

(74) JUSTIN. II. 7. 1.

inveniamus. Quibus temporibus populum sic satis tranquille vixisse, suspicari licet. Res enim populorum adversae potius in lucem proferuntur quam prosperae, nec dictu fas est, longo illo temporis intervallo, nullos neque viros fortes, qui se pro patriae salute devovissent, neque sapientes, qui civitatem prudentiâ et consiliis gubernassent et sustinuissent, exstitisse. Verum eorum in patriam benefacta summâ jacent in oblivione, quippe quae solâ forsitan virtute nitebantur. Si vero populorum sanguinem fudissent, eorum momoria sane adhuc vigeret. Sic humani generis eversoribus arae locantur!

Expositis itaque, quoad ejus in tantâ temporum caligine fieri potuit, vel potius adumbratis nascentis Athenarum libertatis incrementis, reliquum est, ut nunc de populari imperio, sive de democratiâ diligenter pro viribus disseramus, quibusdam brevioribus in antecessum monitis, quae haud aliena a re videantur.

Decennalibus igitur Archontibus abrogatis, summa rerum potestas populi magistratibus est mandata. Quâ in re exprimendâ, cum nihil vel ad dignitatem praestantius, vel ad utilitatem fructuosius, vel ad animi delectationem efficacius esse existimem, quam Atheniensium libertatis annales pervolvere, diutius paullo hic immorari operae pretium duxi. Hoc enim temporis spatio, quidquid egregium apud excultissimas gentes invenitur, eo omni res publica Atheniensis floruit: omnibus virtutum generibus, rerum praeclare gestarum gloriâ, omni doctrinae et eloquentiae laude, praestantissimorum ingenio-

4*

rum acumine et lepore, apud externas gentes reverentiâ et honoribus, regiminis denique bene constituti auctoritate et pondere. Quibus rebus etiam factum est, ut quae res publica firmissimis fundamentis innixa esset, licet inter potentissimorum regum florentissimorumque populorum arma collocata, ea nullo negotio everti nullisque viribus labefactari posset.

Hujus autem rei publicae duplex invenitur forma : prior, quae a Theseo instituta, postea Draconis et Solonis legibus instructa est : posterior, quae a Clisthene, Aristide et Pericle inducta. Haec autem in omnium liberorum potestate; illa vero in ditiorum imperio fuit, de quâ nobis potissimum hic agendum.

Nova nunc rei publicae forma Thesei res publica vocari potest, quia ad ejus exemplum, quam olim instituerat, fundata est. Quin etiam Draconis dici potest, quod eam Draco primus legibus temperaverit. Neque vero quo consilio, quibus caussis, quave occasione, Archontum decennalium imperio abrogato, popularis regiminis forma potissimum placuerit, facile apud scriptores memoriae proditum reperias. Haec tantum exstant apud Isocratem : civitatem populo a Theseo permissam, Athenienses vero summopere laudandos esse, qui institutam a Theseo rem publicam receperint, quod cum rerum publicarum ignari et rudes essent, non errarint in eâ deligendâ, quae omnium confessione non solum communissima et justissima, sed etiam utilissima et jucundissima esset. Instituisse enim popularem rei publicae statum, non eum, qui praecipiti animi impetu gubernaretur, et qui libertatem in

intemperantiâ, beatitudinem in quidlibet faciendi licentiâ poneret, sed qui haec ejus modi omnia improbaret. Ἀλλ' ἀκμάζων, ὡς λέγεται, haec sunt Isocratis verba (75), τὴν μὲν πόλιν διοικεῖν τῷ πλήθει παρέδωκεν — περὶ δὲ τῶν παραλαβόντων τὴν τῆς πόλεως διοίκησιν, ἣν ἐκεῖνος παρέδωκεν, οὐκ ἔχω τίνας ἐπαίνους εἰπὼν, ἀξίως ἂν εἴην εἰρηκὼς τῆς ἐκείνων διανοίας. Οἵτινες, ἄπειροι πολιτεκῶν ὄντες, οὐ διήμαρτον αἱρούμενοι τῆς ὑπὸ πάντων ἂν ὁμολογηθείσης, οὐ μόνον εἶναι κοινοτάτης καὶ δικαιοτάτης, ἀλλὰ καὶ συμφορωτάτης ἅπασι τοῖς χρωμένοις καὶ ἡδίστης. Κατεστήσαντο γὰρ δημοκρατίαν, οὐ τὴν εἰκῇ πολιτευομένην, καὶ νομίζουσαν τὴν μὲν ἀκολασίαν, ἐλευθερίαν, τὴν δ' ἐξουσίαν τοῦ, ὅ, τι βούλεταί τις ποιεῖν, εὐδαιμονίαν, ἀλλὰ τὴν τοῖς τοιούτοις μὲν ἐπιτιμῶσαν.

Maxime autem existimandum est, populum Atheniensem Codridarum diuturni imperii tandem esse pertaesum, quippe qui nimiâ forte libidine luxuriâque diffluerent, ac Thesei et disciplinae ab eo quondam traditae recordatum, ut est suavis libertatis sensus et rerum novarum dulcis adspectus, ad eam rem publicam, quae de libertate unâ cogitat, nimirum popularem animo inclinasse. Hanc tamen non statim legibus fundatam fuisse, quod nemo dum ita sapientiâ excellere in civitate putaretur, ut leges tum paucis cognitas, institutae rei publicae consentaneas posset excogitare (76).

(75) Isocr. Panath. c. 51. p. 259. Ibique Corayus.
(76) Sententia est Sigonii De Rep. Athen. Lib. I. cap. 5.

EPOCHA IV.

ARCHONTES ANNUI.

Sed quidquid ejus sit, postremo Ol. XXIV. 4. iterum immutata est hujus magistratus ratio, et annui Archontes noveni instituti sunt (77). Designabantur autem populi suffragiis ex iis, qui generis antiquitate, opibus et gratiâ in civitate maxime florebant. Ἄρχοντες ἐνιαύσιοι ᾑρέθησαν ἐξ Εὐπατριδῶν (78).

Primus eorum Creon nominatus est (79). Eorum autem varia fuerant et munera et nomina: haec nunc referre juvat, illa deinceps recensebimus. Primus itaque proprie Ἄρχων ἐπώνυμος quasi princeps et praeses collegii vocabatur, ab eoque anni numerabantur et in fastis notabantur (80).

(77) PAUSANIAS Eliac. c. 19. p. 500. Ἐνιαυσίαν ἀρχὴν dicit et Messen. c. 15. p. 315. hujus generis magistratus appellat κατ' ἐνιαυτὸν ἄρχοντας. Cfr. VELL. PATERC. I. 8. AFRICANUS apud *Euseb.* Chron. I. p. 39. cum emendatione SCALIGERI p. 74. MEURSIUS De Arch. Athen. Lib I. c. 9 sqq. AELIAN. Var. Hist. V. 13. decem Archontes admittere videtur, sed vid. ad h. l. PERIZONIUS T. I. p. 322. sqq.; et qui hunc refutans melius hanc difficultatem expedivit ED. CORSINI Fastis Att. P. I. p. 13.

(78) EUSEB. Chron. p. 155. Non semper tamen ἐξ Εὐπατριδῶν electos fuisse putat SCALIGER in Animadv. p. 74, cujus sententiam oppugnat PERIZONIUS ad Aelian. V. H. V. 13.

(79) SIGON. De Ath. Temp. p. 567 sq. edit. Hanov. et MEURSIUS De Arch. Ath. Lib. I. c. 9.

(80) PHILO De Abrahamo p. 351 B. Ἄρχων Ἀθήνησιν ὁ ἐπώνυμος, καὶ τῶν ἐννέα Ἀρχόντων ἄριστος. Ἐπώνυμος autem dicebatur, quia, ut ait JUL. POLLUX. VIII. 9. 85. τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐπώνυμος erat, h. e. *annum signabat.* Idem enim VIII. 5. 89. dicit ἀπ' αὐτοῦ τὸν χρόνον ἀριθμεῖσθαι Cf. LIBANIUS in Argumento DEMOSTH. Orat. adv. Audrotionem. Ἐπώνυμος, ἐξ οὗ καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἐπώνυμος ὠνομάζετο. HESYCHIUS et ETYMOLOG. MAGN. voce ἄρχων. Add. Ed. CORSINI Fastis Atticis P. I. Diss. 11 et 12.

Secundus vero Βασιλεύς; tertius Πολέμαρχος, et reliqui sex Θεσμοθέται nominabantur (81). Cur autem his nominibus insigniti sint, nusquam, quod equidem sciam, ab antiquis scriptoribus diserte proditum est, ideoque operae pretium facturum duxi, Sigonii hac de re sententiam, quia probabilis videtur, hic describere : « Mihi, inquit ille, in Archontum potestatem et nomen attentius intuenti, illud secuti Athenienses videntur, ut, quoniam regum et Archontum imperio diu obtemperarant, ne illa omnino vocabula jam prope populo sancta obliterarent, aliquem etiam Regem et Archontem, sed minore multo atque breviore cum potestate in populari re publicâ esse voluerint, et quia reges in bello Polemarchum adhibuerant, hunc quoque militiae retinuerint. Ne vero civitatis legibus carentis administratio in unius, ut ante, voluntate consisteret, sex Thesmothetas, quasi juris totius custodes, crearint (82). »

Illud autem maxime populare visum est, quod pro uno rei publicae magistratu, qui summam per decennium illimitatâ fere cum potestate rem publicam tenebat, novem constituti sunt, qui annuum tantum haberent imperium. Ita enim et tempore contractiore et numero multiplicato imminuta quidem est Archontum potestas et in omnes Patricios aequabiliter distributa; pluribus enim aditus ad illum honorem patere coepit quam antea, sed plebis tamen conditio nequaquam

(81) POLLUX VIII. 9. 85.
(82) SIGON. De Rep. Ath. Lib. I. cap. 5.

in melius mutata. Publica enim ejus jura erant nulla et gravis ac molesta magistratuum dominatio, quippe qui scriptarum legum defectu (83), suo, et eorum, qui ipsis in consilio aderant, patriciorum arbitratu et judicia exercebant et summam rem publicam administrabant. Ad hoc plurimi e plebejis aeris alieni magnitudine oppressi creditoribus patriciis addicti et in miserrimam servitutem detrusi erant (84). Itaque sicut Romae factum est postea, cum Patriciorum iniquitas, nullo freno coercita, plebem opprimeret, ut legum scriptarum desiderio omnes accenderentur, ita Athenis quoque eâdem de caussâ excitata est seditio, quae, ut leniretur, legibus a Dracone perscriptis cautum est (85). Quando vero suas Draco leges

(83) Errant, qui huc referunt τοὺς βασιλικοὺς νόμους, apud XENOPHONTEM, Oecon. XIV. 6. (inter quos numerandus est BARTHELEMY, *Voyage du jeune Anacharsis en Grèce*, T. I. Part. II. p. 336.). Ibi enim non Atticae quaedam leges designari mihi videntur, sed mores ejusmodi atque instituta, quibus reges uti soleant, Persarum maxime, quorum etiam ante meminerat aliquoties, inprimis c. 4. Ludit autem Ischomachus (hunc enim loquentem XENOPHON facit) et postquam Draconis se ac Solonis legibus uti dixit ad familiae suae disciplinam, nunc persequitur: « Non his solum utor, sed regiis quoque; regum enim morem imitor, dum non poenis tantum a delictis deterreo, sed praemiis quoque ad recte faciendum allicio, quemadmodum reges solent. » Ἐγὼ οὖν, ἔφη Ἰσχόμαχος, καὶ τούτων προφέρων ἔνια, καὶ ἄλλα τῶν βασιλικῶν νόμων προσφερόμενος, πειρῶμαι δικαίους περὶ τὰ διαχειριζόμενα ἀπεργάζεσθαι τοὺς οἰκέτας. Ἐκεῖνοι μὲν γὰρ οἱ νόμοι ζημίαι μόνον εἰσὶ τοῖς ἁμαρτάνουσιν, οἱ δὲ βασιλικοὶ νόμοι οὐ μόνον ζημιοῦσι τοὺς ἀδικοῦντας, ἀλλὰ καὶ ὠφελοῦσι τοὺς δικαίους. Perperam quoque VALESIUS ad *Maussac.* in *Harpocr.* p. 240, hosce νόμους βασιλικούς cum sacris et ἀγράφοις Eumolpidarum legibus confundit. Cf. SCHNEIDER ad XENOPHONTIS l. l.

(84) PLUTARCH. Solon. c. 13.

(85) SIGON. De Rep. Ath. I. 5. Variae, inquit ROSINUS, Antiq. Rom. Lib. VIII. c. 3. fuerunt legum caussae; — una tamen vel praecipua fuit, quod a malis et corruptis moribus illae manarint. Absque his enim non opus fuisse legibus. Itaque, ut esset bene vi-

tulerit, haud constat inter scriptores; nec mirum. Suidas (86) id factum fuisse vult Olymp. XXXIX. 1; Eusebius contra Archontum annuorum initium cecidisse annuit in Olymp. XXIV. 4. ita ut intervallum ad minimum LVII annorum inter utramque computandi rationem reperiatur. Ceterum, cum de ejus vitâ rebusque privatis non magis constet, nec ea perquisitio nostro proposito consentanea sit, haec pauca sufficiant.

Aul. Gellius (87) narrat, Draconem leges, quibus Athenienses uterentur, primum omnium tulisse. In illis autem legibus furem, cujusmodicumque furti, supplicio capitis puniendum esse, et alia pleraque nimis severe censuisse sanxisseque. Atque ejus leges, quoniam viderentur impendio acerbiores, non decreto jussoque, sed tacito (88) illiteratoque Atheniensium consensu obliteratas esse.

Fuerunt autem ejus leges et parum illis turbis sedandis idoneae, cum privatum jus, non, quo maxime opus erat, publicum

vendi norma, legem inventam esse manifeste cognoscitur. — Draconis autem leges θεσμοί vocabantur, quia earum procemium erat : Θεσμὸς αἰώνιος τοῖς Ἀτθίδα νεμομένοις, κύριος τὸν ἅπαντα χρόνον. Vid. Porphyr. De Abstinentiâ IV. p. 380. ubi vid. qui a Rhoerio laudantur, Interprr. ad Aelian. VIII. 10. et Meurs. in Solone cap. 13.

(86) Voce Δράκων.

(87) Noct. Att. XI. c. 18. Cf. etiam Suid. l. l. John Gillies, *History of ancient Grece*, cap. 13. init. Barthelemy, *Voyage du jeune Anacharsis*, Introduct. Part. I. Wicherus Van Swinderen De Senatu Areopag. (in Annal. Groning.) p. 8 sq.

(88) Haec non congruunt cum iis, quae Plutarchus Solon. cap. 17. scribit, Solonem Draconis leges ob asperitatem et atrocitatem cunctas rescidisse, praeterquam quae latae essent de sicariis. Πρῶτον μὲν οὖν τοὺς Δράκοντος νόμους (Σόλων) ἀνεῖλε, πλὴν τῶν φονικῶν ἅπαντας διὰ τὴν χαλεπότητα καὶ τὸ μέγεθος τῶν τιμιῶν.

quoque complecterentur, et nimiâ atrocitate et crudelitate invisae : *Δράκοντος δὲ*, sic ait ARISTOTELES (89), *νόμοι μὲν εἰσι, πολιτείᾳ δ' ὑπαρχούσῃ τοὺς νόμους ἔθηκεν. Ἴδιον δ' ἐν τοῖς νόμοις οὐδέν ἐστιν, ὅ, τι καὶ μνείας ἄξιον, πλὴν ἡ χαλεπότης διὰ τὸ τῆς ζημίας μέγεθος.*

Itaque cum Patriciorum insolentia et superbia magis magisque in dies cresceret populusque miserrime oppressus et omnia turbata essent, occasionem arripuerunt ambitiosi e patriciis homines, Cylon cum suâ factione, et regni potiundi consilium ceperunt. Sed horum conatus cupidius, ut videtur, quam cautius suscepti patriciorum, Alcmaeonidarum maxime, operâ repressi sunt, majore populi invidiâ quam gratiâ. Atque illa invidia, credo, religione excitata paullo post tempore Alcmaeonidas judicio damnatos in exilium detrusit (90).

Arce igitur a Cylone occupatâ, cum populi undique ex agris ad eum tyrannidem affectantem obsidendum confluxissent, et res in longum duceretur, Athenienses fessi plerique infectâ re recesserunt, custodiamque novem Archontibus atque omnia pro arbitratu gerenda commiserunt : tum enim temporis plerarumque rerum civilium administrationem penes Archontes fuisse THUCYDIDES refert eo loco, quo illam seditionem exponit. Quoniam autem eâ de re diversae feruntur inter scriptores sententiae et eorum loci plurimum ad rem illustrandam faciunt, visum est ipsis eos verbis hic describere. Ac THUCYDIDIS quidem sententia haec est :

(89) Polit. II. cap. 12.
(90) HEROD. V. cap. 71. THUCYD. I. cap. 126. PLUTARCH. Solon. cap. 12.

Οἱ δ' Ἀθηναῖοι, αἰσθόμενοι, ἐβοήθησάν τε πανδημεὶ ἐκ τῶν ἀγρῶν ἐπ' αὐτοὺς, καὶ προσκαθεζόμενοι ἐπολιόρκουν. Χρόνου δὲ ἐπιγιγνομένου, οἱ Ἀθηναῖοι τρυχόμενοι τῇ προσεδρείᾳ, ἀπῆλθον οἱ πολλοὶ, ἐπιτρέψαντες τοῖς ἐννέα Ἄρχουσι τήν Φυλακήν τε καὶ τὸ πᾶν αὐτοκράτορσι διαθεῖναι, ᾗ ἂν ἄριστα διαγιγνώσκωσι. Τότε δὲ τὰ πολλὰ τῶν πολιτικῶν οἱ ἐννέα Ἄρχοντες ἔπρασσον (91). THUCYDIDI PLUTARCHUS etiam accedit, cujus haec sunt verba:

Τὸ δὲ Κυλώνειον ἄγος, ἤδη μὲν ἐκ πολλοῦ διετάραττε τὴν πόλιν, ἐξ οὗ τοὺς συνωμότας τοῦ Κύλωνος ἱκετεύοντας τὴν Θεὸν Μεγακλῆς ὁ Ἄρχων ἐπὶ δίκῃ κατελθεῖν ἔπεισεν. κ. τ. λ. (92). Sed mirum sane est eandem rem Prytanibus Naucrarorum ab HERODOTO tribui, qui eos tum temporis rei publicae praefuisse affirmat. Sic enim res ab eo exponitur: *Ἦν Κύλων τῶν Ἀθηναίων ἀνὴρ Ὀλυμπιονίκης· οὗτος ἐπὶ τυραννίδι ἐκόμησε· προσποιησάμενος δὲ ἑταιρηΐην τῶν ἡλικιωτέων καταλαβεῖν τὴν ἀκρόπολιν ἐπειρήθη· οὐ δυνάμενος δὲ ἐπικρατῆσαι ἱκέτης ἵζετο πρὸς τὤγαλμα. Τούτους ἀνιστέασι μὲν οἱ Πρυτάνιες τῶν Ναυκράρων, οἵπερ ἔνεμον τότε τὰς Ἀθήνας, ὑπεγγύους πλὴν θανάτου* (93). Ex eo itaque quod Cylonii socii ab arâ *τῆς Θεοῦ* a Prytanibus Naucrarorum, qui tunc Athenis gubernabant, (neque vero ad HERODOTI usque tempora), surgere jussi sint, patet, *Φυλὰς* et *δήμους* cum suis *Προστάταις*, qui antea Naucrarii vocabantur, multo majori antiquioribus temporibus potestate fuisse quam postea.

Id autem permirum videtur, eam curam Areopago committi

(91) THUCYD. l. l.
(92) PLUTARCH. l. l.
(93) HERODOT. l. l.

a Grammatico (94), cujus haec sunt verba : *Τῶν μετεχόντων τȣ̃ Κυλωνείου ἄγους, ὅπερ εἰς τὴν Ἀθηνᾶν δοκεῖ γενέσθαι ἀσέβημα· ἐπειδήπερ οἱ συγκατακλεισθέντες τῷ Κύλωνι ἐν τῇ Ἀκροπόλει εἰς τὴν κρίσιν κατέβησαν ἐν Ἀρείῳ Πάγῳ, ἐκ τȣ̃ ἔθους τῆς θεοῦ ἐξάψαντες τὴν ἱκετηρίαν· ἧς διαῤῥυείσης, λίθοις αὐτοὺς ἔβαλλον οἱ Ἀθηναῖοι.* Sed haec narratio levioris quidem est momenti, nec caussa ulla, cur diutius in eâ immoremur. Redeamus itaque ad binas illas priores, Thucydidis et Herodoti, et, quomodo inter se conciliandae sint, videamus. Quae igitur Herodotus Prytanibus Naucrarorum tribuit, ea Thucydides novem Archontibus assignat; quae res, ut obiter hic moneamus, in caussâ fuit, ut HARPOCRATIO (95) et SUIDAS (96) novem Archontes illo tempore Prytanes Naucrarorum appellatos fuisse putarent. Sed plane abhorret a vero, illud nomen, si revera novem Archontibus inditum fuisset, ita obliterari potuisse, ut ne ulla quidem ejus mentio apud scriptores occurreret, neque haec conjectura quidquam prodest ad conciliandum cum Herodoto Thucydidem.

Potest autem obsidio illa Naucraris eorumque principibus sive Prytanibus commissa esse, sed eâ conditione, ut summa rei ab Archontibus gereretur, horumque mandatis illi obsequerentur. Erant autem illi Naucrari Magistratus quadraginta octo, duodeni ex unaquaque tribu, qui, ut antea regibus, sic postea novem Archontibus videntur fuisse subjecti (97).

(94) SCHOL. ad *Aristophanis* Equites v. 443.
(95) Voce *Ναυκραρικά.*
(96) Tom. II. p. 599. Kust.
(97) SIGONIUS De Rep. Ath. I. cap. 5.

Herodoti itaque sententia non plane abjicienda est, cum quâ etiam conferri potest judicium ἐν Πρυτανείῳ et Plutarcheus ille locus, quo de pristinâ Archontum eorum, qui βασιλεῖς vocabantur, jurisdictione in Prytaneo haec referuntur: Ἐκ Πρυτανείου καταδικασθέντες ὑπὸ τῶν βασιλέων, et paullo post: Ἡλωκότας ἐπ' αἰτίαις, ἃς κρίνουσιν (ἔκρινον) οἱ Ἀρεοπαγῖται καὶ Ἐφέται καὶ Πρυτάνεις (98).

Hoc enim Prytaneum de curiâ, de quâ loquuntur Thucydides (99) et idem ipse Plutarchus (100), non vero de judicio ἐπὶ Πρυτανείῳ accipiendum esse, recte docet Aug. Matthiaeus (101), propterea quod inter crimina, quae deinde memorantur, τυραννίς ad senatus disceptationem spectasse videatur. Ceterum eadem fere ac Plutarchea verba leguntur in decreto Atheniensium apud Andocidem (102): Ἢ ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ τῶν Ἐφετῶν, ἢ ἐκ Πρυτανείου ἢ Δελφινίου ἐδικάσθη ἢ ὑπὸ τῶν βασιλέων. κ. τ. λ.

Quae cum ita sint, suâ quisque sponte intelligit, facile fieri potuisse, ut Herodotus in eâ re narrandâ satis habuerit Prytanes Naucrarorum nominasse, summosque eorum praesides sive Archontes indicare supersederit, utpote rem tum temporis omnibus satis notam. Ceterum in re tam obscurâ vix certo quidquam potest affirmari.

(98) Plutarch. Solon. cap. 19.
(99) II. 15.
(100) Thes. cap. 24.
(101) De Judiciis Atheniensium, in Miscell. Philolog. P. II. p. 155.
(102) De Myster. p. 37 Reisk. (Oratt. Gr. T. IV.)

Deinceps alia eaque vehementior orta est seditio, quâ populus Atheniensis in tres factiones est dispertitus. Infima enim et egena multitudo, cujus miserrima erat conditio, potentium acerbitatem injuriarumque dolorem aegre ferens, omnem patriciorum auctoritatem sublatam, jurisque inter omnes cives aequabilitatem stabilitam vehementer efflagitabat.

Hi homines quoniam plerique montana loca a Braurone ad Parnethem inhabitabant, *Διακρίοι* sunt vocati. Contra locupletiores, qui paucorum imperio favebant, quique, quoniam campestrem plerique regionem, quae ab Eleusine ad Oropum versus extenditur, incolebant, appellati sunt *Πεδιαῖοι*. Mediam inter utramque amplectebantur *Παράλιοι*, maris incolae. Horum omnium factiones cum diu sine eventu rem publicam dilacerassent, et jam in eo essent plebeji, ut tabularum novarum legumque agrariarum introductione tristem semper discordiarum et seditionum intestinarum praeberent materiam, visum tandem est, bonorum omnium consensu, summam rerum Soloni committi, legesque novas ei ferendas mandari (103).

EPOCHA V.

SOLONIS CONSTITUTIO.

Solon itaque Archon creatus cum praecipuam seditionum caussam esse intelligeret aeris alieni magnitudinem, nihil an-

(103) PLUTARCH. Solon. cap. 13 et cap. 19. Cf. MEURSIUS Sol. cap. 10. Pisistrat. cap. 3.

tiquius habuit, quam ut obaeratorum saluti consuleret, omnis, ut plurimis placet, debiti remissione vel, ut alii tradunt, foenoris diminutione et aucto numorum pretio (104). Deinde, ut omnes turbarum fontes exhauriret, invisam patriciorum dominationem sustulit libertatemque plebi concessit. Primum enim, ut juris aequalitatem inter omnes, potentiores infirmioresque, stabiliret, totum populum ex censu in quatuor ita distinxit classes Πενταχοσιομεδίμνους, Ἱππεῖς, Ζευγίτας (105), et Θῆτας, ut primae classi adnumerarentur, quibus quingenti medimni aut supra redirent; secundae, quibus trecenti; tertiae quibus ducenti (106); quartae denique, quibus minor esset agrorum reditus. Attamen universi populi distributionem in quatuor tribus, quarum singulae in tres curias, curiae rursus singulae in triginta gentes erant divisae, retinuit. Idem quoque dicendum de totius civitatis divisione in Δήμους. Utriusque enim rei et ante et post Solonis aetatem manifesta reperiuntur vestigia (107). — Ne vero potentiores fundos soli possiderent iisque excluderentur infirmiores, certum modum sta-

(104) Cf. Lamb. Bosii Antiq. Gr. cap. 4. p. 125 sq.

(105) De Zeugitarum nomine vid. Corsin. F. A. P. III. p. 77.

(106) Plutarch. Solon. cap. 18. Pollux VIII. 130. Quo loco nomina illa simul explicantur. Aristoteles autem, Polit. II. 12. Zeugitas secundo, Equites tertio loco numerat, unde colligit Heraldus, Animadv. in *Salmas.* I. 111. cap. 15. p. 15, quod ex aliis etiam rationibus colligi potest, totam rem illius aetate jam desuetam et abolitam fuisse. Plura vid. apud Meurs. Solon. cap. 14.

(107) Nomina quatuor Tribuum (Φυλῶν) enumerat Pollux VIII. 9. Segm. 109 Τριττὺς καὶ ἔθνος, καὶ φράτρια· ἑκάστου δὲ ἔθνους γένη τριάκοντα. De Δήμοις vid. Pausan. Attic. XXXI. p. 76 sq. Strabo IX. p. 274. Cf. Eustath. ad Iliad. II. v. 363. p. 181. Sigon. De Rep. Ath. II. cap. 2.

bilivit Solon, supra quem possidere nemini liceret (108). Jam Θῆτας, infimos ex plebe et tribus illis classibus numero superiores, admisit ad judicia iisque jus obeundarum concionum cum ceteris commune concessit; id quod specie quidem haud ita magnum, reapse autem multo maximum esse postea est compertum (109).

Post hanc enim institutionem novem Archontibus, qui antea pro se et sine consilio judicum assessorumve e populo electorum in suo quisque dicasterio jus ipsi dixerant, nihil pristinae illius jurisdictionis remanebat, nisi quod quibusdam adhuc judiciis praeessent, et, ut eorum potestas magis etiam imminueretur, Solon eos in unum collegium cogi jussit (110). Quibus rebus factum est, ut in gravissimâ rei publicae parte tenuiores non minus ac potentiores aequo jure rerum administrandarum participes essent; de omnibus enim senatus populique decretis, privatorum, magistratuumque factis decernendi potestas judiciis erat permissa (111). Quamquam Solonis quidem aetate, et proximis etiam post illum temporibus vix erat periculum, ne res tanti ponderis et momenti levi et imperitae tenuium civium multitudini committere-

(108) ARISTOT. Polit. II. 7. *Διότι μὲν οὖν ἔχει τινὰ δύναμιν εἰς τὴν πολιτικὴν κοινωνίαν ἡ τῆς οὐσίας ὁμαλότης, καὶ τῶν πάλαι τινὲς φαίνονται διεγνωκότες, οἷον καὶ Σόλων ἐνομοθέτησε, καὶ παρ' ἄλλοις ἐστὶ νόμος, ὃς κωλύει κτᾶσθαι γῆν ὁπόσην ἂν βούληταί τις.*

(109) PLUTARCH. Solon. cap. 18. ARISTOT. Polit. II. 12.

(110) DIOGEN. LAERT. I. 58. SUIDAS voce Ἄρχων. coll. cum BEKKERI Anecd. Gr. P. I. p. 449. CORSINI Fast. Att. Dissert. I. 22. p. 26 sq. 23 p. 27 sq. MEURS. De Arch. Ath. Lib. I. cap. 9.

(111) Cf. G. F. SCHOEMANN De Comitiis Atheniensium. Lib. II. cap. 2. et 3. de *παρανόμων γραφῇ* et de *εἰσαγγελίᾳ*.

tur. Tunc enim sine mercede judicabatur; quae res in caussâ fuit, ut hi homines neque praemiis allecti, neque spe quaestus commoti, verum rei familiaris detrimento publicorumque negotiorum molestiâ absterriti, ultro volentesque hanc administrationis partem locupletioribus relinquerent.

Dein universi populi conventus (ἐκκλησίας) Solon denuo constituit, in quibus publica negotia, quae ad magistratus non spectarent, curarentur, magistratus ipsi crearentur, denique de omni rei publicae administratione tractaretur.

His vero conventibus rectorem et moderatorem praefecit senatum vetuitque, ne quid ad populum ferretur, nisi senatu prius consulto (ἐκ τοῦ προβουλεύματος), neve quid populus juberet nisi a senatoribus in suffragium missus. Ipsum autem senatum ex quadringentis civibus ita componi voluit, ut ex singulis quatuor tribubus centeni quotannis viri, sed priorum tantum trium classium et triginta annis non minores sorte designarentur (112), qui, ubi in examine instituto se non indignos tali munere probassent, eo per unius anni spatium fungerentur (113). Ceterum qualis ante Solonem senatus fue-

(112) THUCYD. VIII. 66. vocat βουλὴν ἀπὸ τοῦ κυάμου; ab ANDOCIDE autem, Orat. I. De Mysteriis p. 220, dicuntur ἡ βουλὴ, οἱ πεντακόσιοι, λαχόντες τῷ κυάμῳ, i. e. Senatus quingentornm sorte fabae lectus. Cf. SIGON. De Rep. Ath. II. 3, et qui de totâ hac electionis ratione, multis illâ difficultatibus impeditâ, copiosius disputavit, TH. BERGMAN. ad Isocratis Areopagit. p. 105. sq.

(113) PETITUS Legg. Att. III. 1. alii. — In illo examine, quod δοκιμασία dicebatur, cuivis permissum erat candidatum indignum accusare, cujus accusationis exemplum

rit, id, cum parum constet, nec quidquam ad rem nostram faciat, dicere supersedemus.

Sed redeamus, unde sumus digressi. Constat igitur Archontum potestatem Solonis legislatione multum esse imminutam. Etenim cum antea omnem fere rem publicam administrassent litesque suo arbitratu dijudicassent (114), Solonis legibus constitutum est, ut, quas ipsi prius in dicasteriis suis caussas examinassent (115), eas nunc nonnisi ad judices remittendas haberent, judiciis praeessent et sacra quaedam curarent (116). Ex quibus colligi potest, eos summae rei publicae administrandae parum participes, aliosque magistratus eâ in re majore multo potestate fuisse praeditos. Quantum autem haec Solonis legislatio ad fovendam alendamque democratiam contulerit, cuivis nunc luce clarius patet (117).

exstat apud LYSIAM, Orat. in Philon. p. 258 sq. et defensionis, Orat. pro Mantitheo, p. 157 sq. edit. Tauchnitz. Exercebantur autem ejusmodi judicia a Thesmothetis. Cf. SCHOEMANN. De Comitiis Atheniensium, Cap. XI. p. 329.

(114) SUIDAS voce Ἄρχων. BEKKERI Anecd. Gr. I. p. 449. Ἄρχοντες. POLLUX VIII. 125. Coll. ARISTOT. Polit. II. 12. PLUTARCH. Solon. cap. 18. et Compar. Solonis c. Publicol. cap. 2. MATTHIAEUS De Judic. Ath. p. 242.

(115) Quod ad dicasteria illa attinet, haec habet SUIDAS l. l. καὶ πρὸ μὲν τῶν Σόλωνος νόμων, οὐκ ἐξῆν αὐτοῖς (τοῖς Ἄρχουσιν) ἅμα δικάζειν. Ἀλλ' ὁ μὲν βασιλεὺς καθῆτο, παρὰ τῷ καλουμένῳ Βουκολείῳ. Τὸ δὲ ἦν πλησίον τοῦ Πρυτανείου. Ὁ δὲ Πολέμαρχος ἐν Λυκείῳ. Καὶ ὁ Ἄρχων παρὰ τοὺς Ἐπωνύμους. Οἱ Θεσμοθέται παρὰ τὸ Θεσμοθέσιον.

(116) Cf. PERIZON. ad Aelian. Var. Hist. V. 13. Illud itidem alibi, v. c., Spartae obtinebat, ubi magistratus caussas quoque ad judices remittebant judiciisque ipsi praeerant. Cf. ARISTOT. Polit. II. 11.

(117) SIGON. De Rep. Ath. I. 5. ARISTOT. Polit. II. 12. Ex quo loco illud intelligi potest, quod jam antea diximus, Solonem non tam primum constituisse democratiam quam firmasse. Idem etiam alia evincunt, primo, quod designatus est a populo legislator,

Sed post Solonem Archontum potestas arctioribus etiam cancellis circumscripta est. Nam illud tunc primum novatum est, ut illi, sicut et alii magistratus nonnulli, sorte crearentur; cujus mutationis quemnam probabilius auctorem statuere possimus, quam Clisthenem (118)? Pertinuit nimirum hoc ad deprimendam patriciorum potentiam, qui in comitiis et populi suffragiis facile vincere poterant plebejos candidatos; in sortitione autem, ubi in fortunâ et casu omnia posita erant, nullâ re praevalebant.

Sed hic nobis subsistendum : persecuti sumus quae nobis persequenda sumseramus. Consilium enim erat ostendere, quo modo quibusve caussis populi libertas, cui cum Archontum institutione nova facta est eaque firmissima virium accessio, orta sit in Atticâ re publicâ et confirmata. Itaque nunc jam ad ipsam de Archontum muneribus tractationem progrediamur,

deinde versus, qui ab ipso compositi leguntur apud Plutarchum, Solon. cap. 18. quosque hic describere operae pretium duxi :

Δήμῳ μὲν γὰρ ἔδωκα τόσον κράτος, ὅσσον ἐπαρκεῖ,
  Τιμῆς οὔτ' ἀφελὼν, οὔτ' ἐπορεξάμενος.
Οἳ δ' εἶχον δύναμιν, καὶ χρήμασιν ἦσαν ἀγητοὶ,
  Καὶ τοῖς ἐφρασάμην μηδὲν ἀεικὲς ἔχειν.
Ἔστην δ' ἀμφιβαλὼν κρατερὸν σάκος ἀμφοτέροισι·
  Νικᾶν δ' οὐκ εἴασ' οὐδετέρους ἀδίκως.

Ceterum de totâ Solonis re publicâ prae ceteris egerunt J. Luzacius, *Socrates als burger beschouwd, p. 96;* Barthelemy, *Voyage du jeune Anacharsis.* Introduct. P. I. et John Gillies, *History of ancient Grece*, cap. 13.

(118) Wich. Van Swinderen De Senat. Areopag. p. 18. sq. Bello Persico primo, paucis post Clisthenem annis, Archontes sorte ductos esse patet ex Herodoto VI. cap. 109. ubi Polemarchus dicitur : ὁ τῷ κυάμῳ λαχὼν Ἀθηναίων πολεμαρχέειν. Tamen ex Pentacosiomedimnis Archontes fuisse Demetrius Phalereus testatur apud *Plutarchum.* Aristid. cap. 1.

in quâ quidem ita versabimur, ut primo loco quaedam de eorum electione dicamus, deinde de judiciis aliisque rebus ad eos spectantibus disseramus, postremo ut, quae cuique eorum propria fuerint munera, referamus.

PARS SECUNDA.

DE NOVEM ARCHONTUM ELECTIONE.

In priori operis nostri parte vidimus antiquissimam Archontum institutionem populi auctoritati adscribendam (119) ejusque jussu factum esse, ut Solonis constitutio in rem publicam introduceretur; quae res, etsi nusquam memoriae prodita exstet, nullo tamen modo in dubium vocari potest (120), quia Solon demagogus a populo vocatus est. Ex quibus colligere possumus omnia quae a Solone decreta et instituta sint, populi voluntate et consensu esse confirmata. Ac primis quidem rei publicae temporibus novem Archontes populi suffragiis electos fuisse (121), primum ex eo confirmatur, quod Draconis legislatione Ephetae pro meritis creati feruntur (122), cum tamen posterioribus temporibus omnes judices sorte designari soliti

(119) PAUSAN. IV. 5. 4.

(120) Ejus tamen meminit PLUTARCHUS Solon. cap. 14.

(121) SCHOL. ad Demosth. Orat. adv. Stephan. P. II. Schol. p. 111. Reisk.

(122) POLLUX VIII. 125; cujus verba: τὸ τῶν ἐφετῶν δικαστήριον, quae MATTHIAEO De Jud. Ath. p. 159. obscura videntur, nihil aliud, nisi *collegium Ephetarum*, significant. Ceterum plura de hac electione dedit idem MATTHIAEUS l. l. p. 157.

sint; deinde quod Pisistratidarum dominatio in eo posita fuisse dicitur, ut ipsi sibi munera publica vindicarent (123). Solon autem Archon a civibus electus est (124), sed post ejus aetatem haec magistratuum creandorum ratio plane immutata est et novem Archontes non populi suffragiis, sed sorte electos, et fabâ quidem missâ, constat (125).

Omnes autem omnino magistratus, qui ad honores capiendos aut ad publicum aliquod negotium administrandum, quod ultra triginta dies duraret; omnes, inquam, sive aedificia publica curarent, sive judiciis praeessent, qui a populo creabantur aut sorte eligebantur, antequam munere suo fungi inciperent, probationi cuidam (*δοκιμασίᾳ*) subjecti erant (126).

(123) HEROD. I. 59. THUCYD. VI. 54. PLUTARCH. Solon. cap. 31.

(124) PLUTARCH. Solon. cap. 14. AELIAN. V. H. VIII. 10. Ex eo autem, quod Aelianus ut singulare aliquid animadvertit, *οὐ γὰρ κληρωτὸν τοῦτον*, non sequitur, tum temporis sortem in usu fuisse; sed hanc Aelianus antiquissimae constitutionis explicationem suis aequalibus necessariam judicasse videtur.

(125) Vid. MEURS. De Arch. Ath. Lib. I. cap. 9. Praecipue vero PERIZON. ad Aelian. V. H. VIII. 10. HEROD. VI. 109. DEMOSTH. in Timocrat. p. 747. 3. in Boeot. de nom. p. 997. 16. in Neaer. p. 1369. 16. PLUTARCH. Pericl. cap. 9. Aristid. cap. 1. PAUSAN. IV. 5. 4. POLLUX VIII. 118. CORSINI Fast. Att. Dissert. 1. 15. p. 18. sq.

(126) AESCHINES adv. Ctesiphon. p. 400. *Πάντας, ὅσοι διαχειρίζουσί τι τῶν τῆς πόλεως πλέον ἢ τριάκονθ' ἡμέρας, καὶ ὅσοι λαμβάνουσιν ἡγεμονίας δικαστηρίων. Οἱ δὲ τῶν ἔργων ἐπιστάται πάντες ἡγεμονίᾳ χρῶνται δικαστηρίου — ἄρχειν δοκιμασθέντας.* Hinc vocantur a LYSIA, Orat. II. in Alcibiad. p. 152. edit. Tauchn. *οἱ τιθέντες τὸν ἀγῶνα καὶ τὴν ψῆφον διδόντες.* AESCHIN. l. l. p. 403. 424. 425. POLLUX VIII. 44. : *δοκιμασία δὲ τοῖς Ἄρχουσιν ἐπηγγέλλετο καὶ τοῖς κληρωτοῖς καὶ τοῖς αἱρετοῖς* (quod itaque vocabulum proprios *αἱρετοὺς* et *χειροτονήτους* simul complectitur) *εἴτ' ἐπιτήδειοί εἰσιν ἄρχειν εἴτε μή.* Cum igitur LYCURGUS apud *Harpocrat.* et SUIDAS in *Δοκιμασθείς* (quos alii v. c. Lexicon Rhetor. p. 235. 11. secuti sunt) de tribus *δοκιμασίαις*, novem Archontum, Strategorum et Oratorum loquitur, binae priores indicant *δοκιμασίαν* sortitorum electorumque magistra-

Haec autem δοκιμασία in Archontes quoque, ab hisque electos Paredros bis competebat, prius apud quingentorum senatum, deinde apud judices (127). Utriusque autem examinis (ἀνακρίσεως), id est, illius, quae apud quingentorum senatum, et illius, quae apud judices fiebat, eadem erant capita. Eidem huic duplici examini subjecti quoque erant Thesmothetae, qui ad leges ferendas eligebantur, ab Archontibus hujus nominis diversi (128): neque vero Areopagitae, qui Archontes antea fuerant; reddita enim ab ipsis, tamquam Archontibus, ratio vicem probationis sustinebat (129).

Nunc ex iis, quae sequentur, satis, credo, declarabitur, in examinandis magistratibus non solum morum, dignitatis et juris illius, quod omnes cives Athenienses ad munera publica obeunda habebant, sed etiam intelligentiae prudentiaeque habitam esse rationem. Interrogabantur enim cum alii magis-

tuum, quia orator praecipuas utriusque generis nominat. Archontes nimirum et Strategos curandis et administrandis negotiis ejus classis, ad quam pertinerent, quandoque praefuisse, patet itidem, v. c. ex Lexic. Rhet. 268. 28. De posteriorum δοκιμασίᾳ cf. etiam POLYBIUS XII. 13. 5. ibique SCHWEIGHAEUSERUS; SCHOL. ad *Demosth.* adv. Androtion. p. 140. Reisk. BEKKERI Anecd. Gr. P. I. p. 235. δοκιμασία. Cf. omnino PLATNER *Beitraege zur Kenntniss des Attischen Rechts* p. 229. BERGMAN. ad Isocratis Areopagit. p. 107. PETITUS Legg. Att. Lib. III. 2. p. 320 sqq.

(127) DEMOSTH. in Eubulid. p. 1320. 18. ARISTOT. De Atheniens. Republ. ap. *Harpocr.*, PHOTIUM et SUIDAM voce Πάρεδρος. Cf. POLLUX VIII. 86. 92. HESYCHIUS voce εὐθύνας. Argument. Orat. DEMOSTH. in Androtion. p. 589. 2.

(128) DEMOSTH. in Leptin. p. 484. 17.

(129) LYSIAS de Evandro p. 232. Tauchn. BEKKERI Anecd. Gr. P. I. p. 222. 7. WICH. VAN SWINDEREN De Senat. Areop. p. 18.

tratus, tum maxime Archontes (130) : « *Num ex utroque parente essent Athenienses a tertiâ usque generatione et ex quo populo?* Εἰ Ἀθηναῖοι εἰσὶν ἑκατέρωθεν ἐκ τριγονίας, καὶ τῶν δήμων πόθεν (131); item *num illis esset Apollo Patrius et Jupiter Herceus?* Εἰ Ἀπόλλων ἐστὶν αὐτοῖς Πατρῷος, καὶ Ζεὺς Ἑρκεῖος; quibus enim non erat Apollo Patrius et Jupiter Herceus, peregrini et advenae censebantur. Nam sic legimus apud *Aristophanis* SCHOLIASTAM : ὡς πρόγονον οὖν αὐτὸν (Apollinem Patrium), ἐτίμων καὶ οἱ Ἄρχοντες, ὅτε ἐχειροτονοῦντο sive ἐδοκιμάζοντο. Ἐκ γὰρ τοῦ μὴ εἰδέναι ξένους αὐτοὺς ἐνόμιζον (132). Ipse autem ARISTOPHANES inquit :

. . . . οὐκ εἰσὶ Βάρβαροι,
Ὅθεν ὁ Πατρῷός ἐστιν (133).

Ad Jovem autem Herceum quod attinet, neminem porro habitum fuisse civem Atheniensem, nec proinde ad rem publicam accedere potuisse, nisi qui et Jovem Herceum haberet, ex hisce Harpocrationis e Dinarcho, Hyperide et Demetrio verbis patet : Ἑρκεῖος Ζεύς. Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Μοσχίονος· εἰ Φρά-

(130) Haec quidem ἀνάκρισις dicitur Thesmothetarum; sed est revera omnium Novemvirorum : itaque quae JUL. POLLUX VIII. 86. refert : Ἐκαλεῖτο δέ τις Θεσμοθετῶν ἀνάκρισις, usurpari scribit DEMOSTHENES p. 1319. 20 R. ἐν τῇ τῶν ἐννέα Ἀρχόντων ἀνακρίσει. Sic enim loquitur : ὥσπερ τοὺς Θεσμοθέτας ἀνακρίνετε, ἐγὼ τὸν αὐτὸν τρόπον ἐμαυτὸν ὑμῖν ἀνακρίνω· ὦ ἄνθρωπε, τίς ἦν σοι πατήρ; ἐμοὶ Θεύκριτος· οἰκεῖοι τίνες εἶναι μαρτυροῦσιν αὐτῷ; κ. τ. λ. et pag. 1320. 18. Ἀνακρίνετε τοὺς ἐννέα Ἄρχοντας, εἰ τοὺς γονέας εὖ ποιοῦσιν. HEACLID. PONTIC. Fragm. p. 4. Koeler : εἰσὶ δὲ καὶ ἐννέα ἄρχοντες, ὧν θεσμοθέται, καὶ οἱ δοκιμασθέντες ὀμνύουσι κ. τ. λ.

(131) Archontes tantum illud interrogabantur. POLLUX VIII. 85.

(132) Nub. v. 1470.

(133) Avib. v. 1525. Ceterum hanc rem illustrat MEURSIUS Att. Lect. V. cap. 6.

τορες αὐτῷ καὶ βωμοὶ Διὸς Ἑρκείου, καὶ Ἀπόλλωνος Πατρῴου εἰσίν. Ὅτι δὲ τούτοις μετῆν τῆς πολιτείας, οἷς εἴη Ζεὺς Ἑρκεῖος, δεδήλωκε καὶ Ὑπερίδης ἐν τῷ ὑπὲρ δημοποιητοῦ, εἰ γνήσιος, καὶ Δημήτριος ἐν τοῖς περὶ τὴν ἐν Ἀθήνησι νομοθεσίαν. Ceterum qui in Phratorum album referebantur, eos ad Apollonis Patrii et Jovis Hercei adductos fuisse declarant haec DEMOSTHENIS verba : *Ἀλλὰ παιδίον ὄντα με εὐθέως ἦγον εἰς τοὺς Φράτορας, εἰς Ἀπόλλωνος Πατρῴου ἦγον, εἰς τἄλλα ἱερά* (134).

Ceterum Archontes fieri non potuisse, qui corpus suum prostituissent, ex quodam Aeschinis loco docuit MEURSIUS (135). Eâ dignitate etiam arcebantur, qui civitate a populo essent donati (136); neque vero eorum liberi, cum essent cive matre geniti (137); vel si POLLUCIS (138) sententia magis placet, posteri in tertio consanguinitatis gradu. Unusquisque autem

(134) In Eubulid. p. 1315. 14.

(135) De Arch. Ath. Lib. I. cap. 9.

(136) DEMOSTH. in Neaer. p. 1376. 12. *ὅσους γὰρ ἂν ποιήσηται ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων πολίτας, ὁ νόμος ἀπαγορεύει διαῤῥήδην μὴ ἐξεῖναι αὐτοῖς τῶν ἐννέα Ἀρχόντων γενέσθαι.*

(137) DEMOSTH. Ibid. *Τοῖς δ' ἐκ τούτων μετέδωκεν ἤδη ὁ δῆμος ἁπάντων, καὶ προσέθηκεν ἐὰν ὦσιν ἐκ γυναικὸς ἀστῆς καὶ ἐγγυητῆς κατὰ τὸν νόμον.* Decretum de donatâ Plataeensibus civitate ibidem p. 1380. 27. coll. 1381. 19. refertur. Cf. etiam PETITUS Legg. Att. Lib. III. Tit. II. p. 323. Lib. II. Tit. III. p. 307. sq. Errat autem vir doctus, non minus atque ille, quem secutus est, cum dicit : « Quin etiam tandem adscriptis civibus id concessum fuisse colligo e PLUTARCHO, qui civitate Atheniensi donatus est, et relatus in Tribum Leontidem, ut ipse testatur *Συμποσιακῶν* Lib. I. Problemate 10. Nam Plutarchus ipse Archon creatus est, ut scribit ejusdem operis Lib. II. Problemate ultimo, nam ita habent Codices, quibus usus est vernaculus noster Interpres voce unâ auctiores vulgatis : *ὅτι τὴν ἐπώνυμον ἀρχὴν ἦρχον Ἀθήνησιν.* » Optimas enim editiones loco *Ἀθήνησιν* habere *οἴκοι*, nemo nescit.

(138) VIII. 85.

Archon Apollinem Patrium et Jovem Herceum habere debebat (139); quod absque dubio ad jura Φυλῶν καὶ δήμων refertur. Qui autem populi jussu civitate donati erant, v. c. Ποιητοί vel δημοποίητοι, ii in tribuum et curiarum, Φυλῶν καὶ δήμων, tabulas referebantur et aequo cum genuinis civibus jure utebantur.

Filii itaque novorum civium, ut Archontes fieri possent, debebant prius in tribuum et curiarum tabulis inscripti esse. Quomodo autem filii illud munus obtinebant, cùm eo exclusi essent patres? Conjicere possimus adoptionem hac in causså fuisse in usu. Juxta HYPERIDEM apud Harpocrationem (140) Jupiter Herceus erat conditio obtinendae πολιτείας, vel eo saltem nomine jus ad πολιτείαν probabatur.

Interrogabantur deinde, *an debitum parentibus cultum exhiberent?* Εἰ τοὺς γονέας εὖ ποιοῦσι; his commode addi potest praeclarus ille DINARCHI locus : Πρὸς δὲ τούτοις, ἀνακρίναντες τοὺς τῶν κοινῶν τι μέλλοντας διοικεῖν, τίς ἔσται τὸν ἴδιον τρόπον; εἰ γονέας εὖ ποιεῖ; εἰ τὰς στρατείας ὑπὲρ τῆς πόλεως ἐστράτευται; εἰ ἱερὰ πατρῷα ἔστιν; εἰ τὰ τέλη τελεῖ (141); *quibus per se sit moribus praeditus (Archon)? An habeat sacra paterna? num tributa solvat?* Rogabantur et id Archontes, *utrum parentum suorum tumulos, uti oporteret, ornarent?* quod his verbis expressit XENOPHON :

(139) POLLUX l. l. coll. DEMOSTH. in Eubulid. p. 1319.

(140) Voce Ἑρκεῖος Ζεύς.

(141) In Aristogit. p. 86. Reisk. (Oratt. Graec. T. IV.); ex quo loco intelligitur, ceteris magistratibus itidem has quaestiones propositas esse.

Καὶ νὴ Δία ἐάν τις τῶν γονέων τελευτησάντων τοὺς τάφους μὴ κοσμῇ, καὶ τοῦτο ἐξετάζει ἡ πόλις ἐν ταῖς τῶν Ἀρχόντων δοκιμασίαις (142). Et haec quidem interrogatio aequissima erat : quomodo enim, qui in parentes impii sunt, possunt in patriam bene affecti censeri ?

Tertio loco interrogabantur, *num pro patriâ militaverint?* *Εἰ ἐστρατεύοντο ὑπὲρ τῆς πατρίδος*; Non certum est, utrum hoc de omnibus stipendiis legitime confectis intelligendum sit. Nemo enim stipendia mereri poterat ante quadragesimum aetatis annum; quod si hoc modo de omnibus stipendiis accipiendum est, nonnisi post annum aetatis quadragesimum sorte capi Archontes poterant.

Quarto loco rogabantur, *num censum habeant?* *Εἰ τὸ τίμημά ἐστιν αὐτοῖς*; Intelligendus autem est *τῶν Πεντακοσιομεδίμνων* census. Cum enim Theseus magistratus penes nobiles et potentiores esse voluisset, novem Archontes e nobilibus maxime electi sunt. Unde Solon, qui vetustum magistratuum creandorum morem non immutatum conservavit, *Πεντακοσιομεδίμνοις* constituit *τὰς ἀρχὰς ἀπολιπεῖν*. Unde DEMETRIUS PHALEREUS (143) in eo libro, qui inscribebatur *Socrates*, ubi de Aristide Lysimachi filio sermo est, *τεκμήρια τῆς περὶ τὸν οἶκον εὐπορίας ἓν μὲν ἡγεῖται τὴν Ἐπώνυμον ἀρχὴν, ἣν ἦρξε τῷ κυάμῳ λαχὼν ἐκ τῶν γενῶν τῶν τὰ μέγιστα τιμήματα κεκτημένων, οὓς Πεντακοσιομεδίμνους προση-*

(142) Memor. II. 2. 13. Haec quidem *δοκιμασία* ad omnes magistratus refertur.
(143) Apud Plutarch. Aristid. cap. 1. initio.

γόρευον. Quamquam hic ipse Aristides post bellum Persicum secundum ad omnes fere magistratus, et qui suffragiis et qui sorte capiebantur, omnibus civium classibus aditum dedit: *κοινὴν εἶναι τὴν πολιτείαν καὶ τοὺς Ἄρχοντας ἐξ Ἀθηναίων πάντων αἱρεῖσθαι*, nullâ census, nullâ *τῆς εὐγενείας*, habitâ ratione (144).

Denique interrogabantur, *utrum integri corporis essent? εἰ ἀφελεῖς* (145). Hanc quidem interrogationem ad Archontem Regem tantum factam esse refert ETYMOLOGUS: *Καὶ οἱ βασιλεῖς ἐδοκιμάζοντο Ἀθήνησιν* (146), additque *ὁλόκληροι*, quod est glossema prioris vocis; est enim *ἀφελής*, ut ipse explicat, *ὁ ὑγιὴς τὸ σῶμα καὶ ὁλόκληρος παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις*. Sed hoc de omnibus Novemviris observatum fuisse, patet ex eo, quod nemo in bello vulneratus aut mutilatus, qui *ἀδύνατος* apud Athenienses dicebatur, in Archontum numerum inscribi, *τῶν ἐννέα Ἀρχόντων γενέσθαι*, poterat. Ejusmodi rei exemplum exstat apud LYSIAM, ubi haec leguntur:

Τοσοῦτον δὲ διενήνοχεν ἀναισχυντίᾳ τῶν ἁπάντων ἀνθρώπων, ὥστε καὶ ὑμᾶς πειρᾶται πείθειν, τοσούτους ὄντας εἷς ὤν, ὡς οὐκ εἰμὶ τῶν ἀδυνάτων ἐγώ· καίτοι εἰ τοῦτο πείσει τινὰς ὑμῶν, ὦ βουλή, τί με κωλύει κληροῦσθαι τῶν ἐννέα Ἀρχόντων (147); et paullo post:

(144) PLUTARCH. Aristid. cap. 22. ubi *οἱ Ἄρχοντες* non solum Novemviri illi sunt, sed omnino magistratus. Cfr. PERIZON. ad Aelian. VIII. 10. CORSIN. F. A. Dissert. I. §. 12. p. 15. et SCHOEMANN. De Comitiis Athen. cap. XI. p. 312. not. 10.

(145) LYSIAS De Invalido p. 215. Tauchn. p. 749. sq. Reisk. (Oratt. Gr. T. V.) et ETYMOLOGICUM MAGN. Voce *ἀφελής*. p. 176. Sylb.

(146) ETYMOL. MAGN. l. l. Cfr. PETITI Legg. Att. Lib. I. Tit. 2. 11.

(147) Loco laudato.

Οἱ δὲ, ὡς ἀδύνατον ὄντα, κληροῦσθαι κωλύσουσιν. — Et infra ex ἀδυνάτου personâ : Ἐπειδὴ γὰρ, ὦ βουλὴ, τῶν μεγίστων ἀρχῶν ὁ δαίμων ἀπεστέρησεν ἡμᾶς, et ibidem : Πῶς οὖν οὐκ ἂν δειλαιότατος εἴην, εἰ τῶν μὲν καλλίστων καὶ μεγίστων διὰ τὴν συμφορὰν ἀπεστερημένος εἴην (148).

Neque enim a capessendo hoc magistratu, quod paupertate premerentur, ἐντὸς τριῶν μνῶν κεκτημένοι tantum arcebantur, sed, quia erant τὸ σῶμα πεπηρωμένοι, quod manifesto declarant LYSIAE verba laudata :

Οὐ γὰρ δήπου τὸν αὐτὸν ὑμεῖς μὲν, ὡς δυνάμενον ἀφαιρήσεσθε τὸ διδόμενον, οἱ δὲ, ὡς ἀδύνατον ὄντα, κληροῦσθαι κωλύσουσιν. Sensus est : non aequum esse, ut, qui fraudatur pecuniâ, quae τοῖς ἀδυνάτοις secundum leges e publico dabatur, ὡς ὑγιαίνων καὶ τῷ σώματι δυνάμενος prohibeatur κληροῦσθαι τῶν ἐννέα Ἀρχόντων, quia scilicet ἀδύνατος καὶ ἀνάπηρος est : neque hic quicquam περὶ εὐπορίας ἢ ἀπορίας, sed tantum περὶ τοῦ τῷ σώματι δύνασθαι, ἢ εἶναι τῶν ἀδυνάτων, ne pecuniam e publico acciperet : at rursus fatebantur ἀδύνατον esse, id est, πεπηρωμένον τὸ σῶμα, ne posset κληροῦσθαι τῶν ἐννέα Ἀρχόντων, additque se διὰ τὴν συμφορὰν ἀπεστερημένον τῶν ἐννέα Ἀρχόντων.

Approbati autem a senatu itemque a judicibus Novemviri ex lege Solonis ad Lapidem in foro jurabant, se leges observaturos, aut, si quam violassent, statuam pondere sibi parem

(148) LYSIAS ibid. p. 217. Tauchn.

ex auro Delphis dedicaturos. Quam ipsam rem ita narrat PLUTARCHUS :

Κοινὸν μὲν οὖν ὤμνυεν ὅρκον ἡ βουλὴ, τοὺς Σόλωνος νόμους ἐμπεδώσειν, ἴδιον δ᾽ ἕκαστος τῶν Θεσμοθετῶν ἐν ἀγορᾷ πρὸς τῷ λίθῳ, καταφατίζων, εἴ τι παραβαίη τῶν θεσμῶν, ἀνδριάντα χρυσοῦν ἰσομέτρητον ἀναθήσειν ἐν Δελφοῖς (149). Non autem ad solos Themothetas, sed ad omnes Novemviros id jusjurandum pertinuisse, declarant haec PLATONIS verba : Καί σοι ἐγὼ, ὥσπερ οἱ ἐννέα Ἄρχοντες, ὑπισχνοῦμαι χρυσῆν εἰκόνα ἰσομέτρητον εἰς Δελφοὺς ἀναθήσειν (150).

Praeterea Archontes vitae tam integrae tamque honestae voluit esse Solon, ut, si quis eorum vino sese ingurgitavisset, morte multaretur, ex hac lege a DIOGENE LAERTIO (151) prolatâ : Τῷ Ἄρχοντι, ἂν μεθύων ληφθῇ, θάνατος ἔστω ἡ ζημία. Quamvis

(149) Solon. cap. 25. ad quem locum cf. *Philolog. Blaetter*, Breslau 1817. Part. I. p. 101. POLLUX VIII. 9. 86. qui hoc juramentum in porticu regiâ praestitum in acropoli mox repeti solitum esse tradit. Ὤμνυον δὲ οἱ Θεσμοθέται πρὸς τῇ Βασιλείῳ στοᾷ, ἢ ἐπὶ τοῦ λίθου, ἐφ᾽ ᾧ τὰ ἱερὰ, συμφυλάξειν τοὺς νόμους, καὶ μὴ δωροδοκήσειν, ἢ χρυσοῦν ἀνδριάντα ἀποτίσαι. Εἶτα ἐντεῦθεν εἰς ἀκρόπολιν ἀνελθόντες, ὤμνυον ταὐτά. HERACLID. PONTIC. De Reb. Publ. cap. 1. p. 4. extr. Koeler. εἰσὶ δὲ καὶ ἐννέα ἄρχοντες, ὧν θεσμοθέται καὶ οἱ δοκιμασθέντες ὀμνύουσι, δικαίως ἄρξειν καὶ δῶρα μὴ λήψεσθαι, ἢ ἀνδριάντα χρυσοῦν ἀναθήσειν : ubi equidem codicum vestigia secutus ejecerim verba θεσμοθέται καὶ, neque tamen ita acceperim locum cum KOELERO (p. 32), quasi interdictum fuerit Archontibus aureas statuas ponere. Fuit enim haec poena officii neglecti. Quod testantur etiam SUIDAE verba p. 69. Kust. ὤμνυον οἱ Ἀθήνησιν ἄρχοντες, ἂν μὴ παρέλθωσιν, ἐφ᾽ οἷς ἂν ἄρχωσιν, χρυσῆν εἰκόνα αὐτῶν ἀναθήσειν ἐν ἄστει, ἐν Πυθοῖ, ἐν Ὀλυμπίᾳ : ubi haud scio an supervacanea sit correctio FR. ASTII (ad Platon. Phaedr. p. 248) statuentis legendum esse ἄν τι παρέλθωσιν. Cf. Jo. TOUPII Curae novissimae notar. et emendatt. in Suidam (in Opusc. Critt. ed. Lips.) p. 300.

(150) Phaedr. p. 235. D.

(151) SOLONE I. 57.

autem hujus legis verba ad quosvis magistratus spectare videantur, proprie tamen eam Archonti τῷ Ἐπωνύμῳ, qui fastos signabat, scripsisse videtur Solon : nam πρὸς τὸν Ἄρχοντα (τὸν Ἐπώνυμον) λαγχάνονται δίκαι παροινίας, ut ait JULIUS POLLUX (152).

Ut alii quidam magistratus, sic et novem Archontes coronas, myrteas fortasse, capiti impositas pro muneris insigni gestare solebant, quo cum ornati erant, eos verbis aut factis laedere nefas erat et gravissimae ἀτιμίας poenae obnoxium (153).

Et ita severe in eos animadversum est, qui Archontem coronatum, id est, suo munere fungentem verberassent aut conviciis insectati essent, quia civitati legibusque propria, non privato alicui fiebat injuria : ὅτι τοὺς νόμους, inquit DEMOSTHENES, ἤδη ὁ τοῦτο ποιῶν προσυβρίζει, καὶ τὸν ὑμετέρον κοινὸν στέφανον, καὶ τὸ τῆς πολέως ὄνομα· ὁ γὰρ Θεσμοθέτης, οὐδενὸς ἀνθρώπων ἐστ' ὄνομα, ἀλλὰ τῆς πόλεως (154).

Huc etiam pertinet lex inde a Cleonis temporibus lata, quae solos Archontes maledictis in scenâ lacessi vetuit (155);

(152) VIII. 9. 89. Postremi tamen editores receperunt alteram lectionem παρανοίας.

(153) Cf. hoc de more POLLUX VIII. 86. ALCIPHRON. II. epist. 3. p. 299. ibique BERGLERUS. p. 305. MEURS. Lect. Att. Lib. VI. cap. 6. et quae plura eam in rem disputavit CORSINUS Fast. Att. I. 21. p. 24. sqq. Oratores quoque, cum verba ad populum facerent, eodem insigni ornatos et quasi inviolabiles fuisse ex Demosthenis verbis aliisque locis probat SCHOEMANN De Comitiis Atheniensium, I. 10. p. 113.

(154) Advers. Midiam. p. 524. 23. coll. p. 1269. 23. 1270. 22. Reisk. Add. CORSINI l. l. MEURS. De Arch. Ath. Lib. I. cap. 9.

(155) SCHOL. ad Aristophan. Nubes. v. 31. PETITI Leges Atticae I. 1. 35. p. 150.

cum tamen omnes alii magistratus, populus universus, ipsique etiam Dii in scenam adducti deridendi praeberentur, cujus rei exempla nobis maxime praebent Aristophanis comoediae (156).

Ceterum lege cautum erat, ut quisquis Rex (Βασιλεύς) fieret, uxorem civem atque virginem duceret, (quae Βασίλισσα appellabatur). Idque sancitum est propterea, ne quid in sacris quae cum uxore suâ Rex curabat, secus et praeter ritus patrios fieret. Lex autem perscripta erat in columnâ lapideâ juxta aram Bacchi ἐν Λίμναις. Quam ipsam rem ita exponit DEMOSTHENES: Ἐπειδὴ δὲ Θησεὺς συνῴκισεν αὐτοὺς (Ἀθηναίους) καὶ δημοκρατίαν ἐποίησε, καὶ ἡ πόλις πολυάνθρωπος ἐγένετο, τὸν μὲν Βασιλέα οὐδὲν ἧττον ὁ δῆμος ᾑρεῖτο ἐκ προκρίτων κατ᾽ ἀνδραγαθίαν χειροτονῶν· τὴν δὲ γυναῖκα αὐτοῦ νόμον ἔθετο ἀστὴν εἶναι, καὶ μὴ ἐπιμεμιγμένην ἑτέρῳ ἀνδρὶ, ἀλλὰ παρθένον γαμεῖν, ἵνα κατὰ τὰ πάτρια θύηται τὰ ἄῤῥητα ἱερὰ ὑπὲρ τῆς πόλεως, καὶ τὰ νομιζόμενα γίγνηται τοῖς θεοῖς εὐσεβῶς, καὶ μηδὲν καταλύηται μηδὲ καινοτομῆται. καὶ τοῦτον τὸν νόμον γράψαντες ἐν στήλῃ λιθίνῃ, ἔστησαν ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Διονύσου παρὰ τὸν βωμὸν ἐν Λίμναις (157).

Tenebatur autem Rex, si maritus fieret intra administrationis suae annum, uxorem ducere civem, quod illi cum ceteris omnibus Atheniensibus commune erat, et praeterea virginem illibatam; aut si jam maritus esset, in ἀνακρίσει interrogabatur, an civem et virginem in uxorem duxisset (158).

(156) PETITUS Op. laud. I. 1. 36. p. 151.
(157) In Neaer. p. 1370. 21.
(158) DEMOSTH. l. l. p. 1372. 9. quem locum illustravit CORSINUS F. A. Dissert. I. 28. p. 33. sqq.

Antequam Novemviri magistratum inirent, de omni retrorsus vitâ actâ caussam dicere solebant; quod si nullam dedecoris labem perpetuâ innocentiâ contraxisse videbantur, ad τὴν ἀρχήν adsumebantur. Deinde magistratus gesti caussam dicentes rationesque ferentes (159), si tum quoque innocentes usque quâque apparuissent, ad Areopagiticum senatum conscribebantur Solonis instituto: Τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν εἶναι ἐκ τῶν κατ' ἐνιαυτὸν Ἀρχόντων (160).

Haec autem Areopagi institutio diversissima erat a ceteris magistratuum institutionibus. Areopagitarum enim munera perpetua erant (161). Omnes autem Novemviri ratione rei publicae administratae redditâ ac probatâ in illud consilium (βουλήν) (162) adsciscebantur (163). Aliis vero placet sex

(159) A novem Archontibus, ut ab aliis plurimis magistratibus, ratio rei publicae administratae repetita est, quae εὐθύνη dicebatur. De Paredrorum, εὐθύνῃ Cf. ARISTOT. ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ, ap. *Harpocr.*, *Photium et Suidam*, voce Πάρεδρος, et HESYCHIUS voce εὐθύνας.

(160) PLUTARCH. Solone cap. 19. Cf. etiam Th. BERGMAN. ad Isocratis Areopagit. p. 128. sq. et WICH. VAN SWINDEREN Comment. De Senatus Areopagit. auctoritate. p. 16. MEURSIUS Op. laud. Lib. I. cap. 9. p. 1160. SIGONIUS De Rep. Ath. Lib. II. cap. 5.

(161) Argument. Orat. DEMOSTHENIS Adv. Androtion. p. 587. 1. p. 589. 9. SUIDAS voce Ἄρειος πάγος.

(162) Quum de summis rebus Areopagitae consultarent, consilii, βουλῆς, nomen adipiscebantur.

(163) PLUTARCH. Solon. cap. 19. Συστησάμενος τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν ἐκ τῶν κατ' ἐνιαυτὸν Ἀρχόντων, ἧς διὰ τὸ ἄρξαι καὶ αὐτὸς μετεῖχεν. Cf. tamen idem, Pericl. cap. 9. ἐχρῆτο κατὰ τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς, ἧς αὐτὸς οὐ μετεῖχε, διὰ τὸ μήτ' Ἄρχων, μήτε Θεσμοθέτης, μήτε βασιλεὺς, μήτε Πολέμαρχος λαχεῖν. αὗται γὰρ αἱ ἀρχαὶ κληρωταί τε ἦσαν ἐκ παλαιοῦ, καὶ δι' αὐτῶν οἱ δοκιμασθέντες ἀνέβαινον εἰς Ἄρειον πάγον. POLLUX VIII. 118. οἱ δὲ ἐννέα Ἄρχοντες οἱ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, μετὰ τὸ δοῦναι τὰς εὐθύνας ἀεὶ τοῖς Ἀρεοπαγίταις προσετίθεντο. Cfr. insuper Argument. Orat. DEMOSTH. Adv. Androtion. p. 589. 5. Lexicon in BEKKERI Anecd. Gr. P. I. p. 222. 7.

tantum Thesmothetas post exactum sui magistratus tempus in Areopagitarum consilium quotannis adoptatos esse, tradente LIBANIO in Androtioneae argumento : *Δευτέρα διαφορὰ, ὅτι ἡ μὲν τῶν Πενταχοσίων βουλὴ ἀριθμῷ ὑποπίπτει ὡρισμένῳ· ἡ δ᾽ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, ἀορίστῳ· ὡς γάρ τινες τῶν ῥητόρων λέγουσι, κατ᾽ ἔτος οἱ ἐννέα Ἄρχοντες αὐτῇ προσετίθεντο· ὡς δέ τινες, ὅτι καὶ ἓξ μόνον Θεσμοθέται. Οἱ δὲ ἐννέα Ἄρχοντες, ἐνιαυτὸν μόνον ἦρχον, πρὸ τῆς ἀρχῆς κρινόμενοι περὶ τοῦ προσ-λαβόντος παντὸς βίου. Καὶ εἰ μὲν εὑρέθησαν ἐν πᾶσι δίκαιοι, ἦρχον τὸν ἐνιαυτὸν. Εἶτα πάλιν μετὰ τὸν ἐνιαυτὸν ἐκρίνοντο, εἰ καλῶς ἐν αὐτῷ ἦρξαν, καὶ εἰ δικαίως ὤφθησαν ἄρξαντες, προσετίθεντο τῇ βουλῇ τῶν Ἀρειοπαγι-τῶν. Καὶ διὰ τοῦτο οὐχ᾽ ὑπέπιπτον ἀριθμῷ. Εἰ δὲ μὴ, ἐξεβάλλοντο.* Quid-quid ejus sit, locos in contrariam sententiam modo laudatos haud facile refelli posse existimo (164).

De numero autem Areopagitarum nihil certe statui posse, equidem puto. Id tantum conjecturâ assequi licet, si in universum quisque Novemvirorum post exactum Archontis munus decem annos vixisset, nonaginta circiter Areopagitas numerandos fuisse; neque enim majorem numerum statuendum esse, recte, meo quidem judicio, censet TITTMANNUS (165). Ceterum ex Plutarcheo loco supra laudato patet, illud consilium ex solis Archontibus fuisse compositum, quae sententia mihi summopere arridet; aliorum enim magistratuum in illud consilium adscitorum apud scriptores nulla, quod equidem sciam, usquam est mentio.

(164) Cf. CORSINUS Fast. Att. I. 27. p. 33. VAN SWINDEREN Comment. laud. p. 16.

(165) *Griech. Staatsverfassung* Lib. IV. p. 252. coll. VAN SWINDEREN. l. l.

Inter caussas autem, cur Areopago excluderentur Archontes, erat haec ad Thesmothetas proprie pertinens : si Prytanes vel Proedros, ob concionem populi de legibus subrogandis non habitam, delatos in judicium non adduxissent. *Οἱ δὲ Θεσμοθέται*, inquit DEMOSTHENES, *τοὺς ἐνδειχθέντας εἰσαγόντων εἰς τὸ δικαστήριον κατὰ τὸν νόμον, ἢ μὴ ἀνιόντων εἰς Ἄρειον πάγον, ὡς καταλύοντες τὴν ἐπανόρθωσιν τῶν νόμων* (166). « Thesmothetae autem ejus rei judicium constituunto ex lege. Contra si faxint, adscensus eis ad Areopagum occluditor, ut qui emendationem legum pro virili parte perverterint (167). »

Abibant magistratu Archontes exeunte mense Scirrhophorione seu ineunte Hecatombaeone (168); adscendebant autem in Areopagum post diem duodecimum mensis Anthesterionis seu post Anthesteria (169). MEURSIUS (170) sortito datos esse judices in Areopago colligit e SCHOLIO ad Aristophanis (171) verba :

Οὐκ ἔτος ἅπαντες οἱ δικάζοντες θάμα
Σπεύδουσιν ἐν πολλοῖς γεγράφθαι γράμμασιν·

quod sic habet : *γεγράφθαι, ἀντὶ τοῦ ὠνομάσθαι, ὥστε καὶ Ἡλιαστὰς εἶναι, καὶ πανταχοῦ αὐτοὺς ἐγγραφῆναι, σπουδάζοντες. Βούλονται δὲ καὶ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, βούλονται δὲ καὶ ἐν ἄλλῳ δικαστηρίῳ ἀναγράφεσθαι.* Sed

(166) DEMOSTH. in Timocrat. p. 707. 4. R. Cf. idem in Aristogit. II. p. 802. 6. *ὅσοις τῶν Θεσμοθετῶν οὐχ' οἷόν τ' ἐστιν εἰς τὸν Ἄρειον πάγον ἀνελθεῖν.*
(167) Ita latine vertit FR. AUG. WOLFIUS, Prolegg. ad Leptin. p. CXLVI.
(168) Cf. ANTIPHON. De Choreut. p. 786. Reisk. (Oratt. Gr. T. VII.).
(169) DEMOSTH. in Neaer. p. 1372. 6. Cf. tamen CORSINUS Fast. Att. I. 25. p. 35. sq.
(170) De Areopago. cap. 5. 11.
(171) Plut. v. 1168.

hoc Scholium parvi pretii ducendum esse, et ab homine rerum Atticarum haud satis perito profectum, recte censet HEMSTERHUISIUS ad l. l.: neque enim sorte, inquit vir ille doctissimus, quemadmodum in cetera tribunalia, in hunc itidem gravissimum Areopagitarum consessum adlegebantur. Nec e LUCIANI Dialogo (172) quidquam contra aliorum auctorum testimonia confici potest. Exhibet enim ille in eo opusculo judicium ad exemplum δικαστηρίων Atheniensium vulgarium constitutum, quod in Areopago haberi fingit, fortasse quia Dii ei intersunt. Hactenus de Novem Archontum electione.

PARS TERTIA.

DE IIS, QUAE IN UNIVERSUM AD NOVEM ARCHONTES SPECTABANT, MUNERIBUS.

NOVEM Archontes a Solone in unum collegium coactos fuisse jam supra vidimus. Sed nusquam, quod equidem sciam, memoriae proditum est, unumquemque eorum de rebus ad munus suum seorsum spectantibus ad illud collegium referre debuisse. Omnino id juris habebant, ut, si quis deprehensus esset, quo sibi commorari non liceret, v. c. judicio damnatus aut fugitivus in terris rei publicae, supplicio capitis eum punire possent. Eorum etiam erat judices Athlothetasque in sua dicasteria per sortem

(172) Bis Accusat. cap. 14. et passim.

distribuere; et Strategorum, Taxiarchorum, Hipparchorum et Phylarchorum electionem ab illis curatam, administrationem vero exploratam esse, docet JULIUS POLLUX (173): num igitur eorumdem fuit, etiam reliquos magistratus, ordinarios saltem, creare? Equidem cum praeter illos nulli a Polluce nominentur, reliquorum comitiis non Archontes praefuisse crediderim, sed eos, qui vulgo omnia comitia habere solebant, Prytanes cum Proëdris. Praeterea Ostracismo quoque aderant novem Archontes cum Proëdris illis atque Prytanibus, videbantque, ut rite omnia in ferendis suffragiis atque ordine fierent (174). Denique tributa sociorum, quae inter senatus munera a XENOPHONTE (175) numerantur, Archontibus a coactoribus (ἐκλογεῖς) tradita sunt (176). Et haec sunt fere omnia, quae omnibus simul Archontibus ex aequo jure convenirent. Priusquam vero ad ea, quae ad unumquemque eorum proxime pertinebant, progrediamur, pauca in antecessum de magistratibus universe et judiciis monenda sunt, ut, quae deinde sequantur, facilius intelligi possint.

(173) VIII. 86. 87. Ex jurejurando Thesmothetarum conjecerit forsitan aliquis, eam sortitionem ad solos Thesmothetas pertinuisse; sed hoc ita accipi vetant POLLUCIS verba: κοινῇ μὲν ταῦτα. Ἰδίᾳ δὲ, οἱ μὲν Θεσμοθέται. κ. τ. λ. Vid. ad hunc locum MEURSIUS De Arch. Ath. Lib. I. cap. 9. init. Quamquam AESCHINES adv. Ctesiphontem. p. 399. solis Themothetis munerum sortitionem adscribit. De jure vero exsules, qui irrevocati in patriam reversi essent, interficiendi novem Archontibus a POLLUCE l. l. tributo cf. MEIER De bon. damnat. p. 43.

(174) PHAVORINUS voce ὀστρακίνδα. Omnem rei ordinem ex veteribus hi imprimis accurate describunt: PLUTARCH. Vit. Aristid. cap. 7. SCHOL. ad Aristoph. Equit. v. 851. JUL. POLLUX. VIII. 20. TIMAEUS Lexic. Platon. p. 114. ETYMOLOG. M. v. Ἐξοστρακισμός.

(175) De Rep. Athen. cap. III. 2.

(176) BEKKERI Anecd. Gr. p. 245. 33. sq.

Haec itaque in judiciis Atheniensium locum habebant : si quis quempiam accusare in animo habebat, adibat magistratum eum, ad quem caussa illa proxime spectabat, atque adductis testibus, quos *κλητῆρας* appellabant (177), quem petebat, in jus ad Archontem vocabat. Archon autem accepto libello accusatorio caussam, priusquam in jus deferretur, explorabat diligenterque actorem excutiebat, an litem vellet persequi egeretque alicujus praesentiâ, quae interrogatio *ἀνάκρισις* dicebatur; denique utrum caussa esset ea, quae in jus introduci posset, examinabat, modo reus id negaret (178).

Praeterea tempus determinabat, quo caussa in jus deferretur. Legimus enim in delatione veneficii tres menses ab Archonte Rege ad informationem (*διαδικασίαν*) constitutos, quarto

(177) Cf. HARPOCRAT. et SUIDAS voce Κλητῆρες. TIMAEUS Lexic. Platon. p. 160. ibique RUHNKEN. HESYCH. in Κλητήρ, Κλητεύειν. Κλητρός; POLLUX VIII. 49. 62. Lexic. Rhet. in BEKKERI Anecd. Gr. p. 268. 11. 272. 6.

(178) HARPOCRAT. voce Ἀνάκρισις et Ἐμφανῶν κατάστασις. — Ἀνάκρισις, ἐξέτασις ὑφ' ἑκάστης ἀρχῆς γινομένη πρὸ τῶν δικῶν περὶ τῶν συντεινόντων εἰς τὸν ἀγῶνα. ἐξετάζουσι δὲ καὶ, εἰ ὅλως εἰσάγειν χρή. Vid. ibi VALESIUS p. 7. SUIDAS Ἀνάκρισις, Ἄρχων et Δίκης ἀνάκρισις. BEKKERI Anecd. Gr. I. p. 449. 25. Ἄρχοντες. ZONARAS Δίκης ἀνάκρισις· coll. DEMOSTH. in Olympiad. p. 1173. 19. sqq. p. 1175. 28. sq. in Theocr. p. 1323 sq. ISAEUS De Haered. Dicaeog. p. 107. 8. De Haered. Philoct. p. 126 sqq. POLLUX VIII. 29. DEMOSTH. in Nicostr. p. 1251. 8. 1252. sq. Οὗτοι μὲν γάρ μοι προὐκαλέσαντο, ὅτε ἡ πρώτη ἀνάκρισις ἦν, φάσκοντες ἕτοιμοι εἶναι παραδιδόναι ἐμοὶ αὐτῷ τἀνδράποδα βασανίσαι. κ. τ. λ. ubi ἀνάγνωσις idem est quod ἀνάκρισις. Conf. etiam p. 1253. 16. De hac ἀνακρίσεως quaestione omnino adeundi sunt VALESIUS ad Harpocr. p. 10. et ad Maussaci notas p. 275. Gronov. TAYLOR. ad Demosth. Orat. in Theocrin. p. 1324. 16. et MATTHIAEUS De Judiciis Atheniensium P. II. p. 256. sqq. ubi omnia accurate tractantur insignesque scriptorum loci ad rem illustrandam laudantur. In eo autem vir ille doctissimus errasse videtur, quod opus esse putet ad πρόσκλησιν magistratus auctoritate. Cf. SCHOEMANN. De Comitiis Atheniensium Cap. II. p. 165.

autem caussam in jus adductam esse (179). Omnino constat Archontum non minus atque aliorum magistratuum jurisdictionem in mulctis imponendis certis finibus fuisse limitatam; idque praesertim in caussis gravioribus obtinebat, in quibus praeterea res in judicium deferenda erat. Sic cura orborum orbarumque, earum praecipue, quae in patria bona succederent (τῶν ἐπικλήρων) et viduarum, quae post mariti mortem sese praegnantes profitentes in domo remansissent, ad Archontem spectabat (180). Si quis vero in graviore delicto manifeste deprehensus ad magistratus deferebatur, hi poterant ipsi ab eo poenam quam severissimam repetere, quae delatio nonnumquam generali nomine ἔνδειξις dicitur (181).

(179) ANTIPHON De Choreut. p. 786: Ἔδει μὲν γὰρ τὸν βασιλέα, ἐπειδὴ ἀπεγράψατο, τρεῖς προδικασίας ποιῆσαι ἐν τρισὶ μησὶ, τὴν δίκην δ᾽ εἰσάγειν τετάρτῳ μηνί.

(180) Est haec ἐπιβολή. Legitimum hujus rei ordinem exhibet DEMOSTHENES in Macartat. p. 1076. ubi sic: Ὁ Ἄρχων ἐπιμελείσθω τῶν ὀρφανῶν καὶ τῶν ἐπικλήρων καὶ τῶν οἴκων τῶν ἐξερημουμένων καὶ τῶν γυναικῶν, ὅσαι μένουσιν ἐν τοῖς οἴκοις τῶν ἀνδρῶν τῶν τεθνηκότων φάσκουσαι κυεῖν. τούτων ἐπιμελείσθω καὶ μὴ ἐάτω ὑβρίζειν μηδένα περὶ τούτους. ἐὰν δέ τις ὑβρίζῃ ἢ ποιῇ τι παράνομον, κύριος ἔστω ἐπιβάλλειν κατὰ τὸ τέλος. ἐὰν δὲ μείζονος ζημίας δοκῇ ἄξιος εἶναι, προσκαλεσάμενος πρόπεμπτα καὶ τίμημα ἐπιγραψάμενος ὅτι ἂν δοκῇ αὐτῷ, εἰσαγαγέτω εἰς τὴν ἡλιαίαν. ἐὰν δ᾽ ἁλῷ, τιμάτω ἡ ἡλιαία περὶ τοῦ ἁλόντος, ὅτι χρὴ αὐτὸν παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι. Coll. infra Part. IV. cap. I. DEMOSTH. in Mid. p. 572. 19. AESCHIN. adv. Ctesiph. p. 420. In mulctis constituendis jurisdictio senatus et Archontum conveniebat; utrorumque erat ἐπιβολὴν ἐπιβάλλειν. AESCHIN. De Falsâ Legat. p. 269. TAYLOR. ad Lysiam adv. Andocidem p. 219. sq. RUHNKEN. ad Timaeum p. 116. De classicâ loquendi formâ ἐπιβολὰς ἐπιβάλλειν cf. MEIER. De Bon. Damnat. p. 236. DEMOSTH. in Mid. l. l. Quantum autem illud τέλος apud singulos magistratus fuerit, nescimus. Apud Proëdros certe erat quinquaginta drachmarum (vid. AESCHIN. in Timarch. p. 61); apud senatum quingentarum (DEMOSTH. in Euerg. et Mnesibul. p. 1152. 10.).

(181) HERALD. Animadv. Lib. IV. cap. 9. § 2. JUL. POLLUX VIII. 49. Ἔνδειξις ὁμολογουμένου ἀδικήματος, οὐ κρίσεως, ἀλλὰ τιμωρίας δεομένου, vere quidem, sed non satis

Deferebantur autem hae delationes scripto consignatae ad aliquem ex Archontibus, sive Eponymum, sive Regem, sive Thesmothetas pro caussarum diversitate (182). Ab eo res ordinario judicio cognoscenda tradebatur; delator si calumniatus esse videretur, id est, nisi quintam suffragiorum partem tulisset, multabatur (183). Quodsi aut Prytanes ecclesiam convocare, aut Proëdri populum rogare neglexissent, alteris millenarum, alteris quadragenarum drachmarum mulcta imponebatur, Minervae sacra, nominaque eorum a quolibet cive deferri poterant per ἔνδειξιν ad Thesmothetas, qui, si delationem recipere recusarent, post exacto magistratus tempore ab Areopago excludebantur, quo alias Archontes munere bene functi adscendere solebant (184).

Epistatam etiam si suffragium populo dare recusasset sine

distincte loquitur. HERALDUS quidem l. l. § 12. putat, Polluceem de iis tantum cogitasse, qui ad condemnationem evitandam solum vertissent; horum enim de crimine, cum ipsi voluntario exilio confessi esse viderentur, nullâ amplius quaestione opus fuisse. Sed vix credendum est, Pollucem de unâ aliquâ ἐνδείξεως specie, non de universo genere cogitasse definitionemque suam ad illam solam applicuisse.

(182) POLLUX l. l. Ἔνδειξις δ' ἦν πρὸς τὸν Ἄρχοντα, id est, Eponymum. DEMOSTHENES vero in Timocr. p. 707. Thesmothetas nominat. Haec sunt ejus verba: Καὶ ἔνδειξις αὐτῶν ἔστω πρὸς τοὺς Θεσμοθέτας, καθάπερ ἐάν τις ἄρχῃ ὀφείλων τῷ δημοσίῳ· οἱ δὲ Θεσμοθέται τοὺς ἐνδειχθέντας εἰσαγόντων εἰς τὸ δικαστήριον κατὰ τὸν νόμον. κ. τ. λ. Lexicon. Rhet. in BEKKERI Anecd. Gr. P. I. p. 250. 11: Τῶν δὲ ἐνδείξεων εἰσέφερον ἐς δικαστήριον ἃς μὲν οἱ Ἕνδεκα, ἃς δὲ οἱ Θεσμοθέται. Ad Regem pertinebant sine dubio delationes eorum, qui impietatis convicti loca ea ingressi erant, a quibus per leges arcebantur. Cf. ANDOCIDES De Myster. p. 15. Opinionem eorum, qui hanc ἔνδειξιν ad senatum delatam esse censent, refellit AUG. MATTHIAEUS De Jud. Ath. P. II. p. 235. not. 12. fin.

(183) Cf. HERALDUS l. l. § 12 et 13.

(184) Hoc de more jam locuti sumus, cum agebamus de Archontum electione.

justâ caussâ, in judicium vocari potuisse per ἔνδειξιν, Socratis verba ostendunt apud PLATONEM (185). Si Sicarii (186), Sycophantae in mercatores (187), latrones, adulteri aliique id genus in manifesto delicto deprehendebantur, nec factum, cujus insimulabantur, negabant, poterant Undecimviri eos mortis supplicio afficere, quin rem ad judicium deferre tenerentur. Porro Grammatici contendunt ἔνδειξιν etiam in usu fuisse adversus proditores (188) atque eos, qui mortuos injuriis ac maledictis injuste laesissent (189); sed prior sententia non satis firmâ innititur auctoritate, quoniam vocabulum ἐνέδειξεν ibi de solâ delatione intelligendum est: quapropter ἔνδειξις adversus legatos (190) ob παραπρεσβείαν et adversus eos, qui belli temporibus hosti salgama (191) adduxissent, incertissima quo-

(185) Apolog. p. 32. A.

(186) POLLUX VIII. 49. ANTIPHON p. 707.

(187) DEMOSTHENES in Theocrin. p. 1325. 9. Huc forte etiam referendi sunt ii, qui exsules excepissent, cum legibus constitutum esset, ut eâdem poenâ multarentur, quâ ipsi exsules illegitime in patriam reversi. DEMOSTH. in Polycl. p. 1222. 3. οἱ γὰρ νόμοι οὐκ ἐῶσιν ὑποδέχεσθαι τῶν φευγόντων οὐδένα, ἢ ἐν τοῖς αὐτοῖς κελεύουσιν ἐνέχεσθαι τὸν ὑποδεχόμενον τοὺς φεύγοντας. Quamquam hac in caussâ Ephegesis vel Hyphegesis crebrius fortasse obtinuit.

(188) ULPIAN. ad Demosth. in Androt. p. 209. C. WOLF.: γίνεται ἔνδειξις καὶ τῶν προδοτῶν· τοῦτο δ' εἴρηται ἐν τῷ ἐννάτῳ τῶν Φιλιππικῶν (hoc est III. 126. 10) ἐνιαυτῷ δὲ πρότερον τῆς ἁλώσεως ἐνέδειξεν ὡς προδότην τὸν Φιλιστίδην.

(189) SUIDAS in ἔνδειξις. PETITUS Legg. Att. Lib. VI. Tit. VIII. p. 604.

(190) ISOCRAT. in Callimach. cap. II. p. 376. Coray. Φίλωνα τὸν ἐκ Κοίλης, ἐνδειχθέντα παραπρεσβεύεσθαι, καὶ περὶ μὲν τοῦ πράγματος οὐδὲν ἔχοντα ἀπολογήσασθαι, τὰς δὲ συνθήκας παρεχόμενον, ἔδοξεν ὑμῖν ἀφεῖναι.

(191) Cf. ARISTOPHANIS Equites v. 278: τουτονὶ τὸν ἄνδρ' ἐγὼ δείκνυμι καί φημ' ἐξάγειν ταῖσι Πελοποννησίων τριήρεσιν ζωμεύματα. ANDOCIDES De Reditu p. 82: Ἄνδρες βουλευταί, ἐγὼ τὸν ἄνδρα τοῦτον ἐνδεικνύω ὑμῖν σῖτόν τε εἰς τοὺς πολεμίους εἰσαγαγόντα καὶ κώπας.

que videtur. Ad posteriorem vero sententiam quod attinet, nihil ex classicorum scriptorum testimonio confici potest. Denique si quis, quo sibi commorari non licebat, animadvertebatur, si v. c. propter homicidium exsul clam in patriam redierat, jus poenae capitalis ei irrogandae Thesmothetis adscribitur. Quamquam ejusmodi caussas ad Undecimviros pertinuisse et ad Heliaeam delatas esse constat (192). Et haec sunt quidem omnia, quae de proprio magistratibus judiciorum exercendorum jure inveniamus.

Ab eorum autem sententiis provocationi ad judicia locus erat (193), quod, quoniam res testimoniis illustrari nequit, omnino intelligendum esse arbitror de omnibus illorum judiciorum generibus modo memoratis, cum in ipsis caussis, tum in earum praeparatione et adjunctis. Idem de ceteris

(192) Sic si quis in parentes peccasset aut desertâ militiâ fugitivus deprehensus esset, Undecimvirorum erat eum ad Heliaeam sistere, cujus rei lex exstat apud Demosthenem in Timocrat. p. 733. Thesmothetas vero ἔνδειξιν ad judicia detulisse docet Lexicographus apud Bekkerum Anecd. Gr. P. I. p. 250. 11. ἔνδειξις. In universum ad magistratum quod pertinet, ad quem ἔνδειξις deferenda erat, idem Lexicographus l. l. docet, alias ἐνδείξεις ab Undecimviris, alias a Thesmothetis ad judicia delata esse, et ἐνδείξεις πρὸς τοὺς κακούργους tantummodo ad priores spectasse, alias vero quascunque ad posteriores. (Cf. Demosth. l. l. p. 707. 2.). Quamquam ex quodam Andocidis loco aliquis inferre possit, ἔνδειξιν contra ipsum Andocidem, quod nullo jure mysteria invisisset, ad Archontem Regem esse delatam. Locus ille exstat in Oratione de Mysteriis p. 55. 3. ubi sic: ἐπειδὴ γὰρ ἤλθομεν Ἐλευσινόθεν καὶ ἡ ἔνδειξις ἐγεγένητο, προσῄει ὁ Βασιλεὺς περὶ τῶν γεγενημένων Ἐλευσῖνι κατὰ τὴν τελετήν, ὥσπερ ἔθος ἐστίν, οἱ δὲ πρυτάνεις προσάξειν ἔφασαν αὐτὸν πρὸς τὴν βουλήν, ἐπαγγεῖλαί τ' ἐκέλευον ἐμοί τε καὶ Κηφισίῳ παρεῖναι εἰς τὸ Ἐλευσίνιον. Ex quo certe patet hanc ἔνδειξιν ad Regem et ad Senatum pertinuisse.

(193) Plutarch. Solon. cap. 18. et Compar. Solon. cum Publicolâ cap. 2. Pollux. VIII. 62.

magistratuum actionibus dicendum est. Si enim Archon rogatus domum pupilli cujusdam, quae cura ad eum spectabat, locavisset huicque locationi apud judices intercessum esset, poterant hi impedire quominus ea locum haberet (194).

Ut autem reliqui magistratus judiciis praefecti, sic etiam novem Archontes peractâ caussae inquisitione rem ad judicia deferebant (195), quod etiam obtinuisse videtur, cum ab eorum sententiâ provocaretur. Tum jus dicebatur a judicibus, non quasi speciem poenae judices determinarent; sed Heliaea delictum pronuntiabat, atque, si id omnino ad judicium attineret, tunc speciem poenae ipsa statuebat (196). Poterat reus interea judicum jussu vinculis adstringi (197). Magistratus autem ipse judicio praeerat (198), sententiam scripto consignabat (199), delationes determinabat legesque

(194) ISAEUS De Philoct. Haered. p. 141. sq.

(195) Haec delatio εἰσάγειν dicitur occurritque passim apud scriptores. Cf. HARPOCR., PHOTIUS et SUIDAS ἡγεμονία δικαστηρίου et Πολέμαρχος (ex Aristotele); SUIDAS Ἄρχων et Ἐπιστάτης. PHOTIUS Θεσμοθέται. Lexica in BEKKERI Anecd. Gr. P. I. p. 262. 309. sq. 449. POLLUX. VIII. 38. 48. 87. 88. 93. 97. 101. SCHOLION ad Demosth. apud REISKIUM p. 90. 172. SCHOLION ad Aeschin. in Timarch. p. 722. coll. DEMOSTH. in Mid. p. 529. 18. in Aristocrat. pag. 629. 23 in Timocrat. 707. 4. 720. 23. 733. 12. in Apaturium p. 892. in Lacrit. p. 940. 9. in Macartat. p. 1076. 22. AESCHIN. in Timarch. p. 41. sq.

(196) Lex exstat apud DEMOSTH. in Mid. p. 529. in Neaer. p. 1347.

(197) XENOPH. Hist. Graec. I. 7. 2.

(198) Est haec quae vocatur ἡγεμονία δικαστηρίου, quae in quemvis magistratum, sive unus e novem Archontibus, sive Στρατηγὸς aut Λογιστὴς esset, competebat. Cf. HARPOCR. voce ἡγεμονία δικαστηρίου. Ἄλλαι πρὸς ἄλλους τῶν Ἀρχόντων ἐλαγχάνοντο δίκαι. Τὰς δὲ ἀπενεχθείσας αἱ ἀρχαὶ κατὰ τὸν αὐτὸν ἑκάστη νόμον εἰσῆγον εἰς δικαστήριον, ἡγουμένη καὶ προεστῶσα. Cf. SUID. et PHOTIUS in voce. Lexica in BEKKERI Anecd. Gr. P. I. p. 262. 309. sq.

(199) DEMOSTH. in Olympiodor. p. 1174. 13.

praelegebat (200). Jus ei quoque competebat litem irritam facere, si delator prytaneum non solveret (201), sententias quoque Diaetetarum scripto consignabat (202). Denique Solonis lege constitutum erat, ut, si quis aliquid fructuum praeter oleum ex Atticâ exportasset, Archon eum diris devoveret (203).

PARS QUARTA.

DE IIS, QUAE AD UNUMQUEMQUE NOVEM ARCHONTUM SEORSIM SPECTABANT, MUNERIBUS.

CAPUT PRIMUM.

ARCHON EPONYMUS.

In muneribus Archontis Eponymi exponendis id primum occurrit difficultatis, quod saepe Archon simpliciter nominetur, nec satis constet, utrum hoc momine Eponymus an alius

(200) Antiphon. De Caede Choreut. p. 784.
(201) Pollux VIII. 38.
(202) Demosth. in Mid. p. 542. 8.
(203) Plutarch. Solon. cap. 24. Conf. Corsinus Fast. Attic. I. 25. p. 30. sq.

Archon designetur (204). Sic AESCHINES (205) παρανόμων γραφὴν ad Archontem refert, quae tamen vi aliorum testimoniorum ad Thesmothetas pertinet. Quâ de re uberius infra dicemus.

Illud certum est, non aliam propter caussam Archontis Eponymi nomen tabulis publicis inscribi solitum esse, nisi ad designandum annum, quo quaeque res acta esset; unde postea, a Grammaticis praecipue, nomen Ἐπωνύμου ei additum est. Non solum autem in publicis scriptis illius Archontis nomen inscriptum erat, sed et in numis (206) et vulgo in omnibus, in quibus temporis quaedam designatio opus erat. Unde merito existimari licet, illud munus amplissimâ quovis tempore dignitate ab Atheniensibus esse honoratum.

Ut autem nonnullae caussae a Senatu, aliae a populo prius

(204) Cum enim, inquit REISKIUS (Ind. Demosth. voce Ἄρχων) Archontes sic nude nominantur, non semper novem Archontes designantur, sed universe fungentes honoribus et imperiis quibuscunque, quaesturâ, praeturâ, strategatu, praesidentes sive in senatu, sive in dicasterio quocunque. Foedus utique sit error, ubicunque locorum Ἄρχων aliquis appellatur, ibi statim cogitatione ad Eponymum deferri.

(205) Apud DEMOSTH. de Cor. p. 243. 12. Coll. DEMOSTH. in Aristogit. II. p. 308. 4. in Leptin. § 80. POLLUX. VIII. 87. SCHOL. ad Demosth. P. II. p. 172. Reisk.; SCHOL. ad Aeschin. in Timarch. p. 722, quod Scholion fere ad verbum ex POLLUCE exscriptum est.

(206) PLUTARCH. Aristid. cap. 5. POLLUX. VIII. 85. 89. Argum. Orat. DEMOSTH. in Androtion. p. 588. 27. HESYCHIUS et ETYMOLOGICUM M. voce Ἄρχων. Haec temporis designatio quâvis fere paginâ Graecarum historiarum occurrit. Quod attinet ad Archontum nomina Psephismatis praescripta, satis erit indicare tabulas publicas in DEMOSTHENIS Oratione de Coronâ relatas. Non est autem, quod hic de variis Psephismatum praescriptionibus loquar, neque, quantum DODWELLUS (De Cyclis Diss. III. sect. 41) et ipse CORSINUS hac in re erraverint, referam: egregie enim, meo quidem judicio, eorum errores refellit G. F. SCHOEMANN. De Comit. Ath. cap. XII. p. 137. sqq.

cognoscendae erant, quam in forensem disceptationem ipsam descenderent, sic aliae et plurimae ad unum e magistratibus ante omnia deferendae erant, qui eas et examinaret, interrogandis de crimine, argumentorum, testium ratione ac naturâ litigantibus, et judicium committeret ac constitueret judicioque ipse praeesset. Est haec *ἡγεμονία δικαστηρίου*, de quâ paullo supra diximus. Ante Solonem quidem Archontes ipsi jus dixerant, ita, ut caussas ad aliud judicium nullum rejicerent; Solon vero iis reliquit tantum jus litigantes examinandi (207). Hi itaque, quas caussas per se cognoverant, easdem etiam in judicium ducebant judiciumque publicum de iis exercebant; quod quum Senatus et populus facere non possent, tributum hoc muneris Thesmothetis, ut caussas, quas Senatus vel populus examinasset, judicio dijudicandas traderent. Neque vero quaelibet caussae omnibus magistratibus promiscue datae erant, sed sua cuique magistratui caussarum et litium genera erant cognoscenda, ut Archonti Eponymo caussae orborum orbarumque, inprimis earum, quae in patria bona succederent (*τῶν ἐπικλήρων*) (208). Porro connubia cu-

(207) SUIDAS voce *Ἄρχων. Πρὸ μὲν τῶν Σόλωνος νόμων οὐκ ἐξῆν αὐτοῖς ἅμα δικάζειν. Ἀλλ' ὁ μὲν Βασιλεὺς καθῆστε παρὰ τῷ καλουμένῳ Βουκολείῳ. Τὸ δὲ ἦν πλησίον τοῦ Πρυτανείου. κ. τ. λ. Κύριοί τε ἦσαν, ὥστε τὰς δίκας αὐτοτελεῖς ποιεῖσθαι. Ὕστερον δὲ Σόλωνος αὐτοῖς νομοθετήσαντος, οὐδὲν ἕτερον αὐτοῖς ἐτελεῖτο ἢ μόνον ὑποκρίνειν (ἀνακρίνειν) τοὺς ἀντιδίκους.* PLUTARCHUS vero diverso paullum modo loquitur, Solonem Archontibus caussas certas dijudicandas attribuisse, ita tamen, ut ab iis provocare ad populum liceret. Solon. cap. 18. *ὅσα ταῖς ἀρχαῖς ἔταξε κρίνειν, ὁμοίως καὶ περὶ ἐκείνων εἰς τὸ δικαστήριον ἐφέσεις ἔδωκε τοῖς βουλομένοις.*

(208) DEMOSTH. in Lacrit. p. 940. 9. *οὐκοῦν ἐπικλήρων καὶ ὀρφανῶν καὶ τῶν τοκέων τῷ Ἄρχοντι προστέτακται ἐπιμελεῖσθαι.* Plura hac de re paullo infra laudabimus.

rabat, et, ubi interitus periculum in quâdam familiâ imminebat, ejus erat hanc calamitatem avertere (209). Ad Archontem Eponymum etiam spectabant domus desolatae et viduae, quae post mortem mariti se praegnantes professae erant, ut ventris nomine mitterentur in possessionem bonorum et in mariti aedibus manerent (210). Jam supra diximus, ejus fuisse fundos pupillorum locare, judicium vero eam locationem irritam facere potuisse (211).

Praeterea curam habebat festorum *Διονυσίων* et *Θαργηλίων* celebrandorum (212) et sacrificiorum rite perpetrandorum (213).

(209) Hoc probabiliter refertur ad illud, quod sine progenie mortuis parentibus ex officio, ut videtur, filius adoptivus dabatur. ISAEUS De Haered. Apollod. p. 180. De Haered. Hagniae p. 298. DEMOSTH. in Macartat. p. 1077. 8. sqq. in Leochar. p. 1093. 12. sq.

(210) Lex exstat apud DEMOSTH. in Macartat. p. 1076. 14 Ὁ Ἄρχων ἐπιμελείσθω τῶν ὀρφανῶν καὶ τῶν ἐπικλήρων καὶ τῶν οἴκων τῶν ἐξερημουμένων, καὶ τῶν γυναικῶν, ὅσαι μένουσιν ἐν τοῖς οἴκοις τῶν ἀνδρῶν τῶν τεθνηκότων, φάσκουσαι κυεῖν. Hunc locum POLLUCI VIII. 89. jam admoverunt Interpretes, quem TOUPIUS, Emend. in SUID. et HESYCH. Vol. IV. p. 378. ita emendat: αἱ ἂν φάσκωσιν ἐπ' (φάσκωσι ἀπ' sphalma videtur) ἀνδρὸς τελευτῇ κυεῖν) τούτων ἐπιμελείσθω καὶ μὴ ἐάτω ὑβρίζειν περὶ τούτους. Ultima spectant ad κάκωσιν. Cf. insuper ISAEUS De Haered. Apollod. p. 179. LYSIAS De Evandro p, 232. Ed. Tauchn. Argument. ad DEMOSTH. adv. Androtion p. 588. 28. Lexicon in BEKKERI Anecd. Gr. P. I. p. 199. Ἄρχων.

(211) ISAEUS De Philoctem. Haered. p. 141. sq. 146-4. 289-5. Cf. POLLUX VIII. 89. SUID. ap. PETITUM. Legg. Att. VI. 7. 2. p. 592. Lexica in BEKKERI Anecd. Gr. P. I. p. 201. ἀποτιμηταί et p. 437. ἀποτιμᾶν et συναγ. λεξ. χρ. p. 423. 12. passim.

(212) POLLUX. l. l. coll. DEMOSTH. in Midiam p. 517. 11. Erant autem Dionysia festa Bacchi gemina, Vernalia et Autumnalia. Thargelia sacra erant Delia, Apollini, Dianae et Horis. De horum sacrorum curâ, quae ad Archontem Eponymum pertinebat, cf. SIGON. De Rep. Ath. Lib. III. cap. 7. IV. cap. 3. et AUG. BOECKH. *Vom Unterschiede der Attischen Len. Anthest. u. laendl. Dionys.* §. 22. (*Abhandl. der. Berlin. Akademie* 1816-1817.)

(213) Lexicon in BEKKERI Anecd. Gr. P. I. p. 207. ἀπὸ μισθωμάτων θύειν.

Tibicines etiam in concione Φυλῶν choris per sortem distribuebat (214). Propter munerum autem, quibus Archon Eponymus fungebatur, varietatem, solus, ut videtur, inter reliquos Archontes, fecialem (κήρυκα) habebat (215). Ceterum cognoscebat de omnibus domesticis negotiis, sive ejusmodi caussae ad familias integras, sive ad filias, quas patres haeredes reliquissent, spectarent. Porro ad eundem pertinebant caussae de possessione legitimâ injustâve haereditatum (216), actiones malae pupillorum, mulierum praegnantium parentumque tractationis (217). Apud Archontem Eponymum etiam de-

(214) Id non solum ex DEMOSTHENE in Mid. p. 519. 1. patet, sed etiam ex XENOPHONTE Hieron. cap. 9. 4. Nam tragicos et comicos choros poëtis ab Archonte per sortem esse distributos, notum est. Vid. BOECKH. *Staatsh. der Ath.* I. p. 488.

(215) Vid. Inscriptio in BERN. MONTEFALCONII Palaeographiâ Graecâ p. 148.

(216) DEMOSTH. p. 1052. 20. 1054. 17. 1080. ult. 1135. 25.

(217) Lex exstat apud DEMOSTH. in Macartat. p. 1068. 1072. 1076. De ἐπικλήροις, ὀρφανοῖς et κακώσει cf. IDEM Adv. Lacrit. p. 940. 10. οὐκοῦν ἐπικλήρων καὶ ὀρφανῶν καὶ τῶν τοκέων (nempe ne male habeantur a liberis parentes, iisque omnia e legibus praestentur) τῷ Ἄρχοντι προστέτακται ἐπιμελεῖσθαι. Iterum de ἐπικλήροις locus disertus est apud DEMOSTH. in Pantaenet. p. 976. 12. 979. sq. Adv. Stephan. p. 1135. 25. 1136. 7. ISAEUS π. τ. Πύῤῥου κλ. p. 44. POLLUX. VIII. 89. δίκαι δὲ πρὸς αὐτὸν λαγχάνονται κακώσεως (Vid. MATTHIAEUS De Jud. Athen. P. II. p. 233. not. 12.) παροινίας (leg. παρανοίας, nam actionem παροινίας ad Archontem spectasse, dubium nec verisimile est. POLLUX VIII. 88. ARISTOPHAN. Vesp. 1481) εἰς δατητῶν αἵρεσιν (sic recte JUNGERM. ex HARPOCR. voce Δατεῖσθαι, etsi, quae fuerit hujus actionis vis ac natura, vix intelligo nec post notam MAUSSACI ad Harpocr. l. l.) ἐπιτροπῆς ὀρφανῶν, ἐπιτρόπων καταστάσεις, κλήρων καὶ ἐπικλήρων ἐπιδικασίαι. HARPOCRATION et SUIDAS voce ἡγεμονία δικαστηρίου. SUIDAE verba haec sunt: Τοῖς Ἄρχουσιν οὐ πάσας πᾶσιν ἐφεῖτο δίκας εἰσάγειν, ἀλλὰ τῷ μὲν Ἄρχοντι τὰς τῶν ὀρφανῶν καὶ τὰς τῆς παρανοίας καὶ τὰς τῶν ἐπικλήρων ἐπιδικασίας. Cf. Lexica in BEKKERI Anecd. Gr. P. I. p. 199. 10. εἰσήγοντο τὸ δ' ἐν αὐτῷ (f. ἐξ αὐτοῦ) δίκαι ἐπικλήρων καὶ ὀρφανῶν καὶ τῶν τοκέων et p. 310. Πρὸς τὸν Ἄρχοντα κακώσεως ἐλαγχάνοντο γραφαὶ καὶ τῶν γονέων, εἰ τούτους τις αἰτίαν ἔχοι κακοῦν καὶ τῶν ὀφανῶν, ἔτι δὲ παρανοίας

nuntiari debebat, si qua uxor maritum deseruisset (218). Insuper ad eum spectabant lites de patrimoniis (219) actionesque malae dementiae (220). Ejus etiam erat inquirere, quam quisque

καὶ ἀργίας, ἐπιδικασίαι (adde κλήρων) καὶ ἐπικλήρων γυναικῶν. Coll. MEIER. De bonis damnat. p. 128. not. 429. PETIT. Legg. Att. Lib. VI. Tit. I. p. 542. sqq. De κακώσει ὀρφανῶν, quae in Lexic. Rhet. τοῦ ὀρφανικοῦ οἴκου κάκωσις, a PHOTIO vero παίδων κάκωσις vocatur, vid. AESCHIN. in Timarch. p. 159: τίς γὰρ ὑμῶν τὸν ὀρφανὸν καλούμενον Διόφαντον οὐκ οἶδεν, ὃς τὸν ξένον πρὸς τὸν Ἄρχοντα ἀπήγαγεν ᾧ παρήδρευεν Ἀριστοφῶν ὁ Ἀζηνιεύς, ἐπαιτιασάμενος τέτταρας δραχμὰς αὐτὸν ὑπὲρ τῆς πράξεως ταύτης ἀπεστερηκέναι. Coll. DEMOSTH. in Theocrin. 1332. 12. — De κακώσει γονέων prae ceteris egerunt PETITUS l. l. p. 240. HERALDUS VII. 23. p. 586. MATTHIAEUS l. l. p. 234 et MEIER. l. l. p. 126. sqq. quibus adde ARISTOPH. Aves v. 757. 1356. SUIDAS in πελαργικὸς νόμος et QUINTILIAN. Inst. Or. V. 10. § 97, unde patet hanc κάκωσιν saepe in Rhetorum scholis tractatam esse. LUCIAN. Patriae Encom. Tom. VIII. p. 135. Ed. Bipont. — De haereditatibus Cf. DEMOST. adv. Macart. p. 1052. 20. 1054. 17. in Leschar. p. 1080. POLLUX VIII. 62. — De δατητῶν αἱρέσει JUNGERMANN ad Pollucem VIII. 89. Ex dictis nunc patet, Archontem Eponymum curam habuisse pupillorum etc. Nullius itaque momenti habenda est sententia, quae profertur in Argumento ad DEMOSTHENIS Orationem adv. Androt. p. 588, cujus vi caussae pupillorum Archonti Regi adsignantur.

(218) DEMOSTH. in Onet. p. 871. 2. Onetorem, quum uxorem repudiasset, nec reddidisset dotem, propinqui hujus apud Archontem accusant, τὴν ἀπόλειψιν πρὸς τὸν Ἄρχοντα ἀπεγράψαντο. ANDOCIDES in Alcib. p. 118. 8. οὕτως ὑβριστὴς ἦν, ἐπεισάγων εἰς τὴν αὐτὴν οἰκίαν ἑταίρας, καὶ δούλας καὶ ἐλευθέρας, ὥστε ἠνάγκασε τὴν γυναῖκα, σωφρονεστάτην οὖσαν, ἀπολείπειν, ἐλθοῦσαν πρὸς τὸν Ἄρχοντα κατὰ τὸν νόμον. PLUTARCH. Alcib. cap. 8. — Videtur haec fuisse δίκη σίτου, quam memorat DEMOSTH. in Neaer. p. 1362. 24. consecutam esse τὸ τὴν προῖκα οὐκ ἀποδιδόναι. Cf. ISAEUS π. τ. Πύῤῥου κλ. p. 19. 65. Eam in Odeo disceptatam narrant DEMOSTH. l. l. et POLLUX VIII; 33. Unde apparet, Archontem in Odeo nonnunquam jus dixisse, quod affirmat etiam SUIDAS voce Ὠδεῖον, male contradicente MEURSIO, Areop. cap. 11.

(219) Lex est apud DEMOSTH. in Macart. p. 1054, 27. Ἐὰν ἐπιδεδικασμένου ἀμφισβητῇ τοῦ κλήρου ἢ τῆς ἐπικλήρου, προσκαλείσθω τὸν ἐπιδεδικασμένον πρὸς τὸν Ἄρχοντα, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων δικῶν. Ad easdem refertur lis, quae vocabatur εἰς ἐμφανῶν κατάστασιν, de quà vid. HARPOCR. voce. POLLUX VIII. 33. DEMOSTH. in Callip. p. 1239. 5. ISAEUS. p. 39.

(220) POLLUX VIII. 39. Lexica in BEKKERI Anecd Gr. P. I. p. 199. 10. 310. 3. Παράνοια. SUIDAS voce παράνοια. ARISTOPH. Nubes, v. 847. ibiq. Schol. Παρανοίας γραφὴ, puto,

artem factitaret (221). Praeterea ei cognoscendae erant caussae, si quis intra Pelasgicon fruges fructusque percepisset, vel ultra limites arasset (222), si quis festa *Διονύσια* turbasset (223) et si peregrinus a Chorago ad scenae spectacula adhibitus esset (224). Ad eum quoque pertinebant actiones malae distributionis facultatum publicarum, fraudis in metallis, frumentis importandis et exportandis, vectigalibus factae, sycophantiae denique; quod genus actionum vocabantur *Φάσεις* (225). Curam etiam habebat tutorum legitimorum consti-

fuit adeoque ad Archontem delata accusatio Sophocli a filiis intentata, quam memorat Cicero, Cat. Maj. VII. 22. Plutarch. An Seni Ger. Resp. cap. 3. Lucian. Macrob. cap. 24. At Auctor vitae Sophocl. p. XI. ed. Brunk. Jophontem *πρὸς τοὺς φράτορας ἐγκαλεῖν τῷ πατρὶ ὡς ὑπὸ γήρως παραφρονοῦντι* ait. Cf. Schol. ad Aristoph. Ran. v. 73. Sed vix dubitandum est, quin verba *ἐγκ. πρ. τ. φρ.* de nudâ exprobratione coram Curialibus factâ, non de accusatione apud eos institutâ sint intelligenda. *Παρανοίας γραφὰς* etiam Plato probat De Legg. XI. p. 928. E. Inter Recentiores hac de re egerunt Meursius Themide Attic. I. 3. Petitus Lib. II. Tit. V. p. 248. Matthiaeus De Jud. Athen. p. 244.

(221) *Γραφὴ ἀργίας.* Lexicon in Bekkeri Anecd. Gr. P. I. p. 310. Cf. Petitus Legg. Att. p. 520. sqq.

(222) Pollux VIII. 101.

(223) Cf. Schoemann De Com Ath. p. 239. not. 31. Demosth. in Mid. p. 572. 10. sqq.

(224) Petitus Legg. Att. III. 4. 4. 5. p. 353.

(225) *Φάσεις* ad Archontem Eponymum spectasse auctor est Pollux VIII. 47. 48 *Φάσις δὲ ἦν τὸ φαίνειν τοὺς περὶ τὰ μέταλλα ἀδικοῦντας ἢ περὶ τὸ ἐμπόριον κακουργοῦντας, ἢ περὶ τὰ τέλη ἢ τῶν δημοσίων τι νενοσφισμένους, ἢ συκοφαντοῦντας, ἢ περὶ τοὺς ὀρφανοὺς ἐξαμαρτάνοντας. — ἐφαίνοντο δὲ πρὸς τὸν Ἄρχοντα* (nisi forte *τοὺς Ἄρχοντας* h. l. legendum est). Latiorem adeo significationem vocabulo tribuit, quam quae apud Oratores invenitur. Apud Demosthenem enim, (in Theocrin. p. 1324), *Φάσις* delata dicitur ad portus curatores, *τοὺς τοῦ ἐμπορίου ἐπιμελητάς.* Ad Eponymum sine dubio tutores deferebantur.

tuendorum ab iisque rationem gestae tutelae repetebat (226); actionesque legum male latarum accipiebat. Denique ut *παρανόμων γραφάς*, ita *ἔνδειξιν* quoque ad Eponymum nonnunquam delatas testatur Aeschinis exemplum apud DEMOSTHENEM pro Coronâ (227); quamquam vi aliorum testimoniorum hae caussae ad Thesmothetas deferendae erant (228).

CAPUT SECUNDUM.

ARCHON REX.

ARCHON Rex is quidem erat, qui in religionis negotiis locum pristinorum regum occupare dicebatur (229); antiquis enim temporibus sacra nonnulla a regibus fiebant cumque in regis nomine sanctitatis aliquid inesset et Archontes illis regibus quasi successores essent electi, hinc factum est, ut qui Ἄρχων Βασιλεύς vocabatur, is res ad religionem cultum-

(226) POLLUX VIII. 89 inter delationes ad Archontem pertinentes *ἐπιτρόπων καταστάσεις* quoque memorat, quod tamen delationis nomen esse nequit; forsitan illa vocabula post *ἐπιμελητῶν*, quod paullo praecedit, collocanda sunt, ut cum *διατίθησι* cohaereant.

(227) De *παρανόμων γραφαῖς* cf. locos initio hujus Capitis laudatos. De *ἐνδείξει* POLLUX VIII. 49.

(228) Cf. AUG. MATTHIAEUS De Jud. Athen. P. II. p. 239. not. 19.

(229) PLATO Polit. p. 291. E. *Τῷ λαχόντι βασιλεῖ τῇδε* (Athenis) *φασὶ τὰ σεμνότατα καὶ μάλιστα πάτρια τῶν ἀρχαίων θυσιῶν ἀποδεδόσθαι.* ARISTOT. Polit. III. 1.4. p. 214. D. ATHENAEUS VI. p. 234. E. sqq.

que Deorum pertinentes curaret, quod etiam Romani sunt imitati *Regem sacrificulum* eligendo, ut paullo infra videbimus. Sed Archontis Regis jurisdictio potius circa sacrorum procurationem quam circa ipsum sacerdotium versabatur. Quamquam eum primitus omnia sacrificia fecisse ex DEMOSTHENE patet (230). Ad eum autem spectabant mysteria Lenaea et ludi illi, qui *ἐπὶ λαμπάδι* dicebantur, nempe Panathenaea, Hephaestia et Promethea; insuper sacra quoque patria (*πάτριοι θυσίαι*) (231). Ad mysteria vero curatores a populo creatos duos ex Eumolpidis, unum ex Corycibus adsciscebat. In festis autem Eleusiniis Rex sacrificabat precesque adhibebat; sed id ei commune erat cum Polemarcho, qui itidem sacra quaedam faciebat (232). Munus haud absimile habebat Romanorum *Rex sacrificulus*, qui tamen nonnisi *Pontifex minor* erat (233).

Ad Regis vero etiam uxorem, quae Βασίλισσα vocabatur,

(230) In Neaer. p. 1370. 14. Ὁ Βασιλεὺς ἁπάσας τὰς θυσίας ἔθυεν.

(231) LYSIAS Adv. Andocid. p. 51. ed. Tauchn. ANDOCIDES De Mysteriis p. 55. DEMOSTH. in Lacrit. p. 940. 12. POLLUX VIII. 90. Ὁ δὲ Βασιλεὺς μυστηρίων προέστηκε μετὰ τῶν ἐπιμελητῶν, καὶ Ληναίων, καὶ ἀγώνων τῶν ἐπὶ λαμπάδι: ibique JUNGERMANNUS. Idem POLLUX VIII. 108. et Grammatici voce γεραῖραι. Lex apud ATHENAEUM VI. 6. p. 235. A. C. SCHOL. ad Demosth. in Androt. apud REISKIUM p. 137. Aristot. apud HARPOCRAT. et PHAVORIN. ἐπιμεληταὶ τῶν μυστηρίων. HESYCH. voce Βασιλεύς. Lexica in BEKKERI Anecd. Gr. P. I. p. 219. 310. SCHOL. ad Aristoph. Acharn. v. 1235. cf. SAINTE CROIX *Recherches sur les Mystères d. P.* T. I. p. 214. sqq. T. II. p. 78. sqq.

(232) POLLUX VIII. 91. coll. capite proxime insequente.

(233) MACROB. Saturnal. I. 15. p. 284. Zeun. coll. LIVIO II. 2. VI. 41. DIONYS. HALIC. V. 1. PLUTARCH. Quaest. Rom. cap. 63. CASAUBON. ad Sueton. Aug. cap. 31 G. H. NIEUPOORT. De Ritibus Rom. Sect. IV. cap. 2. p. 295. DE BEAUFORT *République Romaine, ou plan général de l'ancien gouvernement de Rome* Lib. I. cap. 3.

quaedam sacrorum et arcanorum ex regiâ republicâ conservatorum cura pertinebat (234). Idcirco debebat civem eamque virginem illibatam ducere, ut jam supra monuimus. Quodsi secus fecisset, Areopagitarum erat in eum animadvertere; cujus rei praeclarum nobis exemplum exhibet DEMOSTHENES in Oratione contra Neaeram (235). Ibi enim Rex Theogenes, quod contra patrias leges uxorem peregrinam duxisset eamque sacra pro patriâ facere passus esset, ab Areopagitis multatus est.

Ante Thesei quidem aetatem Regem et Reginam omnia sacrificia fecisse, postea vero eorum quaedam eis tantum relicta esse, idem docet DEMOSTHENES (236). Ceterum Rex quoque memoratur in ordinandâ liturgiâ (237).

Ad Regem autem spectabant actiones impietatis (ἀσεβείας) (238)

(234) DEMOSTH. in Neaer. p. 1370. 16. Τάς σεμνοτάτας καὶ ἀῤῥήτους (θυσίας ἔθυσε) ἡ γυνὴ αὐτοῦ (Regis sacrorum puta) εἰκότως, Βασίλισσα οὖσα. POLLUX VIII. 90. FISCHER. ad Palaephat. cap. 10. STURTZIUS De Dialect. Alexandr. p. 154. Idem in Lexic. Xenophont. T. I. p. 527.

(235) Pag. 1371. sqq. coll. SIGONIO De Rep. Ath. Lib. II. cap. 5. WICH. VAN SWINDEREN De Senat. Areopag. p. 14.

(236) In Neaer p. l.

(237) DEMOSTH. in Boeot. De Nom. p. 997. 5. ἂν ἄλλη τις ἀρχὴ καθίστῃ εἰς λειτουργίαν, οἷον Ἄρχων Βασιλεύς.

(238) Hac de re praecipue egerunt PETITUS Legg. Att. Lib. I. Tit. I. pag. 70, SCHEDIUS De Areopag. cap. 5. § 7. sqq. coll. WERNSDORF. ad Plutarch. Quaest. Gr. I. 34. sqq. MATTHIAEUS De Jud. Ath. P. II. p. 245. SCHOEMANN. De Comitiis Atheniensium p. 301. SAINTE CROIX *Recherches sur les Mystères d. P.* T. I. p. 249. et passim. Multiplex illa ἀσέβεια erat; variis enim modis homines in deos impii esse poterant. In Aristotelicâ scriptione de virtutibus et vitiis haec leguntur : ἀσέβεια μὲν ἡ περὶ θεοὺς πλημμέλεια

omnesque illae, quae cum religionibus continebantur (239); item quae ad gymnasiarchiam referebantur. Controversias de sacerdotiis inter familias et sacerdotes quoque dirimebat (240).

καὶ περὶ δαίμονας, ἢ καὶ περὶ τοὺς κατοιχομένους, καὶ περὶ γονεῖς, καὶ περὶ πατρίδα, sed de binis postremis minus constat. In universum reus impietatis habebatur, qui deos publice agnitos et constitutos negaret; qui nullam providentiae eorum in res humanas haberet fidem; qui novum deorum cultum absque permissu introduceret in rem publicam; qui festa, ludos, sacrificia violaret, negligeret, contemneret aut derideret; qui in sacris faciendis a patrio more recederet (DEMOSTH. in Neaer. p. 1384. 27.); qui templa arasque laederet (LYCURG. in Leocrat. p. 239. dicit Leocratem ἀσεβείας reum esse, ὅτι τοῦ τὰ τεμένη τέμνεσθαι καὶ τοὺς νεὼς κατασκάπτεσθαι τὸ καθ' ἑαυτὸν γέγονεν αἴτιος); qui jus asyli ipsis tributum violaret, sepulcra profanaret, debita mortuis officia praestare recusaret; qui mysteria ludibrio haberet, vel non initiatum eorum participem faceret (ARISTOT. Eth. ad Nicomach. Lib. III. cap. 1. CLEMENS ALEXANDR. Strom. II. p. 387. SCHOL. ANONYM. ad Aristot. Eth. ad Nicomach. III. cap. 12. fol. 40. ibique EUSTRATIUS. APSINES. p. 636 AELIAN. Var. Hist. V. 19. ibique PERIZONIUS. Coll. LUCIAN. Necyomant. 2. ibique HEMSTERHUSIUS); qui publicas effoderet olivas; qui rei capitalis reis familiareter uteretur (DEMOSTH. in Androt. p. 593. 15. in Timocrat. p. 702. 7.); denique qui ejuscemodi delicti argutus, templa esset ingressus, a quibus legibus arceretur; cujus rei exemplum Andocides nobis praebet. Accusator autem in hisce caussis nisi quintam suffragiorum partem tulisset, praeterquam quod millenis drachmis multabatur et publicas omnino delationes, vel eas saltem, de quibus locuti sumus, factitandi jure exuebatur, ἀτιμίας etiam poenâ afficiebatur, cujus vi quaedam adire templa ei nefas erat.

(239) Huc referenda est ἱεροσυλία, de quâ sic loquitur CICERO De Divinatione I. 25: « Adjungamus philosophis doctissimum hominem, poetam quidem divinum, Sophoclem: qui, cum ex aede Herculis patera aurea gravis surrepta esset, in somnis vidit ipsum deum dicentem, qui id fecisset. Quod semel ille, iterumque neglexit. Ubi idem saepius, adscendit in Areopagum; detulit rem. Areopagitae comprehendi jubent eum, qui a Sophocle erat nominatus. Is, quaestione adhibitâ, confessus est, pateramque retulit. » Quae quidem ἱεροσυλία ab Areopago judicata est; sed Archonte Rege forsitan judicii praeside. Cum vero illud delictum ad Heliaeam spectaret (vid. LYSIAS Orat. pro Calliâ), merito conjicere possumus, ita fieri solitum esse, ut, cum praecipue ad ἀσέβειαν in eo delicto patratam attenderetur, Areopagi esset judicare, cum vero ad unum tantummodo furtum, res ad Thesmothetas vel Undecimviros deferri oporteret.

(240) SUIDAS voce Ὀδεῖον. Τῷ μέντοιγε βασιλεῖ τάς τε φονικὰς καὶ τὰς τῆς ἀσεβείας

Porro ad eum deferebantur caedes omnes tam eae, quae ad Areopagum, ubi depositâ coronâ judicibus assidebat et una cum iis ipse judicabat (241), (deos enim caede maxime laedi putabant veteres), quam quae ad Ephetas pertinebant; in quibus vero caussis ipse prius jus dixerat (242).

Brevitatis caussâ pauca tantummodo de *δίκαις Φονικαῖς* hic monenda sunt. Delatio *Φόνου* in omnes eos exercebatur, qui quacumque ratione mortem alicui intulissent, et illa quidem caedes triplicis erat generis; vel enim *Φόνος ἑκούσιος*, cum occidendi voluntas reapse adesset, vel *Φόνος ἀκούσιος*, cum caedes inconsulto patraretur. Caedes item habebatur (243) delatio-

καὶ ἄν τις ἱερωσύνης ἀμφισβητεῖ. Πρότερον δὲ καὶ τὰς περὶ τῶν ἱερῶν τοῖς ἱερεῦσιν ἀμφισβητήσεις. Προηγόρευε δὲ καὶ τῶν νόμων (leg. *τῶν νομίμων*. vid. MATTHIAEUS De Jud. Ath. P. I. p. 161. not. 29) *εἴργεσθαι τοῖς ἐναντίᾳ* (leg. *τοῖς ἐν αἰτίᾳ*). — Jus autem Rex dicebat in porticu ad forum sitâ atque *τῇ στοᾷ τοῦ Διὸς τοῦ Ἐλευθερίου* finitimâ; quae inde appellata est *ἡ Βασίλειος στοά* vel *ἡ τοῦ Βασιλέως στοά*. Cf. SUIDAS in *Ἄρχοντες*. BEKKERI Anecd. Gr. I. 449. POLLUX VIII. 111. PLATONIS Euthyphr. cap. 1. init. ibique STALLBAUMIUS. Domum quoque publicam apud Romanos fuisse, in quâ Rex sacrorum habitabat, *Regiam* dictam, testatur prae ceteris PLINIUS Ep. IV. 11. 6. Conf. SERVIUS in Virgilii Aen. VIII. v. 363. G. H. NIEUPOORT. De Ritibus Rom. p. 296. DE BEAUFORT. *République Romaine* Lib. I. cap. 3.

(241) POLLUX VIII. 90. *Καὶ τὰς τοῦ φόνου δίκας εἰς Ἄρειον πάγον εἰσάγει ὁ Βασιλεύς, καὶ τὸν στέφανον ἀποθέμενος σὺν αὐτοῖς δικάζει.* Conf. ANTIPHON De Choreut. p. 786. SIGONIUS autem (De Rep. Ath. Lib. II. cap. 5.) ex quibusdam Lysiae et Demosthenis locis colligi posse putat, omnes Archontes ad Areopagum retulisse; sed illos scriptores alio plane sensu, quo SIGONIUS eos intellexit, de Archontibus locutos esse, ostendit WICHERUS VAN SWINDEREN De Senatu Areopag. p. 24 sq.

(242) POLLUX VIII. 125. Certe tantum loquitur de caede inconsulto patratâ; sed illud ad omnes eas caussas, quae ad posteriorem Ephetarum jurisdictionem pertinebant, extendi potest, praesertim cum omnes caedes ad Archontem Regem spectasse dicantur.

(243) DEMOSTH. in Conon. p. 1264. 20.

que Φόνου obtinebat, si quis aliquem excitasset ad alium verberibus caedendum, quibus postea mortuus esset. Contra caedi non erat locus (244), si quis aliquem vel incertamine singulari vel in insidiis vel in bello inconsulte interfecisset; si quis aliquem uxori, matri, sorori, filiae vel concubinae suae, ex qua legitimos procrearet liberos, blandientem animadvertisset; porro si quis alterum sese injuste aggressum (χειρῶν ἀδίκων ἄρχοντα) vi repulisset (245); si quis exulem in patriam reversum, quo revocatus non esset, occidisset (246); si medicus malâ tractatione, nempe absque dolo malo, mortem alicui attulisset (247); denique si quis tyrannum, vel eum qui democratiam eversurus esset (248) vel jam evertisset et oligarchici vel tyrannici exercitus ducem e medio abstulisset, in hos omnes nulla caedis delatio fieri poterat ejusque delicti expertes purique habebantur. Nunc quemadmodum tria caedis genera distinguebantur, ita tria quoque tribunalia instituta erant, in quibus delicta judicabantur. Inquisitio in eum, qui caedem consulto patrasset, nec crimen expiasset nec purgasset, non tam aliam ob caussam quam laesae religionis ergo ad praecipuum quoddam tribunal spectabat: quod ju-

(244) Demosth in Aristocrat. p. 637. 1.

(245) Idem l. l. p. 635. 25. Antiphon. p. 688. sqq.

(246) Idem l. l. p. 636. 10. Putandum scilicet est Demosthenem vel πραγματικόν, qui veterem hunc Draconis θεσμόν pro eo descripsit: Φόνου δὲ δίκας μὴ εἶναι μηδαμοῦ κατὰ τῶν τοὺς φεύγοντας ἐνδεικνύντων, ἐάν τις κατίῃ, ὅποι μὴ ἔξεστιν, veteres characteres non recte intellexisse et ἐνδεικνύντων legisse, quo primitus ἐκτιννύντων scriptum esset; ex illo enim vocabulo nihil confici potest. Cf. Heffteri *Athenaeische Gerichtsverfassung* p. 196 sqq. Wesselingius ad Petitum Legg. Att. Lib. VII. Tit. I. p. 617.

(247) Antiphon. p. 694. 8.

(248) Andocides De Mysteriis p. 47. sqq.

dicium in Prytaneo fuisse ex muneribus ipsi assignatis conjicere possumus. Omnes autem delationes propter caedem patratam praeter Apagogen et Endeixin deferebantur ad Archontem Regem. Delationes vero propter caedem et vulnera dolo malo inflicta, id est omnes δίκαι Φονικαί, pertinebant ad ipsos vulneratos vel ad vulneratorum vel occisorum parentes, ἐντὸς ἀνεψιότητος, et ad dominum, si quis servus interfectus esset aut vulneratus. Mirum itaque est Archontem Regem delationem Euthyphronis adversus patrem suum propter caedem famuli (πελάτου) in praediolo, quod in insulâ Naxo habebat, operam facientis, et Stephani erga Apollodorum, quod is mulierem Aphidnam inconsulto occidisset, accepisse (249). Locus enim ille Platonicus moribus magis quam Atticae legislationi est accommodatus. At fieri poterat, ut famulus iste in tam hereditariâ Euthyphronis esset clientelâ, qui forte κληροῦχος Atticus in insulâ Naxo erat (quid enim obstat, quominus putemus hunc rerum statum, de quo adeundus est BOECKH. Staatsh. I. 440-458, circa finem Olymp. LXXXIV in insulâ Naxo restitutum esse?), ut reapse tamquam servus ab eo haberetur. Ad Aphidnam quod attinet, fieri etiam poterat, ut propinqua Stephani vel serva esset.

Restat ut quaedam etiam de ceteris delationibus ad Archontem Regem spectantibus dicamus. Ac primum quidem nominanda est delatio ἀμβλώσεως, quae adversus eos obtinebat, qui medicamentis (ἀμβλωθριδίοις) partum abigere conabantur (ἀμβλω-

(249) PLATO Euthyphr. cap. 4. sqq. DEMOSTH. in Neaer. p. 1348. 6.

σιν, ἀμβλωμα). Sed perditâ LYSIAE Oratione περὶ ἀμβλώσεως (250), quam tamen spuriam censent veteres Grammatici, nihil circa hancce rem expiscari possumus. Neque magis liquet, quanam ratione delatio Φαρμάκων vel Φαρμακείας (251) apud Athenienses obtinuerit; nam ex binis ANTIPHONTIS Orationibus (Κατηγορία Φαρμακείας et περὶ τοῦ χορευτοῦ) nihil confici potest. Id tantum conjecturâ assequi licet, eum Φαρμάκων reum esse, qui ipse aliquem vel alterius operâ veneno interfecisset, vel amatorio veneno (Φίλτρῳ) ad se allexisset (252). Delictum autem illud morte multabatur (253); sed huic poenae lenimentum quandoque ab Areopago afferebatur.

Nunc sequuntur caussae de rebus inanimis, in quibus Rex ipse judicio praeerat (254); item delationes βουλεύσεως

(250) Cf. LYSIAE Fragm. p. 8. Reisk.

(251) Hoc nomen habet DEMOSTHENES in Aristocr. p. 627. 22. 628. 13. Cf. BEKKERI Anecd. Gr. p. 311. 10. Pollux VIII. 40. 117. coll. SCHEDIO De Areopag. cap. 5. 5.

(252) Quae hic ex ANTIPHONTE p. 615. proferimus, ea quodammodo ARISTOTELIS sententiâ Magn. Moral. I. 17. in dubitationem adducuntur. Ibi enim mulier quaedam, quae viro amatorium veneficium porrexisset, quo is mortuus esset, ab Areopago absoluta esse dicitur, ὅτι τὴν δόσιν τοῦ φίλτρου οὐ μετὰ διανοίας τοῦ ἀπολέσθαι αὐτὸν ἐδίδου.

(253) Cf. ANTIPHON. l. l. AELIAN. Var. Hist. V. 18. PLUTARCH. De serâ numinis vindictâ cap. 7. 10. p. 229. H. ibique WYTTENBACHIUS. Φαρμακείαν explicant TIMAEUS Lex. Platon. p. 268. aliique τόπον εἰς ὃν ἀπάγονται ἐπὶ κόλασιν οἱ ἐπὶ φαρμακείᾳ ἁλόντες.

(254) PLATO Euthyphr. init. ANTIPHON De Chorent. p. 786. De impietate testatur etiam DEMOSTH. in Lacrit. p, 940. 13. Ποῦ χρὴ δίκην λαβεῖν περὶ τῶν ἐμπορικῶν συμβολαίων; παρὰ ποίᾳ ἀρχῇ; — παρὰ τῷ Βασιλεῖ; ἀλλ' οὐκ ἐσμὲν γυμνασίαρχαι, οὐδὲ ἀσεβείας οὐδένα γραφόμεθα. POLLUX VIII. 40. HARPOCRATION voce ἡγεμονία δικαστηρίου. Argumentum ad DEMOSTHENEM in Androt. p. 588. 28. Lexicon in BEKKERI Anecd. Gr. P. I. p. 219. 310. De Socrate apud Regem accusato cf. PLATO Theaetet. fin. De Anaxagorâ cf. DIOGEN. LAERT. II. 12. PLUTARCH. De Superstitione cap. 9. cum Animadv. WYTTENBACHI. p. 1027. ed.

(255), *τραύματος ἐκ προνοίας* (256) et *πυρκαϊᾶς*; sed, quoniam nihil certo de his statui posse videtur, plura enarrare supersedemus.

CAPUT TERTIUM.

POLEMARCHUS.

ANTIQUITUS decem Imperatores (*Στρατηγοί*) una in bellum proficisci imperiumque diurnis vicibus administrare consueverant, atque ex Archontibus is, qui Polemarchus dicebatur, comitatus imperatores et consilii particeps erat et in acie dexterum cornu ducebat (257). Postea vero cum et civitatis

Oxon. RITTER *Geschichte der Jonischen Philos.* p. 205. sq. De Protagorâ cf. DIOGEN. LAERT. IX. 52. 54. PHILOSTRAT. Vitâ Sophistarum I. p. 494. De Stilpone cf. idem DIOGEN. LAERT. II. 116. De Aristotele cf. ATHENAEUS XV. p. 696. A. DIOGEN. LAERT. V. 6. AELIAN. Var. Hist. III. 36. ibique PERIZONIUS. De Theophrasto cf. DIOGEN. LAERT. V. 37. De Theodoro Atheo cf. idem DIOGEN. LAERT. II. 101. ATHENAEUS XIII. p. 611. B. Quamquam in aliorum v. c. Aristophanis (vid. BOETTIGERI *Aristophanes impunitus deorum irrisor*) et Epicuri (vid. TENNEMANNI *Gesch. der Philos.* Vol. III. p. 412) impietatem non animadvertebatur.

(255) HARPOCRATION, SUIDAS, HESYCHIUS in *βουλεύσεως*. BEKKERI Anecd. Gr. p. 220. 11. coll. HERALDI Animadv. p. 336. sqq. MATTHIAEUS De Jud. Ath. p. 150.

(256) LYSIAS adv. Simon. p. 42. adv. Andocid. p. 54. Tauchn. DEMOSTH. adv. Aristocr. p. 627. 22. in Boeot. p. 1018. 10. adv. Conon. p. 1363. 26. AESCHIN. De Falsâ Leg. p. 270. adv. Ctesph. p. 440. 5. 608. 3. POLLUX VIII. 40. Heraldus p. 343. MATTHIAEUS Op. laud. p. 148.

(257) HERODOT. VI. 109: *Ὁ τῷ κυάμῳ λαχὼν Ἀθηναίων πολεμαρχέειν· τὸ παλαιὸν γὰρ Ἀθηναῖοι ὁμόψηφον τὸν Πολέμαρχον ἐποιεῦντο τοῖσι Στρατηγοῖσι.* et cap. III: *Τοῦ μὲν*

opes urbisque magnitudo multum crevissent et bella longinquiora ac diuturniora esse solerent, Polemarchus in urbe remanebat ad urbana negotia administranda jusque inter peregrinos dicendum; imperatores autem modo cuncti, modo singuli aut bini aut trini emitti solebant atque aut unus reliquis omnibus praeerat, aut omnes communi consilio rem administrabant, aut alii terrâ, alii mari, aut alii in aliis provinciis imperabant (258).

Ut autem Archon inter cives, sic inter inquilinos et inter peregrinos Polemarchus, cujus tribunal apud Lyceum erat (259), jus dicebat. Notandum hic est ejus jurisdictionem similem esse Romanorum jurisdictioni inter peregrinos et inter peregrinos et cives (260). Inter alia ad eum deferebantur caussae neglecti aut deserti patrocinii, rei familiaris, haereditatum filiarumque quas patres haeredes reliquissent. Porro caussas

δεξιοῦ κέρεος ἡγέετο ὁ Πολέμαρχος Καλλίμαχος· ὁ γὰρ νόμος τότε εἶχεν οὕτω τοῖσιν Ἀθηναίοισι, τὸν Πολέμαρχον ἔχειν κέρας τὸ δεξιόν. Ad illa tempora quoque refertur glossa apud Bekkerum Anecd. Gr. p. 283. 20. ubi sic : Ναύκραροι οἱ τὰς ναῦς παρασκευάζοντες, καὶ τριηραρχοῦντες καὶ τῷ Πολεμάρχῳ ὑποτεταγμένοι. Antiquitus itaque Naucrarii eodem modo Polemarcho subjecti erant, quo postea Trierarchi Strategis. Polemarchum autem aliis in civitatibus, v. c. Lacedaemone et Thebis, praecipuam inter ceteros militiae magistratus habuisse auctoritatem notum est.

(258) Thucyd. I. 45. 61. II. 58. 70. 79. III. 86. 91. 115, aliisque locis quamplurimis, quos omnes enumerare nihil attinet. Errat sane quisquis argumentum Orationis Demostheneae in Androtionem scripsit, cum dicit (p. 588. 29.): Πολέμαρχος ὁ τῶν πολεμικῶν ἐπιμελούμενος.

(259) Suidas in Ἄρχοντες. Bekkeri Anecd. Gr. I. p. 449. 21. Hesychius in Ἐπιλύκειον, ibique Interpr. Photius in Λυκάβηττος.

(260) Cf. De Beaufort *République Romaine*, Tom. II. p. 168. sqq.

peregrinorum (261), qui patrono egerent (ἀπροστασίου), et servorum libertorumque, qui pristino domino officia praestare recusarent, disceptabat, itemque de vadimoniis, quae a peregrinis poscebantur (κατεγγύαι), judicabat (262).

Antequam vero ulterius progrediamur, non alienum videtur hic animadvertere delationem ἀπροστασίου, quae, ut vidimus, ad Polemarchi jurisdictionem pertinebat, juxta pleraque Scriptorum testimonia (263), locum obtinuisse in omnes peregrinos, qui per aliquod tempus in Atticâ commorati iso-

(261) DEMOSTH. p. 890. 10. 1135. pen. 1338. 20. Reisk. SIGONIUS De Rep. Ath. Lib. IV. cap. 3.

(262) SUIDAS voce Ὠδεῖον. Τῷ Πολεμάρχῳ δὲ, ὅσαι ἀποστασίου (leg. ἀπροστασίου καὶ ἀποστασίου) γραφὴν ἔφερον. ἔτι μὴν καὶ ὅσα ὁ Ἄρχων ἐν τοῖς ἀστοῖς, ὁ Πολέμαρχος τοῖς μετοίκοις δικάζει. POLLUX VIII. 91. δίκαι δὲ πρὸς αὐτὸν λαγχάνονται μετοίκων, ἰσοτελῶν (vid. WOLFII Proleg. ad Demosth. Lept. p. LXVII), προξένων (leg. ξένων), καὶ διανέμει τὸ λαχὸν ἑκάστῃ φυλῇ (τι del.) μέρος, τὸ μὲν διαιτηταῖς παραδιδοὺς (deest aliquid), εἰσάγων δὲ δίκας ἀποστασίου, ἀπροστασίου, κλήρων, μετοίκων. Coll. HESYCHIO et PHOTIO in Λυκαμβίς. ARISTOTELE De Rep. Ath. apud HARPOCRATIONEM in Πολέμαρχος, ἀποστασίου et ἡγεμ. δικ. Οὗτός τε εἰσάγει δίκας τάς τε τοῦ ἀποστασίου καὶ ἀπροστασίου καὶ κλήρων καὶ ἐπικλήρων τοῖς μετοίκοις, καὶ τἄλλα, ὅσα τοῖς πολίταις ὁ Ἄρχων, ταῦτα (leg. ταὐτὰ) τοῖς μετοίκοις ὁ Πολέμαρχος. DEMOSTH. in Lacrit. p. 940. 15. in Stephan. p. 1135. 22. in Neaer. p. 1358. 19. 1361. ult. Gloss. Herodot. VI. 109. De ἀπροστασίου et ἀποστασίου δίκῃ vid. etiam ad HARPOCRATIONIS l. l. MAUSS. AMMON. voce ἀποστασίου, ibique VALCKENAERIUS. THOMAS MAG. p. 103. Lexicon in BEKKERI Anecd. Gr. P. I. p. 310. PHAVORINUS voce Πολέμαρχος. Sunt qui dicant delationes adversus servos ad φυλὴν domini pertinuisse, v. c. HARPOCRATION et PHOTIUS: ὅτι πρὸς τὴν φυλὴν τοῦ κεκτημένου κ. τ. λ. sed quid de hac re et perobscuro Pollucis l. l. judicandum sit, docet TITTMANNUS *Griechische Staatsverfassungen* Lib. IV. p. 291.

(263) HARPOCRAT. ZONAR. THOMAS M. SUIDAS in ἀπροστασίου. ETYMOLOGICUM M. p. 124. 48. BEKKERI Anecd. Gr. p. 201. 12. Συναγ. λεξ. χρησ. p. 440. 24. POLLUX VIII. 35. HESYCHIUS in ἀπροστασίου, προστάται et προστάτου.

teliâ a republicâ donati non essent, eosque legibus coactos fuisse civem aliquem, qui eorum prostates esset, suo arbitratu sibi eligere, per quem μετοίκιον solverent, quique in omnibus publicis negotiis eorum partes susciperet; ita tamen, ut liberto civis cujusdam patronum tantummodo suum ut prostatam assumere liceret (264). In his autem binis tanta affinitas esse solebat, ut Athenienses μετοίκους ejusdem indolis arbitrarentur, quâ προστάται praediti erant (265). Quam diu quis Athenis commorari debuerit, ut μέτοικος haberi posset et praesidio prostatae egeret, incertum est. Id certe constat, delationem ἀπροστασίου exerceri solitum esse in omnes μετοίκους, qui nullum haberent prostatam, quique publica negotia absque ejus praesidio susciperent; quamquam quidam Scriptores (266) contendunt, eam etiam obtinuisse adversus μετοίκους, qui μετοίκιον non solvissent (267) vel jure civitatis usi essent; item adversus eos, qui prostatâ carerent, neque μετοίκιον solvissent, et eos, qui nullum prostatam haberent et publico jure fruerentur; sed in ejusmodi caussis delatio ἀπροστασίου ita exercebatur,

(264) Prostatam eligere dicitur ἐπιγράψασθαι, νέμειν τὸν δεῖνα προστάτην. Sic judicandum est, ut jam monuit Scholiastes, de ARISTOPHANIS joco, in Pace v. 683: ἀχθεσθεὶς ὅτι (sc. ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναῖος) αὐτῷ πονηρὸν προστάτην ἐπεγράψατο (Ὑπέρβολον). Conf. Ran. v. 572. ibique Schol.

(265) ISOCRAT. De Pace cap. 17. Τοὺς μὲν μετοίκους τοιούτους εἶναι νομίζομεν, οἵουσπερ ἂν τοὺς προστάτας νέμωσι.

(266) Glossa apud SUIDAM in ἀποστασίου. ὅταν οὖν τις, δοκῶν εἶναι μέτοικος, προστάτην μὴ ἔχῃ ἢ μὴ δῷ τὸ μετοίκιον, ἢ ἀστὸς εἶναι φάσκῃ, παρεγγεγραμμένος εἰς τὴν πολιτείαν (verba haec παρεγγεγρ. ε. τ. π. ponenda sunt ante ἀστὸς εἶναι φάσκῃ) ὁ βουλόμενος εἰσάγει πρὸς αὐτὸν (leg. κατ' αὐτοῦ), ἥτις λέγεται ἀπροστασίου. et Συναγωγὴ λέξεων χρησίμων ap. Bekker. p. 435. 1.

(267) Id etiam ex POLLUCE III. 56. probatur.

ut reo quodammodo parceretur, quoniam, cum ejusmodi delicti condemnatus et μέτοικος, qui prostatam habere legibus tenebatur, publice declaratus esset, eo ipso quasi admonebatur, ut μετοίκιον solveret abstineretque a jure publico : at nuperrime repertum est (268), hanc delationem in binis his caussis non proprie, sed parcendi solummodo gratiâ, ut jam diximus, exerceri potuisse.

Denique Polemarchi etiam erat Dianae Venatrici (ἀγροτέρᾳ) et Marti (Ἐνυαλίῳ) sacrificare; quo officio priora ejus munera bellica indicantur; deinde ludos funebres iis, qui in bello occubuissent, curabat, et Harmodii manibus parentabat (269). Providebat quoque, ut quibusdam placet, ut liberi eorum qui in acie cecidissent, de publico alerentur.

Polemarchum etiam populi convocandi jus habuisse PETITUS (270) ex quodam apud DEMOSTHENEM Psephismate probari posse putavit, cujus hoc est initium : Ἐπὶ Ἄρχοντος Ἡροπύθου, μηνὸς Μαιμακτηριῶνος ἕνῃ καὶ νέᾳ, Πολεμάρχου γνώμῃ (271); sed verba illa Πολεμάρχου γνώμῃ non id indicant, illius jussu comitia habita, sed quae lata erant ad populum, Polemarchi auctoritate lata esse. Non enim Polemarcho, sed Prytanibus et Strategis et praeter eos nulli magistratui convocandi ad comitia populi jus fuisse videtur, post Solonis quidem aeta-

(268) Cf. HEFFTER p. 165. sqq.
(269) POLLUX VIII. 91. Lexicon in BEKKERI Anecd. Gr. P. I. p. 290. PHILOSTRAT. Vit. Sophist. II. 30. Cf. MEURSII Ceramic. cap. 32. Lection. Attic. II. 14.
(270) Legg. Attic. III. 1. p. 286.
(271) De Coronâ p. 282.

tem; ante illum vero ad Archontes id pertinuisse dubitari nequit; quoniam tunc illi, ut ait Thucydides, plerasque reipublicae partes administrabant (272).

CAPUT QUARTUM.

THESMOTHETAE.

Si quis in munera Thesmothetarum inquirit, ei hoc primum occurrit difficultatis, quod aliorum quoque Thesmothetarum, quam qui ad novem Archontes pertinuerint, vestigia inveniantur, meritoque, ubi Thesmothetae nominantur, saepe dubitandum sit, de his an de illis Scriptores loquantur. — Vix enim dubio ulli obnoxium esse videtur, diversos ab Archontibus fuisse Thesmothetas; et, quotiescumque eadem negotia ab aliis sex Archontibus, ab aliis vero Thesmothetis illis adsignantur, non temere quis statuerit, ea ad posteriores esse referenda. Facilius enim evenire potuit, ut Grammatici illis tribuerent, quod ad hos pertineret, quam ut numquam cogniti Thesmothetae excogitarentur, aut munera quaedam notorum ignotis adscriberentur. Etenim mirum sane videretur, quaedam non ad omnes Archontes simul sumtos, sed ad solos Thesmothetas spectasse, si de iis semper, qui in numerum Novemvirorum aggregati fuissent, sermo esset. Huc

(272) I. 126. τότε δὲ τὰ πολλὰ τῶν πολιτικῶν οἱ ἐννέα Ἄρχοντες ἔπρασσον.

pertinere videntur et ἀνάκρισις illa, cui subjecti erant Thesmothetae, antequam magistratum inirent (273), et quae de eorum sortitione memorantur apud DEMOSTHENEM (274). — Nunc autem Grammatici perhibent decem fuisse Thesmothetas, unum ex quâvis Φυλῇ, scribamque insuper unum, qui sortitionem judicum curassent jusque habuissent eos a muneribus suis excludendi (275).

Ex ceteris itaque magistratibus judiciis praefectis varii extitissent judicum praesides, Thesmothetae v. c., qui ab Archontibus ejusdem nominis diversi fuissent. Nec defuerunt, qui Thesmothetas illos eosdem fuisse atque Archontes, numerumque decem ad Novemviros et scribam referri debere existimarent (276). Sed huic explicationi adversatur illud, unumquemque illorum Thesmothetarum ex aliâ fuisse Φυλῇ, quod nequaquam de novem Archontibus dici potest. POLLUX autem sortitionem judicum conventuumque celebrandorum jus indicendi diem Archontibus (277), partiundorum vero

(273) DEMOSTH. in Eubulid. p. 1319. 20. ὥσπερ τοὺς Θεσμοθέτας ἀνακρίνετε, ἐγὼ τὸν αὐτὸν τρόπον ἐμαυτὸν ἐν ὑμῖν ἀνακρίνω. POLLUX. VIII. 85.

(274) In Boeot. de Nom. p. 997. 16.

(275) PHAVORINUS voce δικαστήρια SCHOL. ad Aristoph. Vesp. v. 772. ad Plutum v. 277. p. 82. Hemsterh. Οἱ Θεσμοθέται κατὰ φυλὴν ἕκαστος, καὶ ἐνδέκατος ὁ γραμματεὺς ἐκλήρουν τὰ γράμματα μέχρι τοῦ κ. καὶ τὸν λαχόντα ἴσα τὸν ἀριθμὸν τοῖς μέλλουσι κληροῦσθαι δικαστηρίοις ὑπηρέτης φέρων ἐτίθει καθ' ἕκαστον δικαστήριον ἕν· εἶτα πάλιν ἀπεκληροῦντο οἱ τὰ εἰληχότα γράμματα ἔχοντες, τίνες δικάσουσι, καὶ τίνες οὔ. Ceterum de hoc loco perobscuro vid. MATTHIAEI judicium, De Jud. Ath. P. II, p. 255. not. 37. et V. D. in opusculo quod inscribitur *Philolog. Blaetter*, Breslau 1817. P. I. p. 102. qui verba κατὰ φύλην ἕκαστος perperam repetita e praecedentibus existimat et pro ἐνδέκατος legendum esse δέκατος.

(276) MATTHIAEUS l. l.

(277) VIII. 87. Κληροῦν δικαστάς—, προγράφουσι, πότε δεῖ δικάζειν τὰ δικαστήρια.

inter magistratus δικαστηρίων Thesmothetis adsignat (278), quos eosdem magistratuum omnino sortitionis procurationem habuisse Aeschines quoque affirmat (279). Quoniam autem hic Thesmothetarum inter et Archontum nomina vix ulla videtur esse differentia, referamus huc Inscriptionem quamdam (280), ubi Regis munus inter Thesmothetas memoratur, horumque igitur nomine Archontes universe significari probabile est (281). — Praeterea Demosthenes loquitur de Thesmothetis, qui legibus ferendis praefuissent (282) et Aristophanis Scholiastes asserit unamquamque Φυλὴν Thesmothetam unum ad leges constituendas nominasse (283) : cum alii contra Grammatici (284) Thesmothetis ad collegium Archontum pertinentibus legum sanciendarum jus tribuant.

Thesmothetarum (285) certe erat leges in tabulas referre

(278) Pollux VIII. 88. Καὶ ταῖς ἀρχαῖς ἐπικληροῦσι τὰ δικαστήρια. Huc pertinet Aristoph. Plut. v. 278. p. 83. Hemsterh. ὁ δὲ Χάρων τὸ ξύμβολον δίδωσι, *Charon Archon est.* Verisimillimum est, cujusque judicii praesidem sortitionem assessorum curasse.

(279) Adv. Ctesiphont. p. 399. Reisk.

(280) Spon. Pop. Att. art. 49. in Corsini Fast. Att. P. II. p. 167. et Chandleri Inscr. Ant. II. 35. p. 56.

(281) Cf. etiam *Philologische Blaetter*, Breslau 1817. P. I. p. 101. sqq.

(282) Adv. Leptin. p. 484. 16.

(283) Schol. ad Aristoph. Vesp. v. 772.

(284) Harpocration, Photius et Phavorinus Voce Θεσμοθέται. Mirum sane est inter munera Thesmothetarum (sc. Archontum) legum conscribendarum jus a Polluce omissum esse.

(285) Eorum tribunal apud Thesmothesion erat. Cf. Suidas in Ἄρχοντες. Bekkeri Anecd. Gr. I. p. 449. 22. Coll. Meursio Ath. Attic. III. 2. quibus adversatur Scholiastes ad Platonis Phaedr. p. 236. A. sic de Thesmothetis loquens : καὶ ὁ τόπος, ὅπου συνήεσαν

(286) easque quotannis in concione recognoscere et corrigere, accuratâ inquisitione factâ, essentne aliae tollendae atque abrogandae, aliae relinquendae; essetne lex aliqua alteri legi contraria aut plures quam una singulis de rebus perscriptae (287). Iis item, tamquam judiciorum praesidibus, describendarum et confirmandarum pactionum cum exteris civitatibus jus datum erat; iniri tamen non poterant nisi populi jussu (288). — Denique ad eosdem pertinuisse dicitur securitatis publicae cura; eos enim noctu vias obisse affirmat ULPIANUS (289), ut curarent, ne furta in urbe fierent; sed Thesmothetas ipsos hoc munere functos esse vix credibile est.

Quod autem ad caussas attinet, constat earum plurimas Thesmothetis esse mandatas (290); apud eos enim intendebantur actiones de peregrinitate, si quis peregrinus pro cive se gesserat (ξενίας γραφή), si civem uxorem duxerat, aut peregrinam pro cive in matrimonium dederat, vel in jus ob id crimen vocatus, judices donis (δωροξενίᾳ) corruperat: poena

καὶ ἑστιοῦντο, Θεσμόθετιον ἐκαλεῖτο: sed hunc locum corruptum esse nemo non videt. Ceterum conjicere aliquis possit, illud Thesmothesion idem fuisse ac Prytaneum. Cf. SUIDAS in Πρυτανεῖον et INTERPR. ad Gloss. Herodot. T. VII. p. 344. Schweigh.

(286) DEMOSTH. adv. Leptin. p. 487. 14.

(287) AESCHIN. adv. Ctesiphont p. 429. sqq. DEMOSTH. Adv. Timocr. p. 706. ibique ULPIAN. p. 810. B. 811. A. Francof. Ex utroque loco duplicem legum censuram, vel Thesmothetarum, vel Nomothetarum, fuisse, quidam conjecerunt.

(288) POLLUX VIII. 88. DEMOSTH. De Halon. p. 78, 27. PETITI Legg. Att. p. 676.

(289) Ad Demosth. in Midiam p. 650. Francof.

(290) Cf. omnino HARPOCRAT. et SUIDAS vocc. ἡγεμονία δικαστηρίου, παράστασις et δωροξενία. POLLUX VIII. 87. Lex. Rhetor. ap. BEKKER. Anecd. p. 310. 14. SCHOL. Aesch. Adv. Timarch. p. 41.

autem hujuscemodi delicti haec erat legibus constituta, ut venderetur ipse, pecunia autem publicaretur, cujus tertia pars accusatori cederet (291).

Eodem modo et accusabatur et puniebatur peregrina, quae civi Attico nupserat. Item, si quis civis peregrinam, tanquam sibi propinquam, civi Attico elocasset, accusabatur per *γραφὴν* apud Thesmothetas, poenam autem subibat lege definitam (*ἀτιμίαν*) et bonorum publicationem (292). Deinde ad eos spectabant lites de corruptelâ, de sycophantiâ (293), de falso citatis et sub-

(291) DEMOSTH. in Neaer. p. 1350. 17. Ἐὰν δὲ ξένος ἀστῇ συνοικῇ τέχνῃ ἢ μηχανῇ ἡτινιοῦν, γραφέσθω πρὸς τοὺς Θεσμοθέτας Ἀθηναίων ὁ βουλόμενος, οἷς ἔξεστιν—ὡσαύτως δὲ καὶ ἐὰν ξένη ἀστῷ συνοικῇ. — Ξενίας δίκας introductas etiam esse a Ναυτοδίκαις, Judicibus in emporiis constitutis (Ναυτοδίκαι. οἱ ἐπὶ τοῦ ἐμπορίου δικασταῖς, HESYCH.) POLLUX VIII. 126. HARPOCR. voce Ναυτοδίκαι (qui laudat locum Aristophanis in Δαιταλεῦσιν a BRUNKIO Fragm. Aristoph. Tom. III. p. 240. e SUIDA. voce Βάψας emendatum) tradunt, nempe quando in emporio Atheniensium aliquis versabatur, civium jura usurpans. — Δωροξενίαν illustrat locus Hyperidis apud HARPOCRAT. in voce. Ἐπεὶ καὶ ὁ τῆς δωροξενίας νόμος ἁρμόττων ἐστὶ τῷ νῦν ἀγῶνι παραχθῆναι, εἰ γὰρ καὶ τοὺς ἀποφυγόντας ξενίας εἴρηκεν ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ πάλιν γράψασθαι, ἐὰν μὴ δοκῶσι δικαίως τὸ πρῶτον ἀποπεφευγέναι, πῶς οὐ φανερόν ἐστι κατ' Ἀρισταγόρας τὸ δίκαιον. POLLUX VIII. 44. δωροξενίας δὲ, εἴ τις ξενίας κρινόμενος, δῶρα δοὺς ἀποφύγοι. — Δώρων γραφὴ quae fuerit, planius quam HARPOCR. declarat lex apud DEMOSTH. in Steph. p. 1137. Ἐάν τις συνίστηται ἢ συνδικάζῃ τὴν Ἡλιαίαν ἢ τῶν δικαστηρίων τι τῶν Ἀθήνησιν ἢ τὴν βουλὴν ἐπὶ δωροδοκίᾳ χρήματα δοὺς ἢ δεχόμενος, ἢ ἑταιρίαν συνίστῃ ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου, ἢ συνήγορος ὢν λαμβάνῃ τὰ χρήματα ἐπὶ ταῖς δίκαις ταῖς ἰδίαις ἢ δημοσίαις, τούτων εἶναι τὰς γραφὰς πρὸς τοὺς Θεσμοθέτας. Δώρων γραφὴν a δικασμοῦ distinguit POLLUX VIII. 42.

(292) DEMOSTH. in Neaer. p. 1350. 17. 1363. 8. Ἐὰν δέ τις ἐκδιδῷ ξένην γυναῖκα ἀνδρὶ Ἀθηναίῳ ὡς ἑαυτῷ προσήκουσαν, ἄτιμος ἔστω, καὶ ἡ οὐσία αὐτοῦ δημοσία ἔστω, καὶ τοῦ ἑλόντος τό τρίτον μέρος, γραφέσθω δὲ πρὸς τοὺς Θεσμοθέτας, οἷς ἔξεστι, καθάπερ τῆς ξενίας. Ibid. p. 1366.

(293) De Sycophantiâ sive calumniâ testatur ISOCRATES De Permutat. p. 344. Cor. Περὶ

ornatis testibus (ψευδοκλητείᾳ), de nomine vel falso inter debitores aerarii relato (ψευδεγγραφῇ) (294), vel, antequam solutio facta esset, deleto (ἀγραφίῳ) (295), denique de adulterio (μοιχείᾳ) (296), et de injuriis illatis h. e. de contumeliâ sive re sive verbis factâ (ὕβρει) (297).

δὲ τῶν συκοφαντῶν χαλεπωτέρους, ἢ περὶ τῶν ἄλλων κακουργιῶν, τοὺς νόμους ἔθεσαν. Τοῖς μὲν γὰρ μεγίστοις τῶν ἀδικημάτων, ἐν ἑνὶ τῶν δικαστηρίων τὰς κρίσεις ἐποιήσαντο, κατὰ δὲ τούτων γραφὰς μὲν πρὸς τοὺς θεσμοθέτας, εἰσαγγελίας δὲ εἰς τὴν βουλὴν, προβολὰς δὲ ἐν τῷ δήμῳ.

(294) De ψευδοκλητείᾳ et ψευδεγγραφῇ vid. HARPOCR. v. v. et POLLUX VIII. 43. 44. Cum ψευδεγγραφῇ convenit βούλευσις. POLLUX VIII. 43. HARPOCR. Βουλεύσεως, ἐγκλήματος ὄνομα ἐπὶ δυοῖν ταττόμενον πραγμάτων — τὸ δ' ἕτερον, ὅταν ἐγγεγραμμένος, ὡς ὀφείλων τῷ δημοσίῳ, αὐτὸς δικάζηταί τινι, ὡς οὐ δικαίως αὐτὸν ἐγγεγραφότι. Hoc sensu occurrit ap. DEMOSTH. in Aristogit. p. 791. 25. 778. 19. Quomodo differat ψευδέγγραφὴ a βουλεύσει, docere tentat SUID. voce ψευδὴς ἐγγραφή.

(295) De ἀγραφίου γραφῇ locus disertus est DEMOSTH. in Theocr. p. 1338. Ὁ νόμος οὐ κατὰ τῶν ὀφειλόντων καὶ μὴ ἐγγραφέντων κελεύει τὰς γραφὰς τοῦ ἀγραφίου εἶναι, ἀλλ' οἵ τινες ἂν ἐγγραφέντες καὶ μὴ ἐκτίσαντες τῇ πόλει τὸ ὄφλημα ἐξαλειφθῶσι — Ἀκούετε τοῦ νόμου, ὦ ἄνδρες δικασταὶ ὅτι διαῤῥήδην λέγει, ἐάν τις τῶν ὀφειλόντων τῷ δημοσίῳ, μὴ ἐκτίσας τὸ ὄφλημα τῇ πόλει, ἐξαλειφθῇ, εἶναι κατ' αὐτοῦ τὰς γραφὰς πρὸς τοὺς Θεσμοθέτας τοῦ ἀγραφίου. Cf. HARPOCR. et SUID. voce ἀγραφίου δίκη.

(296) De adulterio a Thesmothetis cognoscendo vid. DEMOSTH. in Neaer. p. 1367. 10. adv. Androt. p. 599. 27. 602. 10. ibique Argumentum p. 588. 26. Pollux VIII. 88. coll. MEURSIO Them. Att. I. 41. PETIT. Legg. Att. IV. p. 559. HERALD. Animadv. p. 357. sqq. TAYLOR. Lection. Lysiac. p. 301. sqq. HEFFTER. p. 178. sqq. Ad Thesmothetas deferebantur etiam ii viri, qui quaestum corpore fecissent, οἱ ἡταιρηκότες, DEMOSTH. in Androt. p. 599. 23. De ἑταιρήσει vid. quae attulit MENAG. ad Diog. Laert. I. § 55. praecipue AESCHIN. in Timarch. p. 39.

(297) Δίκη ὕβρεως, quam omittit POLLUX VIII. 88: ad Thesmothetas autem alii referunt. Ea ad contumeliam quamcumque spectabat, inprimis, quando quis pudicitiam expugnare conabatur. AESCHIN. in Timarch. p. 41. ἄν τις Ἀθηναίων ἐλεύθερον παῖδα ὑβρίσῃ, (DEMOSTH. in Mid. p. 529. 16. sqq. qui eamdem legem laudat: ἐάν τις ὑβρίσῃ εἰς τινα ἢ παῖδα, ἢ γυναῖκα, ἢ ἄνδρα τῶν ἐλευθέρων ἢ τῶν δούλων, ἢ παράνομόν τι ποιήσῃ εἰς τούτων τινὰ, ὕβρις, ista intelligenda de vi in corpus impudice factâ) γραφέσθω ὁ κύριος τοῦ παιδὸς

Caedi consulto patratae capitis supplicium; vulneri inflicto exilium legibus constitutum erat. Quodsi homicida ante latam sententiam solum vertisset, exilio perpetuo multabatur bonaque ejus publicabantur. Si in patriâ delitisceret vel si redisset, adducebatur ad Thesmothetas, quibus eum interficere licebat (298). Ad eos etiam deferebantur delationes scripto consignatae (ἐνδείξεις), v. c. cum crimen ita manifestum videretur, ut jam de facto nullâ amplius cognitione opus esset, sed poena tantum a reo repetenda, inter alia, si quis loca ea ingressus esset, a quibus per leges arceretur (299).

πρὸς τοὺς Θεσμοθέτας, τίμημα ἐπιγραψάμενος.... (deesse hic quaedam, quod Petito Legg. Att. VI. 5. videbatur, apparet e Demosth. l. l. οὗ δ᾽ ἂν τὸ δικαστήριον καταψηφισθῇ, παραδοθεὶς τοῖς ἕνδεκα, τεθνάτω αὐθήμερον) Demosth. ὅτου δ᾽ ἂν καταγνῶσι, (put. καταγνωσθῇ) ἡ Ἡλιαία τιμάτω περὶ αὐτοῦ παραχρῆμα, ὅτου ἂν δόξῃ ἄξιος εἶναι ἢ ἀποτίσαι) Cf. Demosth. in Pantaen. p. 976. 11. in Steph. p. 1102. 18. Isocrat. in Lochit. p. 397. init. Cor. Τῶν μὲν ἄλλων ἐγκλημάτων αὐτῷ μόνῳ τῷ παθόντι κακῶς ὁ δράσας ὑπόδικός ἐστι· περὶ δὲ τῆς ὕβρεως, ὡς κοινοῦ τοῦ πράγματος ὄντος, ἔξεστι τῷ βουλομένῳ τῶν πολιτῶν, γραψαμένῳ πρὸς τοὺς Θεσμοθέτας, εἰσελθεῖν εἰς ὑμᾶς. Plutarch. Solon. cap. 18. fin. Ad ὕβριν διὰ πληγῶν refertur etiam Aristoph. Avib. v. 1046. Vesp. 1457, ibidem 1481. Ἀρχαὶ magistratus, non vero Archon Eponymus est. Ad contumelias verbis factas pertinent τὰ ἀπόρρητα. Vid. Harpocr. p. 57. et Vales. ad Notas Mauss. p. 96. Ceterum ὁ ὑβρίζων ὕβρεως accusari poterat ab alio quocumque, etiam post mortem τοῦ ὑβρισθέντος (Aristotel. Rhet. I. 43. Σοφοκλῆς ὑπὲρ Εὐκτήμονος συνηγορῶν, ἐπεὶ ἀπέσφαξεν ἑαυτὸν ὑβρισθείς, οὐ τιμήσειν ἔφη ἐλάττονος, ἢ οὗ ὁ παθὼν ἐτίμησεν ἑαυτόν), et poenâ, morte etiam ipsâ, affici poterat (Aristotel. Problemat. 29. 16. ἐπὶ τῇ ὕβρει τίμησις, τί χρὴ παθεῖν, ἢ ἀποτῖσαι. Idem Rhet. I. 43. Lysias fragm. 17. 30.).

(298) Demosth. Adv. Aristocr. p. 630. 13. οἱ Θεσμοθέται κύριοί εἰσι τοὺς ἐπὶ φόνῳ φεύγοντας θανάτῳ ζημιῶσαι. Idem in Mid. p. 528.

(299) Lexicon in Bekkeri Anecd. Gr. P. I. p. 250, ἔνδειξις. Thesmothetarum fuisse eos supplicio punire, qui apparuissent, quo commorari non possent, i. e. qui propter homicidium aufugissent et in patriam redissent, affirmant Pollux VIII. 86 et Demosth. in Aristocrat. p. 630. 13. Id ἔνδειξιν fuisse, docet idem Demosth. l. l. p. 636. 10. 14.

Praesertim autem ἐνδεῖξεις locum habebant adversus Proëdros et Prytanes, qui de subrogandis in locum abrogatarum novis legibus concionem non ex praescripto habuissent. Quod nisi judicio stitissent Thesmothetae, carebant honore, qui Archontibus magistratu abeuntibus actis eorum probatis debebatur, ut in Areopagum adscenderent; item adversus eos, qui munere aliquo publico fungerentur, cum essent aerarii debitores (300). A Thesmothetis etiam exercebantur δοκιμασίας judicia, cum nimirum magistratus propter vitae turpitudinem indignos sese muneribus et honoribus praebuissent (301). Porro ad eos spectabat εὐθύνη, quâ vitae magistratusque gesti ratio a magistratibus reposcebatur (302).

Quemadmodum autem in Psephismatis, ita in legibus ferendis diligenter eis videndnm erat, ne quid inesset, quod aut indignum reipublicae majestate, aut injustum, aut a

17. Cf. SCHOL. ad eumdem adv. Lept. apud REISK. P. II. Schol. p. 81. HARPOCR. ZONAR. et ETYMOLOG. M. voce ἔνδειξις Utrum autem ἔνδειξις illa, quam POLLUX VIII. 49. Archonti adsignat, ad Thesmothetas sit referenda, non constat. Ceterum ἐνδείξεις ad Undecimviros quoque pertinuisse in comperto est, eodem prorsus modo atque ad Thesmothetas. Verum hac in re differentiam, non autem contentionem fuisse statuendum est. Sed de utrâque ἐνδείξεως specie jam supra sumus locuti.

(300) Lex exstat apud DEMOSTH. adv. Timocrat. p. 707. Cf. SCHOEMANN De Comitiis Athen. cap. X. p. 112. ibique nota 24.

(301) POLLUX VIII. 88. εἰσάγουσι δὲ καὶ δοκιμασίαν ταῖς ἀρχαῖς. LYSIAS in Alcibiadem p. 152. Tauchn. p. 558. REISKII, qui vocem ὑμετέρᾳ a Bekkero nuper jure revocatam temere mutaverat in ἡμετέρᾳ.

(302) POLLUX l. l. coll. § 87. Εὐθύνην ad omnes Novemviros spectasse, auctor est LYSIAS adv. Nicomach. p. 250. Tauchn. Conf. vero etiam HARPOCRAT. voce εὐθύνας. Lex Rhetor. ap. BEKKER. Anecdot. T. I. p. 245. 6. p. 257. POLLUX VIII. 100.

bono publico alienum haberi posset (τὰς τῶν παρανόμων γραφὰς, καὶ εἴ τις μὴ ἐπιτήδειον νόμον γράψειε) (303); quamquam ejusmodi delatio apud AESCHINEM adversus Ctesiphontem ad Archontem, quo nomine Archon Eponymus plerumque intelligendus est, facta esse dicitur (304).

Praeterea caussas eorum, qui a tributibus e numero civium exemti essent, (τῶν ἀπεψηφισμένων) denuo judiciis tractandas proponebant (305); praeterea sociorum caussas de pactis initis (τὰ ἀπὸ τῶν συμβόλων) praejudicia senatus, lites de mercaturâ (δίκας ἐμπορικὰς) (306) et metallis, accusationes apud populum de violatis sacris factas (307), actiones legum malè latarum injuriarumque liberis hominibus a servis factarum in judicium adducebant (308). Inquisitiones etiam falsorum testimoniorum

(303) POLLUX VIII. 87. SCHOL. ad Aeschin. adv. Timarch. p. 722. DEMOSTH. adv. Aristogit. II. p. 803. 4. adv. Leptin. § 80. SCHOL. ad Demosth. P. II. p. 172. Reisk. SCHOL. ad Plat. Phaedr. p. 236. A. DEMOSTH. De Cor. p. 243.

(304) Apud Demosth. De Cor. p. 243. 12. Cf. supra cap. I.

(305) MEIER. De Bonis Damnator. p. 88. sqq.

(306) DEMOSTH. adv. Apatur. p. 892. adv. Phormion. p. 920. 20. Τοῖς ἐμπόροις καὶ τοῖς ναυκλήροις κελεύει ὁ νόμος τὰς δίκας εἶναι πρὸς τοὺς Θεσμοθέτας. DEMOSTH. adv. Pantaenet. p. 976. 18. coll. POLLUCE VIII. 44. VIII. 88. BOECKH. *v. d. Lauris. Silber-Bergwerk.* p. 130. POLLUX VIII. 88. Hic vero alios magistratus (εἰσαγωγεῖς) huic muneri praefuisse narrat, VIII. 101. Cf. CLAUD. SALMASIUS Observ. ad Jus Att. et Rom. p. 53.

(307) ANDOCIDES De Mysteriis p. 14. extr.

(308) POLLUX l. l. εἰσάγουσι — καὶ τοὺς ἀπεψηφισμένους καὶ τὰς τῆς βουλῆς καταγνώσεις, καὶ δίκας ἐμπορικὰς καὶ μεταλλικάς. Καὶ ἂν δοῦλος κακῶς ἀγορεύῃ τὸν ἐλεύθερον — καὶ δίκας τὰς (f. καὶ δίκας τὰς) ἀπὸ συμβόλων (i. e. controversias, quae ex pactis inter duos populos foederatos initis dirimendae erant. Vid HARPOCR. voce σύμβολα et ibi VALES. p. 72. HESYCH. voce ἀπὸ συμβόλων δικάζειν.).

(τῶν ψευδομαρτυριῶν) ex Areopago in judicium deferebant (309). Recriminationem autem (ἀντιγραφὴν) propter falsum testimonium ad Archontes spectasse auctor est DEMOSTHENES (310). Hic autem animadvertendum est Thesmothetas omnes caussas vel ad comitia vel ad senatum pertinentes ad judicia detulisse iisque praefuisse (311). Constitutum enim erat, ut, si quis esset per εἰσαγγελίαν ad Senatum delatus et a senatu in vincula conjectus, senatusconsultum illud, quo eum criminis teneri senatus judicasset, a scribâ Prytaniae traderetur Thesmothetis, hique reum in judicium deducerent. Cujus rei legitimus ordo is fuisse videtur, qui indicatur in Timocratis lege apud DEMOSTHENEM (312): Τιμοκράτης εἶπεν· ὁπόσοι Ἀθηναίων κατ' εἰσαγγελίαν ἐκ τῆς βουλῆς ἢ νῦν εἰσὶν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, ἢ τὸ λοιπὸν κατατεθῶσι, καὶ μὴ παραδοθῇ ἡ κατάγνωσις αὐτῶν τοῖς Θεσμοθέταις ὑπὸ τοῦ γραμματέως τοῦ κατὰ πρυτανείαν κατὰ τὸν εἰσαγγελτικὸν νόμον, δεδόχθαι, τοῖς Θεσμοθέταις εἰσάγειν τοὺς ἕνδεκα εἰς τὸ δικαστήριον ἐντὸς τριάκονθ' ἡμερῶν, ἀφ' ἧς ἂν παραλάβωσιν, ἐὰν μή τι δημοσίᾳ κωλύῃ. Ἐὰν δὲ μὴ, ὅταν πρῶτον οἷόν τ' ᾖ· κατηγορεῖν δ' Ἀθηναίων τὸν βουλόμενον οἷς ἔξεστιν. Ἐὰν δ' ἁλῷ, τιμάτω ἡ Ἡλιαία περὶ αὐτοῦ, ὅ, τι ἂν δοκῇ ἄξιος εἶναι παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι. ἐὰν δ' ἀργυρίου τιμηθῇ, δεδέσθω τέως, ἕως ἂν ἐκτίσῃ ὅ, τι ἂν αὐτοῦ καταγνωσθῇ. Huic veteri legi alia

(309) POLLUX l. l. εἰσάγουσι καὶ τὰς τῶν ψευδομαρτυριῶν ἐξ Ἀρείου πάγου.

(310) Adv. Stephan. A. p. 1128. 9. Ἀντιγραφὴ locum habebat, si quis reus ipse accusatorem accusabat. POLLUX VIII. 6. 58.

(311) Lex exstat ap. DEMOSTH. in Timocr. p. 720. 21. POLLUX VIII. 88. ANTIPHON De Choreut. p. 782. extr. p. 783. 14. Vitae Decem Orator. in PLUTARCHI Opp. Mor. p. 833. D. F. SCHOEMANN. De Comitiis p. 201-205. et p. 209.

(312) DEMOSTH. l. l. POLLUX l. l.

nova subrogata est a Timocrate, ut, si quando senatusconsultum illud (ἡ κατάγνωσις) Thesmothetis a scribâ tradita non esset, Undecimvirorum esset officium, intra triginta dies ex quo reus ipsis traditus, i. e. in vincula datus esset, eum Thesmothetis adducere judicioque sistere, nisi si quid publici impedimenti incidisset. Accusare autem reum in judicio liceret cuivis civi, qui statu esset integro. Condemnato reo poena aestimaretur ab Heliaeâ. Si mulcta dicta esset, in vinculis haberetur, donec eam solvisset. Postremo autem ad Thesmothetas pertinebant proditionis caussae (προδοσίας γραφή) (313), et si quis populi imperium labefactaret atque eversum iret; cujus criminis εἰσαγγελίαν fuisse Theophrastus tradit apud POLLUCEM, γραφὴν vero DEMOSTHENES (314). Ex quibus omnibus facile intelligitur omnes lites ad rempublicam pertinentes a Thesmothetis ad judicia delatas esse.

Finitâ disputatione de privatis Novem Archontum muneribus, restat, ut videamus, quaenam eorum jura et honores fuerint.

Jam supra vidimus Archontem Eponymum sui ordinis spectatissimum et fuisse et habitum esse: nec immerito. Ejus enim nomine et annus designabatur et tabulae publicae numique inscribebantur. Sed omnibus omnino Archontibus id honoris

(313) POLLUX VIII. 40. Vitae Dec. Orator. p. 833. D. F.

(314) Idem VIII. 52. Cf. DINARCH. in Dem. p. 102. 14. — DEMOSTH. Orat. II. in Steph. p. 1137. Νόμος. Ἐάν τις συνίστηται ἢ συνδικάζῃ τὴν Ἡλιαίαν, ἢ τῶν δικαστηρίων τι τῶν Ἀθήνησιν, ἢ τὴν βουλὴν, ἐπὶ δωροδοκίᾳ χρήματα διδοὺς ἢ δεχόμενος, ἢ ἑταιρίαν συνίστῃ ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου, — τούτων εἶναι τὰς γραφὰς πρὸς τοὺς Θεσμοθέτας.

praestabatur, ut, si quis quemdam eorum, Thesmothetarum nominatim, coronatum, i. e. munere suo fungentem pulsasset conviciisve incessisset, infamiâ (ἀτιμίᾳ) notaretur (315). Quoniam autem tantâ observantiâ colebantur, constitutum etiam erat, ut Archontes fieri non possent cives adscriptitii (id de Archontibus et sacerdotibus, non vero de aliis magistratibus valebat), sed ii tantum, qui in tertio consanguinitatis gradu ex civibus utraque parte Atheniensibus orti essent. (316).

Inter magistratus soli Novemviri immunes erant a Triremium praefecturâ (τριηραρχίᾳ) (317). Archonti autem Eponymo, Regi item et Polemarcho assessores (Πάρεδροι) bini singulis in consilio aderant, qui neque sorte, neque populi voluntate, sed eorum, quibus assidebant, beneficio et arbitratu eligebantur (318).

(315) DEMOSTH. in Midiam. p. 524. 22. 27.

(316) DEMOSTH. in Neaer. p. 1376. 16. AMMONIUS, MOERIS ac THOMAS MAG. voce ἐντελῆ, ad eosque Interprr.

(317) DEMOSTH. in Leptin. p. 465. 18.

(318) ARISTOT. ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ apud Harpocr. ubi sic : λαμβάνουσι δὲ παρέδρους ὅ, τε Ἄρχων καὶ ὁ Πολέμαρχος, δύο ἑκάτερος, οὓς ἂν βούληται. καὶ οὗτοι δοκιμάζονται ἐν τῷ δικαστηρίῳ πρὶν παρεδρεύειν, καὶ εὐθύνας διδόασιν, ἐπὰν παρεδρεύωσιν. Item ap. PHOTIUM voce Πάρεδρος. ETYMOLOGICUM M. Πάρεδροι. POLLUX VIII. 92. Πάρεδροι δ᾽ ὀνομάζονται οὓς αἱροῦνται Ἄρχων, καὶ Βασιλεύς, καὶ Πολέμαρχος, δύο ἕκαστος, οὓς βούλεται. AESCHIN. adv. Timarch. p. 159. DEMOSTH. in Mid. p. 572. 10. quem locum ubi comparamus cum Or. in Neaer. p. 1369. sq. in Theocrin. p. 1330. 14. simul intelligimus, Archontes hos ad adsessorum munus plerumque elegisse cognatos suos aut propinquos. Quod si vero ab ARISTOTELE l. l. λαμβάνουσι δὲ παρέδρους ὅ, τε Ἄρχων καὶ ὁ Πολέμαρχος δύο ἑκάτηρος, οὓς ἂν βούληται, Archonti tantum et Polemarcho adsessores tribui videntur, locus haud dubie mutilatus e POLLUCE VIII. 92. ita erit corrigendus, ut addatur καὶ ὁ βασιλεύς et ἑκάτερος mutetur in ἕκαστος. Quâ de correctione eo minus videtur esse ambigendum quod Regis Adsessor diserte memoratur a DEMOSTHENE, Adv. Neaer. p. 1369. 20. et 1373. 21.

Unde consequens est eos Archontum voluntati obnoxios fuisse ab iisque a munere submoveri potuisse (319). Ut autem Archontes, antequam magistratum capesserent, examinabantur, sic etiam in Paredrorum vitam inquirebatur, idque fiebat prius apud Quingentorum Senatum, deinde apud Judices (320). Scribam praeterea sibi adsumebant, qui leges et decreta servaret (321). Postremo Archontibus senaculum (τὸ τῶν Ἀρχόντων οἴκημα) erat, ubi convenirent, si unâ iis esset deliberandum (322).

Ceterum Archontum dignitas adeo invaluerat in republicâ Atheniensi, ut quocumque modo turbata sit postea et labefactata, semper ad pristinum suum statum rediret ac tamdiu Athenis permaneret, quamdiu antiquae libertatis reliquiae felicitatisque recordatio superessent. Unde etiam factum est, ut ad Romanorum Imperatorum usque aetatem Archontes continuatâ successorum serie muneribus suis in republicâ semper functi sint (323).

(319) DEMOSTH. in Neaer. p. 1373. 22.

(320) POLLUX l. l. δοκιμασθῆναι δὲ αὐτοὺς ἐχρῆν ἐν τοῖς Πεντακοσίοις, εἶτ' ἐν δικαστηρίῳ. ARISTOT. ap. Harpocrat. l. l. qui insuper eos tradit rationi reddendae fuisse obnoxios. Καὶ οὗτοι δοκιμάζονται ἐν τῷ δικαστηρίῳ πρὶν παρεδρεύειν καὶ εὐθύνας διδόασιν ἐπὰν παρεδρεύσωσιν. Vid. omnino THEOD. SILLII Dissert. De Assesseribus Archontum apud Athenienses, Lugd. Batav. 1719. 8. quam vero Dissertationem ab aliis laudatam ipsis nobis non licuit inspicere.

(321) POLLUX l. l. coll. VIII. 102. AESCHIN. in Ctesiph. p. 403. — Et quis nescit, quam saepe in Judicialibus orationibus scribae excitentur ad recitandum? Erant autem hi, ut videtur, scribae Archontum.

(322) DEMOSTH. in Mid. p. 542. 2.

(323) Cfr. Inscriptio in MONTEFALCONII Palaeographiâ Graecâ p. 148. CORSINUS Fast. Attic. Diss. I. cap. 35. p. 40. s.

XV.

JOSEPHI ANTONII LEROY

RESPONSUM

AD

QUAESTIONEM MEDICAM.

JOSEPHI ANTONII LEROY

ANTVERPIENSIS,

MEDICINAE IN ACADEMIA LOVANIENSI CANDIDATI,

RESPONSUM

AD QUAESTIONEM AB ORDINE MEDICORUM PROPOSITAM:

Determinentur dispositiones cranii infantis, quibus tempore puerperii ad usum forcipis obstetriciae confugiendum est, indicentur deinceps illae, quibus summopere ab illo instrumento abstinendum est. Legitima demonstratione corroboretur utraque determinatio, eodem deinde modo indicetur usus vectis obstetricii, elicitaturque ex allatis demonstrationibus summa illa differentia, quae inter usum horum adminiculorum intercedit, ita ut intelligatur, quodnam sit peculiare utriusque officium.

QUOD PRAEMIO ORNATUM EST.

Ὡς γὰρ εἴ τις ἐς λήκυθον μικρόστομον πυρῆνα ἐμβάλλοι οὐκ εὐφυὲς ἐξελεῖν πλαγιεύμενον, οὕτω δὴ καὶ τῇ γυναικὶ χαλεπὸν πάθημα τὸ ἔμβρυον ἐπειδὰν λοξωθῇ· καὶ γὰρ χαλεπὸν ἐξελθεῖν.

ΙΠΠΟΚΡ. γυναικείων πρῶτον, τμῆμ. ί.

PROOEMIUM.

ARBITRARI haud dedecet, eo quo vivimus tempore, in dubium amplius non esse revocandum, hominem in statu morali consideratum, ab homine natum esse mere physico cujus alteram tantum constituit faciem (a), moralesque nostras facultates semper esse in ratione directa cum ipsa organorum structura et constitutione (b) easque eo esse præstantiores quo illarum legibus melius obtemperatum fuerit, et regulæ quibus integra hominis valetudo sustentatur majori cum cura erunt observatæ. Si præterea persuasum habeamus quotidiana patere

(a) CABANIS, *du degré de certitude de la médecine. Paris* 1797 *et* 1802.

(b) GALL, *sur les fonctions du cerveau et sur chacune de ses parties, Paris* 1823.

experientia a robustioribus et melius constitutis ac valentibus majorem oriri vigorem quam a debilitatis et prava valetudine gaudentibus, nam

> Fortes creantur fortibus et bonis.
> Est in juvencis, est in equis patrum
> Virtus : nec imbellem feroces
> Progenerant aquilæ columbam (1).

ad hæc, inquam, omnia si animum sedulo intendamus, num possumus non agnoscere et curas et cognitiones quibus incumbat oportet medicus, in valetudine gravidarum curanda, quæ et iisdem debebunt curis et cognitionibus, si præbeant societati civem in ipsa vivendi dignum, et in quo stabilius publicæ rei firmamentum non inconsulto poni potest ? Et alius quinam medicus, quam qui celeberrimorum quorumcumque obstetricantium libros sæpe evolverit et ita artis obstetriciæ principiis fuerit imbutus, matri indicare rite poterit regimen graviditatis tempore observandum, ut felicem organorum constitutionem et omnium inde facultatum intellectus et moralium futuro quem gestat homini principium largiatur ? Quæ si adeo certa sunt quam quæ certissima, num haud possumus non agnoscere, ob artem in qua versamur neglectam,

(1) Hor. lib. IV. Od. III.

hominem à medico, in morbis et luctu trahendi vitam, posteritatique suæ, suarum infirmitatum transmittendi seminia in periculum sæpe sæpius vocari?

Non tantum medicorum sed hominum in genere quemnam fugiunt illi casus quibus mater omni impossibilitate premitur officio fungendi quod ipsi, ipso matris titulo, indictum est, in quibusque amoris sui fructum alienis committendi manibus ad necessitatem cogitur? cujusnam in oculos non cadit et animi perspicacia et cognitiones quæ requiruntur ad infelicissimæ huicce matri processus indicandos quibus difficiliori in casu facilior reddatur lactatus maternus, et in iis ubi nullo quocumque modo comparari res potest, media suppeditentur simpliciora, quæ lactatui materno impossibili substitui queant, ne tenerrimi illi recens-nati debitis auxiliis et curis misere frustrentur? Haud secus ac philosophus Genevensis sacra lactatus materni laudibus ad cœlum extollimus officia, mulieris maxime interesse naturæ audire vocem, cum eo libenter agnoscimus, homini tamen urbanitate polito et in media societate humana viventi admittendos esse casus ubi natura illa sine matris et infantis periculo jus suum vindicare sibi non potest, inconsulto certe non arbitramur: et quinam iterum medicus quam qui Lucinæ scientia arcte erit edoctus, cognitiones illas adferendaque auxilia rite possidebit?

Illa sunt, Viri Doctissimi, Judices integerrimi, quæ cum diutius animo cogitaveram, quibusque cum fortiter fuerim imbutus, incitarunt me ad respondendum quæstioni huic pulcherrimæ, eo quidem consilio, ut in hac re pertractanda plurimos obstetricantium libros evolvere coactus, eas ex illis haurirem cognitiones quibus indigere medicus non potest, si ea, dolenti generi humano profiteri velit, quæ jure ac merito expectari ab ipso possunt officia.

INTRODUCTIO.

Antequam argumentum meum tractare susciperem, summam agnovi necessitatem judicibus meis theoriam, quæ nostris continuo præerit demonstrationibus, breviter exponendi : quam cautelam omnino necessariam sum arbitratus ne continuo per tenebras progrederer, neque talia conscriberem argumenta quibus nec initium nec finis facile distingui posset; quo quidem consilio de prædicta theoria quam brevissima verba nonnulla sumus facturi.

Partus tres periodi cum in introitu, in transgressu et in exitu capitis infantis per canalem osseum pelvis consistant, canalis illius vel potius pelvis integræ consideratio prima nobis animo occurrit, in eamque primo versabimur, quin tamen nec alia quam quæ necessaria sunt ad memoriam revocemus, nec ad inutilia et materiæ nostræ aliena animum minutatim intendamus.

Pelvis quæ in majorem et minorem ab obstetricantibus dividi solet, canalis est osseus in adultis quatuor, in recensnatis octo ossibus constans, determinatis gaudens rationibus et constituens cavitatem infimam corporis humani. Isthmus superior est introitus minoris pelvis cujus exitum isthmus inferior constituit. Axis isthmi superioris pelvis lineam gravitatis corporis humani, ad angulum fere rectum, secat, et axis isthmi inferioris secat axim isthmi superioris ad angulum mere obtusum. Plana igitur amborum isthmorum sibi invicem non parallela sunt, et axis totius pelvis linea curva est qua contractionum uterinarum directio rite exprimitur (1).

In statu recenti, id est cum pelvis integumentis suis communibus instructa est, isthmi illi, superior et inferior haud prorsus immerito tanquam circuli considerari possunt. In hisce circulis quatuor præsertim considerandæ veniunt diametri quarum octo extremitates in utroque isthmo octo punctis cardinalibus eorumdem circulorum, haud secus ac in pyxide nautica, respondent.

Isthmi superioris, dimensiones metiendi causa, quatuor stabilitæ fuerunt diametri; antero-posterior, sacro-pubiana, ex angulo sacro-vertebrali ad partem superiorem symphiseos ossium pubis producitur, pollicesque 4 mensuratur. Transversa ceu iliaca quæ media parte marginis pelvis ad punctum directe oppositum dirigitur, pollices 5 pro mensura habet. In-

(1) VAN SOLINGEN, prælect. in art. obstetr. § § 22, 35 et seq.

	SMELLIE (α)	BURTON (β)
Diam.		
Ant.-post.	4 1/4 poll.	4 1/4
Transvers.	5 1/4	5 1/2
Obliq.		

	SMELLIE	BURTON
Diam.		
Ant.-post.	5 1/2	4 1/4
Transvers.	4 1/2	4 1/4
Obliq.		

In mensura illa intermedia 4]

(α) WILLIAM SMELLIE, *a treatise on the theorie c*

(β) JOHN. BURTON *an assay towards a complete*

(γ) P. DEWIND, *'t geklemd hooft geredt.*

(δ) *Voorreden aan het tractaat van de ziektens de*

(ε) L'art des Accouchemens. Paris 1815.

(ζ) Mensuras omnes illas quam maxime inter se inter mensuras existit juxta quas uterque auctoru

Pes Angl. uln. nov. Belg. = 139100 : 443296; 139130 : 443296.

termedia gaudent magnitudine diametri quæ obliquæ nuncupantur; e parte posteriori cavitatis cotyloideæ ad symphysim sacro-iliacam extenduntur et mensura 4, 5 pollicum iisdem statuta fuit.

Diametri isthmi inferioris non secus ac in isthmo superiori distinguuntur etiam in antero-posteriorem, quæ e parte inferiori interna symphyseos pubis ad verticem usque ossis coccygis extenditur; in transversam, ab una tuberositatum ischiaticarum ad alteram, productam, et in obliquas, quæ ex unione rami descendentis pubiani cum ramo ascendente ischii ad mediam ligamentorum sacro-ischiaticorum lateris oppositi partem producuntur; mensura communi pollicum 4 sunt donatæ. In determinanda tamen amplitudine diametrorum tam in isthmo superiori quam in inferiori minime inter se consentiunt auctores, quod adjecta sequenti tabula patere clarius mihi visum est. Ad memoriam quoque revocandum esse arbitramur quatuor præcipuas in cranio fœtus haberi diametros quarum duæ minores duæque majores exstant : minores perpendicularis quæ a vertice capitis ad basim cranii extenditur, et transversalis a tuberositate parietali ad alteram oppositam producta, audiunt. Cum harum diametrorum prima cranii altitudinem et secunda latitudinem metiatur, duabus simul sumptis, minor capitis circumferentia determinabitur; utriusque hujus diametri longitudo major 3, 5 pollices adæquat (1).

(1) Diametri illæ, relative ad partus mechanismum tanquam inter se æquales considerari nequirent : latitudo cranii, cum illud per canalem pelvis transgreditur, majorem pati potest reductionem mobilitate parietalium quam ipsa capitis altitudo quæ haud aliam

Aliæ capitis diametri sunt longitudinalis sive diameter major quæ 4 ¼ pollices pro mensura habet, quæque a media fronte ad partem occipitis sublimiorem extensa, cranii longitudinem longitudinali sensu determinat, et diameter obliqua sive maxima 5 ¼ pollicum, qua, ex mento ad extremitatem posteriorem suturæ sagittalis producta, cranii longitudo sensu obliquo indicatur. Quibus 4 diametris eruitur cognitio trium superficierum quæ in cranio infantis occurrunt, minor quam, ut supra jam diximus, metiuntur perpendicularis et transversa, major quam longitudinalis metitur, et tandem maxima quæ diametro obliqua mensuratur.

Quibus jam præmissis, et antequam ulterius progrediamur, superest ut principium generale enunciemus quod omnium illarum rerum de quibus tam practice quam theoretice loquemur, basim sistit, et quod quibuscumque nostris explicationibus et demonstrationibus præerit. Generale illud principium a Doctissimo Professore Van Solingen detectum in opere (1) suo de partus mechanismo sequentibus hisce verbis fuit enunciatum : « In omni partu, et in omnibus ejus periodis, sive caput prævium sit, sive pedes sint prævii, minores cranii diametri, optimis pelvis dimensionibus semper respondere debent. »

admittit diminutionem nisi eam quæ oritur cum, posterioris fontanellæ beneficio, occiput ad interiora paululum deprimi potest, et sic sub angulos parietalium posteriores et superiores occurrendo ad synciput quasi accedere.

(1) *Het werktuiglyke der verlossing verklaard, betoogd en herleid tot een algemeen grondbeginsel. Leyden* 1799.

Enunciatum vero illud ut rite intelligatur, superesse nobis aliquid adimplendum patet; breviter nempe demonstrandum quales, pro transitu cranii infantis, pelvis illæ optimæ exstant dimensiones. Quamvis cum LEVRETO haud dicamus partum operationem esse mere mechanicam et geometrica demonstratione capacem, nec cum ASTRUCIO obstetricantis artem ad problema (1) reducamus, dicere tamen licet, quamlibet incongrua deprehendatur sæpissime physices principiorum ad viventem œconomiam applicatio, certum esse, cranium infantis pelvim maternam transgressurum, transitum illum eo transiturum esse facilius, quo minores suas superficies dimensionibus pelvis optimis obtulerit, ideoque ad principium generale supra enunciatum redimus. Eam jam persentiscuit idæam HIPPOCRATES cum fœtum olivæ nucleo in laguncula recluso, e qua, si transverse jaceat, egredi non potest, æquiparavit : « ὡς γὰρ εἴ τις ἐς λήκυθον μικρόστομον πυρῆνα ἐμβάλλοι οὐκ εὐφυὲς ἐξελθεῖν πλαγιούμενον, οὕτω δὴ καὶ τῇ γυναικὶ, χαλεπὸν πάθημα τὸ ἔμβρυον ἐπειδὰν λοξωθῇ· καὶ γὰρ χαλεπὸν ἐξελθεῖν (2). »

In isthmo superiori diagonales, in inferiori vero antero-posterior et transversa pelvis dimensiones optimæ habentur. Peti quidem posset quare, in isthmo superiori, diameter antero-posterior cujus longitudo ad 4 pollices extenditur et per quam igitur transire potest cranium infantis, si diametrum suam perpendicularem offerat quæ 3, 5 tantum pollicibus mensuratur,

(1) Astrucius artem obstetriciam ad sequens hoc problema mechanicum reduxerat : Data cavitate capacitatis certæ extensibili, extrahere ex illa corpus flexibile longitudinis et crassitudinis datæ, per aperturam quæ certum in modum potest dilatari.

(2) ΙΠΠΟΚΡ. γυναικείων πρῶτον, τμῆμα ί.

peti inquam posset quare diameter illa haud æque partui secunda et quidem secundior sit ac obliqua, primum quia cranio infantis transitum præbere potest, et quia, secundo, illa in positione caput, in trajectu suo, e superiori ad isthmum inferiorem, circuli ¼ partem percurrere non debet ut sub arcum pubianum perveniat; sed si animo cogitamus diametri antero-posterioris longitudinem dimidio tantum pollice perpendicularem cranii superare; perpendicularem sic dictam illam reipsa perpendicularem non esse, sed, ut jam fuit notatum, diametrum sistere obliquam et sic perpendiculari majorem, ideoque antero-posteriori circiter æqualem; si præterea consideretur verticem, pro rotatione sua pulchre convenire cum margine inferiore fossæ iliacæ, non vero cum prosiliente ultima vertebra lumborum congruere, diametrum antero-posteriorem, in isthmo superiori, dimensionibus obliquis multo minus esse fructuosam fatendum arbitrabimur.

Haud immerito etiam peti posset quia ratione diameter transversa (1) quæ ob ampliorem suam extensionem diametro per-

(1) Cum hic de variis hisce diametris relative ad puerperium loquamur et pelvim ideo partibus suis mollibus instructam consideremus, credi posset musculo psoadi majore, qui ab utroque latere columnæ lumbalis ad latera isthmi superioris descendit, et inde ad trochanterem femoris minorem producitur, credi inquam, posset illo musculo isthmi superioris formam immutari et quidem latitudine imminui, ita ut, diameter transversa obliquis tunc minor evadat; si animo autem attendamus tempore puerperii musculum illum ab infantis cranio nulla cum difficultate latera versus protrudi, et sic poni obstaculum ne dimensio transversa quodammodo imminuatur, observationem illam nullius fere esse ponderis nec momenti cum Celeberrimo BAUDELOCQUIO libenter confitemur. (*Principes sur l'art des accouchemens par demandes et réponses, en faveur des sages-femmes de la campagne. Sect.* VI, *p.* 29 *et* 30.)

pendiculari cranii infantis spatium multo majus offerre debet, omnium non est optima; sed cum perpendicularis cranii in diagonali æque ac in transversa necessariam inveniat motus libertatem, cum insuper occipiti ut ex diagonali ad excavationem pubis perveniat, octava tantum circuli parte sive 45° opus sit, dum, e transversa, circuli quadrantem sive arcum 90° percurrere debeat, iterum sumus coacti ut dimensionem transversam obliqua minus secundam agnoscamus. Sic quatuor dispositiones quæ duabus diametris obliquis mensurantur, quatuor sunt *naturales* in isthmo superiori, quatuor reliquæ *non naturales*.

Supra vero diximus, in isthmo inferiori, antero-posteriorem et transversam dimensiones esse optimas : primo quidem intuitu selectus ille diametrorum mirus satis apparere posset, omnes quippe eadem extensione gaudent, ideoque nihil interesse videtur cuinam earum diametrorum, cranii diameter perpendicularis aut transversa respondeat; cum illæ vero diametri 3,5 pollicibus mensurantur, et sic pollicis dimidii spatium capiti tantum supersit ad suos inter hujus isthmi dimensiones motus exercendos, non possumus, in arctata illa positione in qua caput illo deprehenditur momento, haud possumus inquam de diametrorum selectu non laborare, cum, enunciata jam *coincidentia*, majorem cranii motibus præberi libertatem probari possit; cum vero cranii dimensio transversa ea est quæ, propter fontanellæ anterioris structuram, mutuamque parietalium in se intricationem, compressionis auxilio maxime potest imminui, et cum ipsa illa compressio validior erit, re-

gulariter et gradatim instituta dum transversalis capitis isthmi inferioris dimensioni transversæ respondet, tunc enim caput inter tubera ischiatica hærens, compressionem patitur transversalem quæ eam multo superat quam, si transversa ejus diameter diagonalibus responderet, expertiretur, sequitur, in dimensione diagonali compressionem esse non sufficientem aut fere nullam, capitis impulsioni obedientibus ligamentis sacro-ischiaticis, dum in enunciata jam pluries coincidentia, tuberositates ischiaticæ impulsioni huic inexsuperabile obstaculum opponant.

Transversali capitis conveniente cum transversali isthmi inferioris, perpendicularis cum antero-posteriori congruat necesse est: melior est igitur antero-posterior quam diagonalis, quia perpendicularis capitis per retrocessionem coccygis majori spatio gaudet, dum eodem tempore transversalis capitis optime comprimatur.

Cum illa in dissertatione de usu et abstinentia instrumentorum agatur quæ partui solis naturæ viribus non absolvendo ceu *non naturali* applicantur, partuum illorum *non naturalium* divisionem quamdam ponendam esse mihi videtur.

Partum autem naturalem eum esse jam diximus in quo minores capitis diametri prævii sunt, atque cum optimis pelvis dimensionibus respondent: unde naturalis quasi partuum non naturalium sequitur divisio, in illos scilicet in quibus illarum conditionum prima deficit, in eos ubi deficit secunda, in illos denique ubi et una et altera conditio desideratur.

Cum vero antequam scribere inciperem, totam quæstionem attente perlegissem, et ad Celeberrimi GAUBII exemplar diu essem meditatus ut omnia recto ordine disponerentur, ipsa res, de qua mihi disserendum est, illud postulare videbatur, ut adhiberetur divisio in quinque partes, quarum prima dispositiones cranii infantis quibus tempore puerperii ad usum forcipis obstetriciæ confugiendum est exponat et demonstret; secunda illas dispositiones quibus summopere ab illo instrumento est abstinendum. Tertia et quarta eodem indicet modo usus vectis obstetricii; quinta denique, ex allatis demonstrationibus, summam illam differentiam eliciat, quæ inter usum horum adminiculorum intercedit, ita ut intelligatur quodnam sit peculiare utriusque officium.

PARS PRIMA.

Dispositiones cranii infantis quibus tempore puerperii ad usum forcipis obstetriciæ est confugiendum.

Ad forcipem obstetriciam in genere recurrendum est quotiescumque cranii infantis minores superficies pelvis dimensionibus quæ non sunt optimæ respondent.

§ I. Si ad memoriam revocamus octo illa puncta cardinalia (1) quæ tam in isthmo superiori quam in inferiori designavimus, et ideo octo dispositiones quas occiput, cuspide occipitali prævia ad isthmum superiorem occupare potest, videmus quatuor esse *naturales*, quatuor itaque *non naturales* quibus vel ossi pubi, vel sacro vel extremo diametri transversalis pelvis pars occipitalis (2) respondet, quibusque forcipis obstetriciæ auxilium implorare coacti sumus.

(1) Introductio, p. 2 et 4.

(2) Per partem occipitalem, eam occipitis partem intelligimus quæ inter cuspidem occipitalem et foramen occipitale majus reperitur.

Occurrat hic primum dispositio occipito-pubea, ea nimirum qua pars occipitalis ad isthmum superiorem, ossi pubi, vertex promontorio sacro-vertebrali respondet. Cum ea in positione de eo tantum agitur ut caput rotationem octavæ partis circuli subeat et sic diameter ejus perpendicularis in diagonales isthmi superioris adducatur, cumque pro illa operatione axis transversa forcipis dimensioni transversæ hujus isthmi respondere debeat, forcipis laminarum introductio in amplius pelvis spatium nulla difficultate premitur, capitisque dimotio requisita forcipem dirigendo inferiora versus eamque ad femora materna vertendo est instituenda.

§ II. Obvia sit secundo loco dispositio occipito-sacra ubi pars occipitalis promontorium sacro-vertebrale respicit, vertex ossium pubis interiora versus dirigitur. Partus ille ut in naturalem convertatur nihil præstare oportet quam ut caput octavam circuli partem percurrat; ea enim encheiresi diameter cranii perpendicularis in unam isthmi superioris diagonalium adducetur, eaque adimplebitur conditio quæ secundum prolegomena nostra partum naturalem constituit. Hic, haud secus ac præcedenti in casu, axis transversa forcipis transversæ isthmi superioris dimensioni respondeat oportet; forcipis laminæ per amplius pelvis spatium introducentur, hincque perspicuo patet modo, rotatione illa octavæ partis circuli quam instrumenti illius intermedio infantis cranium subire debet, illud in optimam reductum fore positionem quam diximus esse diagonalem.

§ III. Adest puerperium ubi pars occipitalis extremo diametri transversalis respondet, et sic caput positionem exacte horizontalem sit adeptum. Positio illa, ut patet, in eo tantum discrepat ab ea quæ optima est, ut, in motu peritrochlico, non octavam partem circuli, sed circuli quadrantem percurrere debeat, quod frequenter satis solis naturæ viribus peragitur, sed illæ interdum deficiunt. Eo in casu rotandum est caput per octavam partem circuli, unam laminarum forcipis contra sacrum, alteram retro ossa pubis applicando et ita instrumentum illud dirigendo ut pars occipitalis unam cavitatum cotyloidearum versus adducatur. Sapienti quidem consilio suadet professor Doctissimus VAN SOLINGEN (1) ut sub ipsa forcipis introductione, faciliori semper si horizontaliter fiat, instituenda, mulier in latus unum aut alterum decumbat, et illa forcipis lamina quæ ad ossa pubis respondere debet, introducatur secundum pelvis excavationem, ut deinde sursum moveatur et quam lenissime sub arcum pubianum perveniat, eo inquam consilio, ne vesica urinaria lædatur.

§ IV. In omnibus iis encheiresibus, quæ huc usque indicatæ fuerunt, de solo isthmo superiori locuti sumus. Minima vero attentione opus est ut videamus ad isthmum inferiorem res aliter haud comparari : in hac enim secunda specie partus *non naturalis* qua minimæ dimensiones cranii congruunt cum dimensionibus pelvis quæ non sunt optimæ, dimensiones illæ

(1) *Précis de la Doctrine de M*r. A. VAN SOLINGEN, *par* J. H. GALLANDAT D. M. *Louvain* 1823, *p.* 68.

cranii respondent diagonalibus et cum adsint quatuor diagonalium extrema quæ occiput respicere potest, quatuor exinde dispositiones quæ sunt *non naturales* oriuntur.

Exemplo sit casus ubi, postquam caput regulari quidem modo isthmum superiorem transierit, diametri perpendicularis et transversa, deficiente motu peritrochlico, ad isthmum inferiorem congruunt cum diagonalibus, pars occipitalis ad faciem internam tuberositatis ischiaticæ apposita est, vertex ad ligamenta sacro-ischiatica lateris oppositi dirigitur. Illa positio frequenter satis est obvia, quoniam caput quod minoribus suis diametris, in dimensione diagonali isthmi superioris hærebat, necessario, si motus peritrochlicus deficiat, descensum suum eadem directione continuare ad fundum usque pelvis, et ita in isthmo inferiori dimensionibus quæ non sunt optimæ respondere debeat. Artis auxilia quæ ad caput bonas in dimensiones adducendum tendere debent, in eo versantur ut, forcipis intermedio, caput octavam circuli partem percurrat, quod, eà in positione, eo peragetur facilius quo caput in ipso pelvis fundo hærens, regularis forcipis applicatio difficultate sæpe sæpius nulla prematur : hujus enim instrumenti laminis juxta dimensionem obliquam isthmi inferioris introductis et ad rationem et artem directis diameter cranii perpendicularis in dimensionem antero-posteriorem brevi adducetur.

§ V. Caput nunc æque ac præcedente in casu isthmum superiorem regulari quidem modo transierit, diametri perpendicularis et transversa, deficiente motu peritrochlico, isthmi

inferioris diagonalibus respondeant, sed ligamenta sacro-ischiatica pars occipitalis respiciat. Si caput, ut in præcedenti positione, rotationem octavæ partis circuli patiatur, vertex sub arcum pubianum adducetur, partusque in naturalem erit conversus. Illo in casu, inquit Prof. Doctis. VAN SOLINGEN (1), caput cum successu ad $^1/_4$ circuli partes adduci potest, ita ut sub arcum pubianum occiput deferatur, et partus non solum in naturalem sed etiam in optimum convertatur.

§ VI. Jam amplius nos non latet, in secunda hac specie (2) partus *non naturalis*, sed trunco prævio, cranii diametros perpendicularem et transversam pelvis dimensionibus quæ non sunt optimæ respondere, æque ac iis in casibus ubi caput prævium esse novimus. Hinc tam ad isthmum superiorem quam ad inferiorem quatuor nascuntur dispositiones *non naturales* quæ ad isthmum superiorem *occipito-pubea*, *occipito-sacra*, et duæ *occipito-iliacæ transversæ* inveniuntur : ad isthmum vero inferiorem ubi minimæ cranii dimensiones diagonalibus respondent, exoriuntur quatuor dispositiones *non naturales*, quibus occiput unicuique extremo diagonalium respondet. Cum autem in illa partuum specie, trunco prævio, et theoria et encheireses exacte sint eaedem ac ubi caput prævium est, cum sola quæ inter eos intercedit ac illos de quibus supra locuti sumus differentia in eo versatur quod caput in hoc casu conum repræsentat cujus verticem mentum efficit. Exemplum

(1) *Het werktuiglyke der verlossing verklaard, etc., etc.* III. *hoofdst. bl.* 254, § 393.

(2) Vid. introduct. p. 13.

denuo suppeditare in quo omnes repeterentur encheireses quæ in quacumque harum positionum jam præscriptæ fuerunt, inani saltem repetitione nostros esse defatigare judices immerito non arbitramur. Indicare vice secunda nobis liceat ac sufficiat, in isthmo superiori occiput aut verticem ex anteroposteriori vel ex transversali ad cotyloideas, in isthmo autem inferiori idem occiput aut vertex e diagonalibus sub arcum pubis esse dirigendum.

§ VII. Cum in quæstionis enunciato de sola forcipis in fœtus cranium applicatione agatur, in ea embryonis positione immorari longius debere non credimus, qua clunes partui sunt præviæ, et ubi alii forcipem pelvi esse applicandam dicunt, alii ut nocentem instrumenti abusum forcipem rejiciunt. Professor et Obstetricans Doctissimus DESORMEAUX (1) qui hanc ultimam amplexus est sententiam, hac de re sequenti modo ratiocinatur : « *Si les fesses éprouvent une résistance assez considérable pour nécessiter l'emploi des instrumens, la pression que le forceps, pour avoir une prise assez ferme, devra exercer sur les os du bassin, les enfoncera, les fracturera. D'un autre côté, les bouts des cuillers qui se trouveront à la hauteur des dernières côtes seront très-rapprochés, parceque la partie comprise dans la grande largeur du sinus de l'instrument a peu de volume et la poitrine sera extré-*

(1) *Dictionnaire de médecine par MM.* ADELON, BÉCLARD, BIEST, etc., etc., tome 9, art. forceps p. 334 et 335.

mement rétrécie, le foie sera infailliblement contus et déchiré; le forceps ordinaire serait donc dans ce cas un instrument nuisible. »

Libenter quidem fateor haud ita forcipe esse abutendum, ut, quo primum clunibus præviis fœtum aspexeris, instrumentum hoc adhibeas, satiusque esse multo partum prehentis pedibus absolvere: quis autem obstetricantium eum obvium non vidit casum, quo sedes adeo immobilis et impacta (1) quasi hærebat, ut omni impossibilitate pedum prehensio premeretur? Si talis occurrat casus, alia quanam encheiresi quam forcipis applicatione partum esse absolvendum latere me prorsus confiteor. Si ad uncinos hamulosve recurreretur, nonne majus subesset periculum ut partes fœtus læderentur quam si Chamberleyni instrumentum cujus laminarum concavitas cum clunium et ileorum convexitate exacte satis congruit, in usum vocaretur?

§ VIII. Qantæ tandem virtutes forcipis recto adhibitæ casu sunt prædicandæ! quid non communi omnium consensu totius terrarum orbis mulieres laudibus et lacrymis, gratoque animo ad cœlum usque extollunt illustrissimum illum Chamberleynum forcipis inventorem, qui, felici sua excogitatione, sexum muliebrem tristi liberavit tributo quod, deficiente forcipe, morti quotannis conferebat! Luctuosissimi enim obveniunt sæpe casus ubi non nisi in usu forcipis unica salus est

(1) *Enclavé.*

petenda. Enarrare animus abhorret imminentes illas aut jam præsentes hæmorrhagias, syncopes, spasmos, convulsiones, etc., etc., quæ, quibuscumque in auxilium vocari possint remediis, pertinacissime resistentes exclusionem fœtus fieri jubent. In tali enim infortunio, artis obstetriciæ recte peritus, cum instantia illa pericula ante oculos habet, quacumque deliberatione rejecta, fortique et præsenti animo ad usum recurrit forcipis, deficiente qua, misera mulier, iterata forsan syncope aut immani sanguinis profluvio correpta, in ipsius obstetricantis manibus animam cum vita brevi relinqueret.

PARS SECUNDA.

Dispositiones cranii infantis quibus tempore puerperii a forcipe prorsus est abstinendum.

Instrumenti illius applicationi summa adest contraindicatio quotiescumque cranii embryonis majores dimensiones partui offeruntur; major enim dimensio per amplitudinem minorem exitum invenire non potest; 4 ¹/₄ poll. nedum 5, isthmorum dimensiones non transibunt nisi lædatur puerpera et divellatur. Quibus patet in genere eo casu a forcipe esse abstinendum quo ad usum vectis obstetricii recurendum est.

§. I. Ille supponatur casus quo cranii diameter longitudinalis isthmi superioris dimensionibus optimis respondet: jam digitorum aut vectis ope caput in bonam positionem fuit translatum, et partus ita in naturalem fuit conversus; violentis vero uteri contractionibus quarum talis est natura, ut primam semper juxta directionem expultricem vim suam exerceant, caput priorem suam positionem denuo sibi vindica-

vit. E duabus hisce rebus, una necessario habebit locum; vel caput isthmum superiorem non transibit, vel majori sua superficie prævia descendere perget. Si isthmum superiorem non transgrediatur, omniaque si incassum quæ ad præviam suam superficiem commutandam in meliorem conducunt tentata fuerunt, non ad forcipis laminarum in majores cranii superficies applicationem recurrendum erit, conversione vero instituta partus, pedibus præviis erit absolvendus. Si eo quidem in casu in usum vocaretur forceps, jam primum sanis omnibus theoriæ præceptis foret contrarium, mater deinde et fœtus, nulla necessitate stabilita, in vitæ periculum projicerentur.

§ II. Major capitis dimensio, ad isthmum superiorem optimis pelvis dimensionibus se offert: cuspis occipitalis alterutri cavitatum cotyloidearum respondet. Primam partus naturalis conditionem deficere hic patet. Plurimis in casibus, omniaque si rite sunt disposita, manu vel vecti corrigitur illa dispositio; obvium tamen non nunquam est infortunium quo tanta immobilitate cranium premitur, ut repositio, quæ manu fit, haud succedat, nec vectis auxilio peragi possit. Quamvis autem instrumenti illius ope cranium reponi nequeat, nequaquam adhibenda est forceps cujus ope mutatio majoris dimensionis cranii in minorem obtineri nequaquam potest. Instrumentum hoc, nisi prægnantissimis symptomatibus quæ partum citissime terminari jubent, in usum nunquam vocari debet, quotiescumque majores capitis dimensiones præviæ sunt, hoc enim modo cranium non educitur, sed magno embryonis et puerperæ detrimento et periculo evellitur. Hoc

itaque in casu et matris et infantis salus in conversione est petenda.

§ III. Prægnantissimi aliquando obvii sunt casus ubi talis eaque infausta rerum habetur dispositio, ut, despecta quasi generali quam stabilivimus regula, ad forcipem obstetriciam tanquam ad ultimum auxilium, quibuscumque deficientibus aliis, confugiendum est. Casus illi infelices qui summo plerumque infortunio concomitantur, regulæ generalis stabilitæ exceptionem faciunt, eorumque non nullos breviter enarrare haud incongruum mihi videtur (1).

a. Caput prævium est, sed diameter obliqua optimis isthmorum unius vel alterius dimensionibus respondet. Eo in casu, vel fontanellam posteriorem vel mentum alterutri cavitatum cotyloidearum respondere obstetricantium neminem fugit. Illarum circumstantiarum posterior supponitur, fœtusque facies plane adeo est prævia ut nullo quocumque modo pedes attingi possint, et vectis auxilio mentum a cavitate cotyloidea deorsum protrudi, quantum fieri potest, debuerit. Tale infortunium forcipis præsidio quam celerrime partum absolvi jubet; fortissima enim colli distorsione a præcedentibus encheiresibus oriunda in summum infans vitæ periculum conjectus fuit.

(1) Sequentes illos casus eo loco potius videri exponendos fatemur, ubi ad forcipem recurrendum esse diximus; cum autem in ea dispositione ubi majores cranii dimensiones pelvis dimensionibus optimis respondent, auxilium *vectis* et *forcipis* abstinentia ipsa rei natura in genere præscribantur, casus illos regulæ generali stabilitæ exceptionem facere, naturæ consentaneum magis arbitrati sumus.

§ IV. β. Jam trunco prævio, diameter cranii longitudinalis optimis alterutrius isthmorum dimensionibus respondet. In isthmo superiori frons embryonis cavitatem cotyloideam, vel in isthmo inferiori partem posticam pubis respicit. Cum, prosiliente promontorio sacro-vertebrali, motus et introductio manus fieri nequeant, cum insuper incongruentia inter superficiem frontis ovoideam et partem pelvis quæ fundo acetabuli respondet major est quam ut frons embryonis et vertex juxta illam pelvis regionem descendere possint, occiput manu retrudere, mentum in pectus reducendi causa, incassum tentaretur : oportet ergo ut caput quadrantis circuli rotationem subeat; quæ rotatio peragenda est, digitos unius manus in mentum, et digitos manus alterius occipiti applicando, motuque simultaneo embryonis frontem, qui retro cavitatem cotyloideam hærebat symphysim sacro-iliacam versus adducendo. Accidit vero non nunquam introductionem et applicationem digitorum aut manus difficilem esse non tantum, sed et prorsus impossibilem. Illo autem in casu oportet necessario ut caput eumdem hunc circuli quadrantem forcipis auxilio subeat.

§ V. γ. Ad forcipem obstetriciam ut ad unicum et ultimum præsidium denique recurrendum est, quando maximis etiam cranii dimensionibus partui sese offerentibus, nulla spes affulget fore ut remotissimum occiput, sive manus sive vectis ope inferiora versus adducatur, itaque instituatur embryonis conversio; sed aquæ cum jamdudum effluxerint, et integumenta communia cranii immanem in molem tumue-

rint, manui obstetricantis ultra pelvim inferiorem aditus non conceditur; in tali infortunio, ut aliquo saltem præsidio utamur, forceps, cujus usum, majoribus diametris præviis, hujus dissertationis pagina 19ª prorsus rejiciendum esse diximus, introducatur oportet; non tamen ut caput educatur; per rerum enim naturam fieri haud quaquam potest ut majores diametri per dimensionem minorem transeunt; sed ut compresso et quodam modo adducto cranio manu obstetricantis et vectis ope restitutio capitis tandem obtineatur (1).

§ VI. Indicatis jam et demonstratis iis casibus, quibus summopere a forcipe obstetricia abstinendum est, exitus illos horribiles, funestissimos qui usum forcipis intempestivum non nunquam sequuntur ad memoriam revocare, brevibusque enarrare verbis, argumento nostro non esse alienum mihi videtur: quin insuper, haud immerito fortassis arbitror, in hac secunda dissertationis nostræ parte, illorum ante oculos ponendum esse errorem, qui, licet nulla urgeant symptomata, ubicumque retardetur partus et dolores nisusque vel languescant vel subsedant, forcipem adhibendam, fœtumque eliciendum sustinent. Hic, cum Doctissimo Lovaniensis scholæ Professore obstetricio, exclamabimus illos eo longius hoc facto aberrare a recto proposito, quo caput, majori sua dimensione collocatum, apice vero cunei non prævio, comprimentes forcipe, apoplexiam efficiunt, et, non nisi summo materni corporis dilacerandi

(1) Vid. Annal. Acad. Lov. anno 1820-1821, vol. IV. A. Van Solingen Orat. inaug. p. 15.

periculo, fœtum incautius extrahunt (1). Haud minori peccant errore qui, quolibet in puerperio, quotiescumque partus celeriter non procedat, quin insuper ostio uterino perfecte nondum diducto, mox forcipis usum perniciosissima cum fiducia in auxilium vocant. Num eo in casu ipsa dolorum puerperii natura, uterini ostii actio et structura, forcipe prorsus abstinendum esse nos monent? Sed tam et ipsius materiæ magni ponderis et momenti causa, quam et quia eadem cum dicendi facundia rem ipsam exhibere vires quam maxime exsuperat meas, aream pro temporis momento Professori relinquam Doctissimo quem supra invocavi, et qui iis in casibus de pernicioso forcipis abusu sequenti modo est locutus: « Natura, inquit, partus doloribus uteri ostium aperit ac dilatat, » eoque fere toto extenso ac diducto fœtus expellitur; ostio » autem uterino haud perfecte diducto, si immitatur forceps, » tantum abest ut ostium illud magis magisque aperiatur ut » multo magis stimulo non naturali lacessitum contrahatur » et capiti, forcipe prehenso et jamjam extrahendo quam » maxime renitatur. Itaque nullus dubito quin omnes, quo» rum ingenia recto doctrinæ cultu sunt subacta, perversam » hanc agendi rationem, ut pote a benignissimæ naturæ scopo » prorsus alienam et dirissimis sequelis comitatam, plane im» probent atque rejiciant; quid autem pathologiæ, quid rei » obstetriciæ peritis fœda, quæ inde nascuntur, mala com» memorem? Novistis enim et plane perspectum habetis cru» delem illum uteri spasmum, a stimulo non naturali oriun-

(1) Op. cit. *pag.* 9.

» dum, qui parturientis nervos per omnem reliquam vitam » miserrime sit perturbatus; novistis exitiosam istam uteri » inflammationem, ex eadem quam diximus causa prognatam, » mox ad gangrenam, aut latiori gradu ad scirrhos et carci» nomata abituram; taceo alia; ejusdem scilicet visceris pro» cidentiam et inertiam quæ alio loco amplum sed tetrum » disserendi argumentum præbent (1). »

Num ille qui nullis urgentibus symptomatibus, et absente omni casu in quo ad usum forcipis recurrendum esse supra stabilivimus, omnem partum non æque ac desiderat procedentem, forcipe absolvendum sustinet? num ille, inquam, animum non deflectit suum ad claustra illa, ad ligamenta illa firmissima, ad aponeuroses illas tenacissimas quibus corpus fœmininum, ne deficientibus hisce sustentaculis, per reliquam vitam cujusve generis calamitatibus et incommodis, herniis puta, procedentiis, dilacerationibus, etc., etc., misere cruciaretur, a providissima sapientissimaque natura munitum fuit? Num ille persuasum habet se, claustra illa et ligamenta imprudenti sua encheiresi procul omni dubio esse dilaceraturum, et ita in matrem miserrimam et omni commiseratione dignissimam, calamitatum omnium, quas non sine terrore supra commemoravimus, catervam esse conversum?

(1) Op. cit. *pag.* 10.

PARS TERTIA.

Dispositiones cranii infantis quibus tempore puerperii ad usum vectis obstetricii est confugiendum.

Hujus instrumenti auxilium implorandum est quotiescumque cranium infantis majores suas superficies partui obtulerit : superficies illæ vel optimis vel iis quæ non sunt optimæ pelvis dimensionibus offerri possunt, unde sequitur vectem obstetricium in partu non naturali primæ et tertiæ speciei esse adhibendum (1).

§ I. Species Prima. Exemplo sit puerperium, ubi, capite prævio, diameter major optimis pelvis dimensionibus, et cuspis occipitalis alterutri cavitatum cotyloidearum respondet.

(1) Introduct. pag. 13.

Cum majoris diametri longitudo diagonalium isthmi superioris longitudinem fere adæquat, caput ea in positione hærens vel nullo quocumque modo vel maxima cum difficultate ad isthmum inferiorem transibit. In ea igitur majori capitis superficie in minorem immutanda quæcumque inniti debent artis auxilia. Peragitur sæpe sæpius illa positionis mutatio vel, apice digitorum retrudendo, quovis dolore, verticem, eamque pressionem frontem versus dirigendo, ita ut sola pars occipitalis descendat, vel digitorum apicibus verticem tantum sustinendo, quippe quod, retento sic vertice, non nisi in partem occipitalem dolores agere possunt, vel denique altiori duorum priorum digitorum in occiput applicatione, ea mente instituta ut, digitos illos uncorum adinstar dolore quovis ita movendo, occipitis tandem descensus obtineatur. Sed obvii veniunt casus ubi immobile prorsus cranium evasit, et omnia quæ manu tentata fuerunt, fuere incassum : tunc vectis auxilium invocandum est. Introducatur instrumentum illud alte satis ut concava ejus superficies in occipitalem exacte applicetur protuberantiam, ut ea deorsum protrudi possit, et sic partus ille non naturalis in naturalem convertatur. Operationis illius qui haud agnoverit necessitatem, HIPPOCRATIS olivæ nucleum e lagenula, qua inclusus supponebatur, transverse egredi voluerit (1).

§ II. Caput prævium est, cuspis occipitalis alterutri synchondrosium sacro-iliacarum respondet.

(1) Introd. p. 9.

Artis auxiliorum finis hic quoque ut præcedenti in casu in descensum occipitis versatur ita quidem ut major illa cranii superficies in minorem commutetur, et sic partus ille non naturalis in partum naturalem convertatur. Descensus ille occipitis digitorum aut manus auxilio primo tentatur, qua non succedente encheiresi ad vectem obstetricium confugitur, occipitisque descensu instrumenti illius ope comparato, diameter cranii perpendicularis isthmi superioris diagonalibus id est dimensionibus optimis respondebunt: partus igitur ex non naturali naturalis evasit.

§ III. Laterales capitis superficies, ad isthmum superiorem, dimensionibus pelvis optimis sese offerunt. Haud diu animus intendi debet ut, illa in positione, diametrum capitis longitudinalem optimis isthmi superioris dimensionibus esse prævium animadvertatur. Nulla igitur positio illa difficultate premitur, manusque, aut si non succedat, vectis auxilio perinde ac in præcedenti casu descensus occipitis obtinebitur, partusque in naturalem commutabitur. Hic, ut supra dictis in casibus, cuspis occipitalis vel alterutri cavitatum cotyloidearum, vel synchondrosium sacro-iliacarum respondere potest, et utroque in casu idem erit artis finis et scopus.

§ IV. Datum sit puerperium ubi jam nato trunco, diameter longitudinalis cranii optimis unius vel alterius isthmi dimensionibus offertur : illo in casu qui e remotione menti a pectore semper oritur, vel occiput vel frons, ad isthmum superiorem cavitati cotyloideæ, ad inferiorem vero, arcui os-

sium pubis respondere potest. Scopus artis, id est menti ad pectus applicatio priori in casu adimplebitur, manum integram juxta perinæi concavitatem, ligamentorum sacro-ischiaticorum et ipsius ossis sacri introducendo, eamque ultra faciem super verticem usque, secundum axim isthmi superioris attollendo, ut ita dein mentum in pectus reducatur ibidemque retineatur manu super verticem retenta, dum manu altera cujus digiti collum amplectuntur, tractionis motus qui superne et exteriora versus juxta directionem perinæi incipiatur. Manus introductio si, vel non sufficiat vel fieri nequeat, vectis auxilium quantum fieri potest implorandum est, quod instrumentum secundum artis regulas introducatur.

In casu autem posteriori (1), nisi minimum foret caput et amplissima pelvis, incassum tentaretur ut retrudatur occiput et mentum ita ad pectus admoveatur; promontorium sacrovertebrale introductioni et motui manus et vectis obstaculum ponit, et insuper incongruentia inter superficiem frontis ovoideam et partem pelvis quæ fundo acetabuli respondet major est quam ut frons embryonis et vertex juxta illam pelvis regionem descendere possint. Non amplius itaque ad vectem hic est recurrendum atque adeo hac de re hic dicendi non est opus.

§ V. Cum, qualicumque causa, ad isthmum inferiorem cuspis occipitalis vel pubem, vel tubera ischiatica vel sacrum res-

(1) In eo scilicet casu ubi frons embryonis ad isthmum superiorem cavitati cotyloideæ, ad inferiorem vero arcui ossium pubis respondet.

piciat, omnia exacte conveniunt quæ ad isthmum superiorem de restitutione cranii, manus aut vectis ope, retulimus. Illa vero difficilius succedunt si cuspis occipitalis os sacrum respiciat, quia superficies plana ossis pubis adscensum occipitis rarissime accipit. Vectis autem usus cum hoc in casu satis facile occipiti applicatur, omnium primus tentandus est; quod si non succedat, potest etiam instrumentum hoc mento, sub osse pubis, applicari, quo fiet ut minor etiam cranii dimensio prævia sit. Periculi vero plenissima ob colli distorsionem est illa agendi methodus quæ semper si fieri potest est evitanda (1).

§ VI. SPECIES TERTIA. Partus non naturales qui ad tertiam hanc speciem pertinent, illi, ut supra jam stabilivimus, sunt in quibus capitis diametri majores pelvis dimensionibus quæ non sunt optimæ respondent, id est, in iis ubi et una et altera deficit conditio quæ ad constituendum partum naturalem requiritur (2). In illius speciei partubus, positiones quæcumque offerri possunt, partubus non naturalibus, qui ad primam et ad secundam speciem pertinent, necessario componuntur: encheireses igitur quæ in iis partubus absolvendis versantur, illæ scilicet quibus partus illi in naturales convertuntur, illis componi debent encheiresibus quæ, in tertia et prima dissertationis nostræ partibus, ad partus non naturales ad primam et secundam speciem pertinentes absolvendos indicantur. Bo-

(1) A. VAN SOLINGEN, prælect. in art. obst. mech. part, § 128.
(2) Vid. Introduct.

nam igitur capiti communicaturus dispositionem, id est compositam hanc encheiresim, quæ pro partubus speciei tertiæ requiruntur, in actum ducturus, incipiat obstetricans manus aut vectis auxilio minimas cranii superficies adducere prævias, omnique dein opera enitatur ut, forcipis ope, minimæ illæ superficies optimis pelvis dimensionibus respondeant, eam juxta indicationem quæ una alterave positionum præbetur in qua tunc temporis cranium reperitur, de quibus positionibus in parte prima dissertationis nostræ locuti sumus.

§ VII. Argumenti nostri in parte quarta legitur ad conversionem esse confugiendum, quotiescumque diameter cranii *maxima* isthmi superioris dimensionibus etiam optimis respondeat, vecteque impossibilitatis et periculi causa, quæ eo in casu instrumenti illius applicationem concomitantur, prorsus esse abstinendum (1). Si autem, raro admodum casu, sed qui tamen obvius esse potest, magis ac magis mentum pectus derelinquat, si, tali inquam modo, diameter cranii maxima in isthmo inferiori prævia sit, cum, eo temporis momento, conversio in auxilium vocari amplius non potest, in tali infortunio tentandum est nihilominus ut, manus aut vectis auxilio, occipitis descensus obtineatur, vel etiam menti adductio quæ, si res aliter fieri non possit, ob distorsionis colli periculum, maxime est acceleranda.

(1) Vid. part. 4. §.

PARS QUARTA.

Dispositiones cranii infantis quibus tempore puerperii a vecte obstetricio est abstinendum.

Vectis obstetricii adminiculo abstinendum est in casibus in quibus minores capitis superficies dimensionibus pelvis quæ non sunt optimæ respondent; sique superficies cranii maxima dimensionibus etiam pelvis optimis et a fortiori iis quæ non sunt optimæ sit prævia.

§ I. Enunciavimus primo loco, nullius utilitatis esse vectem quotiescumque minores capitis diametri, pelvis dimensionibus quæ non sunt optimæ respondent. Exempla, quæ in prima parte nostræ dissertationis relata fuerunt, sufficienti ut mihi videtur probant modo, ad usum forcipis esse recurrendum omnibus iis casibus, ubi illæ capitis superficies sunt præviæ

quæ hac prima in parte indicatæ sunt, et quæ omni modo eædem sunt ac illæ quas in hac quarta dissertationis parte primo loco enunciavimus, et sic demonstratum quoque mihi videtur, iis in casibus, a vecte esse abstinendum, quoniam simul et eodem tempore ambo illa instrumenta adhibere facile nequeant. Vecte igitur abstinendum erit omnibus iis in casibus ubi forcipis usus indicatus et demonstratus fuit. Illorum omnium casuum secunda enumeratio, molesta quidem repetitione, tædium potius quam oblectamentum nedum utilitatem afferret.

§ II. Secundo autem loco diximus etiam vectis usui quoque esse renunciandum, cum superficies cranii maxima pelvis dimensionibus etiam optimis et iis a fortiori quæ non sunt optimæ sit prævia : Enunciatum illud exemplo clarius pateat.

Casus supponatur in quo diameter capitis maxima dimensionibus in isthmo superiori optimis sese offert. Jam primum, ut patet, transgressus capitis per isthmum omni impossibilitate premitur, corpus enim cujus diameter 5 ¼ pollicibus gaudet per corpus aliud diametri 4, 5 poll. nullo quocumque modo transire potest. Attamen obstetrix Clarissima Boivin ad vectem illo in casu recurrendum esse nos docet. Libenter quidem fateor me prorsus non intelligere, quomodo hic usus vectis indicari queat, aut instrumentum illud adhiberi possit. Primum occiput in quod instrumentum applicandum est in ipsa ultimarum lumbalium vertebra hæret ; et cum, secundo loco, isthmi superioris dimensio diagonalis obliqua cranii positione

totà quanta occupata sit, vectis applicationem omnino fieri impossibilem mihi videtur, ad conversionem itaque, illo in casu, confugiendum esse patet, nec diu nimium illam esse differendam, ne forsan post descensum pro parte cranium in canalem osseum pelvis difficilior vel prorsus, ut ita dicam, impossibilis fiat. Infantis conversionem hic esse instituendam arbitror, vecteque prorsus abstinendum censeo, quamvis illo in casu illius instrumenti usus indicari videatur. Casus haud fuisse obvios non dico in quibus, eadem in circumstantia, vectis applicari non potuit; illis autem in casibus vel fœtus erat immaturus, caput ejus minimum vel pelvis præternaturam amplissima, et tunc nullo opus est auxilio, solis puerperium naturæ viribus absolvitur.

Vecte omni modo abstineri conversionemque in auxilium vocare, in illa præstat dispositione, qua, fontanella posterior respondet alterutri synchondrosium sacro-iliacarum, et mentum cotyloideæ oppositæ : hoc enim casu mentum descendit et fere prævium est quod quidem tunc facilius quam occiput vectis ope adduceretur; sed quicumque ad periculum animum intenderit quod ob summam embryonis colli distorsionem, eam operationem comitatur, relicta ipsa, ad conversionem brevi confugerit.

§ III. Quanti ponderis et momenti cognitio principii universalis practico obstetricanti est, nullum fortassis argumentum, nulla forsan ratiocinia melius probant quam errores in quos, principii illius ignorantia viros fama et nomine cele-

berrimos conjecit. Clarissimum Doctissimumque CAMPER (1) vectis obstetricii usum docentem videmus, illoque instrumento utentem iis in casibus ubi omni procul dubio usum illum damnasset si principium illud universale, de quo supra sumus locuti, cognovisset.

In illo puerperio ubi professor GRONINGÆ Doctissimus vectis obstetricii usum prædicabat, cranii diameter perpendicularis, ad isthmum superiorem, dimensioni antero-posteriori pelvis respondebat, vertex os sacrum respiciebat, pars occipitalis pubis ossa versus. Vir celeberrimus, vecte introducto verticem inter et sacri concavitatem alte satis ut instrumenti concavitas frontem amplectatur, illud dein supra fœtus aurem ducit, genam, donec extremum anterius in ipsum mentum innitatur; tunc snblevans instrumenti manubrium mentum a pube dimovet, posteriora versus retrudit, dum, ejusdem motus auxilio, occiput anteriora petat et tali quidem encheiresi partum absolvere contendit.

Sed ad nostram redeamus doctrinam, principium universale ad memoriam revocemus et patebit brevi partum illum, quem in citato jam opere CAMPER descripsit, ad secundam partuum non naturalium pertinere speciem, ad illos scilicet in quibus minores capitis diametri dimensionibus pelvis quæ non sunt optimæ respondent : Caput in positione occipito-pubea

(1) *Voorreden aan het tractaat van de siektens der swangere Vrouwen, door* F. MAURICEAU, *uit het fransch vertaald door* P. CAMPER, *p.* 44. *Tab.* 1, *fig.* 7.

hærebat. Hic ergo adhibendæ forcipis erat locus, instrumenti illius auxilio circuli quadrantem caput describeret oportebat, ut sic in diagonales isthmi superiores sive in dimensiones optimas adduceretur, et partus ita in naturalem foret conversus. Ea, quam CAMPER instituit, encheiresi, caput non in meliorem dimensionem adducebatur, quin contra diametrum maximam præbere præviam coactum erat, et partus ita majori multo quam antea difficultate premebatur. Exemplum illud cum evidentissime probat, tali in dispositione, vecte esse abstinendum, hic loci, ut mihi videtur referri poterat.

PARS QUINTA.

DIFFERENTIA QUÆ INTER USUM FORCIPIS ET VECTIS INTERCEDIT ; PECULIARE ILLORUM ADMINICULORUM UTRIUSQUE OFFICIUM.

§ I. SUMMA illa quæ inter usum forcipis et vectis intercedit differentia, ex ipso illorum adminiculorum usu rite demonstrato intelligi debet : e præcedentibus cunctis demonstrationibus, ni fallor elici potest forcipis obstetriciæ officium in sequentes hasce quatuor fines versari :

I.

Ut coarctetur volumen cranii, illudque extrahatur, si bona in quadam dispositione immobile hæreat.

II.

Ut caput, si, minima sua superficie prævia, in prava quadam pelvis dimensione immobile et retentum reperitur, ex

ea in dimensiones optimas reducatur, et in iis retineatur vel extemplo extrahatur. Distinguenda quam maxime hic est illa capitis *immobilitas* quæ, in bona quadam positione, ex nimia inter cranii volumen et pelvis capacitatem incongruentia oritur, ab ea *immobilitate* quæ, in dispositione prava, *retenti* tantum capitis affectum sistit : in posteriori hoc casu ubi caput *retentum* dicimus, positionis mutatione juxta unam aut alteram quam indicavimus encheiresim instituta, *retentio* cessabit : in priori autem qui *inclavationem proprie dictam* constituit, partus omni modo, naturali via, impossibilis evadit, et non ideo in ea *immobilitatis* specie forcipis usum commendamus.

III.

Ut ea exsuperentur quæ, in prava dispositione, manus aut vectis introductione obstaculum ponerent (1).

IV.

Ut, in casu prægnantissimo, in convulsionibus puta, hæmorrhagiis, deperditionibus, animi deliquiis etc., etc., qui casus citissime partum terminari jubent, corripiatur caput et majori etiam superficie prævia extrahatur.

(1) Regulari tunc modo capitis descensus quæritur forcipis laminas in majorem cranii circumferentiam applicando, non autem ut ita irregulariter extrahatur, sed eo tantum fine, ut capite paululum remoto, manus aut vectis introductio fieri queat.

§ II. Vidimus et demonstrasse credimus, in illis non nisi casibus ubi majores cranii præviæ sunt superficies, vectem in auxilium vocandum esse : perperam in genere instrumento illo illos uti qui illud non occipiti tantum, verum aliis etiam partibus cranii recte applicari posse contendunt; inconsulto denique vectis obstetricii auxilium implorare eos qui vectem illum pelvi insinuunt alio consilio quam ut caput minoribus diametris adducatur. Porro cum etiam notum habeamus caput, à vectis ministerio, non nisi tollenonis (1) quemdam motum experiri, quin reipsa loco suo dimoveatur, conclusione statui posse arbitramur summam illam, quæ inter usum forcipis et vectis intercedit differentiam, illorumque adminiculorum officium in eo versari, quod prius cranium reipsa loco suo removeat et in optimas pelvis dimensiones adducat, dum posterius caput tantum minori sua circumferentia prævium exhibeat, si, infausto rerum exitu, superficies majores partui offerantur.

(1) *Mouvement de bascule.*

TANTUM.